TI. HEMSTERHVSII

ET

L. C. VALCKENARI

ORATIONES.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

TI. HEMSTERHVSII
ORATIONES,

quarum prima eſt de Paulo Apoſtolo.

L. C. VALCKENARI

TRES ORATIONES,

quibus ſubiectum eſt Schediasma,

Specimen exhibens Adnotationum Criticarum in loca quaedam Librorum Sacrorum Novi Foederis.

Praefiguntur duae Orationes

IOANNIS CHRYSOSTOMI

in laudem Pauli Apoſtoli,

cum veteri verſione Latina Aniani, *ex Cod. MS. hic illic emendata.*

LVGDVNI BATAVORVM,
APVD S. ET J. LVCHTMANS,
ET A. ET J. HONKOOP.
MDCCLXXXIV.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Hunc libellum peperit nuper edita *Hemſterhuſii* Oratio *de Paulo Apoſtolo*: cum enim prodierit permultis certe vitiis, quae nihil attinet in medium protuliſſe, deformata, qualem olim ex autographo deſcripſeram, viſa mihi fuit nunc emendatius publicanda. Ne ſola prodiret, quinque eiusdem viri Summi Orationes ſunt additae; quarum tres adhuc prorſus latebant ineditae. Sunt autem, praeter illam

I. *De Paulo Apoſtolo*,

ceterarum haec argumenta:

II. *De Linguae Graecae praeſtantia, ex ingenio Graecorum & moribus probata.*

III. *De Literarum Humaniorum ſtudiis ad mores emendandos virtutisque cultum conferendis.*

IV. *De Mathematum & Philoſophiae ſtudio cum Literis Humanioribus conjungendo.*

V. *In obitum Campegii Vitringae Filii.*

VI. *In obitum Georgii Arnaldi.*

Vt

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Vt libelli moles augeretur, tres adiectae ſunt, de variis ſelectae, Orationes *L. C. Valckenari*; quarum ſecunda *de Philippo Amyntiade* nunc prodit veterum locis, quibus praecipua nituntur, communita.

Ad tertiam, *de Critica emendatrice in Libris Sacris N. Foed. a Literatoribus, quos vocant, non adhibenda*, acceſſerunt Corollarium, & Schediasma, ſpecimen exhibens Adnotationum Critic. in loca quaedam Librorum Sacr. N. F. Quandoquidem vero huiusmodi libelli raros inveniunt emtores, ut hic antiquitatis quodam lenocinio commendaretur, ob ſolam adfinitatem materiae cum prima Oratione *T. H.* de ſeptem *S. Ioannis Chryſoſtomi* Orationibus *in laudem Pauli Apoſtoli* ſcriptis, priores duae hic vulgantur, adnotatis quibusdam inſtructae, una cum veteris Interpretis *Aniani*, qui initio Seculi quinti floruit, Latina verſione, ex Cod. MS. aliquoties emendata.

Qui quidem ex hoc libello utilitatis vel iucunditatis quemdam fructum percipient, illum ſe debere meminerint primo Editori Orationis *T. H. de Paulo Apoſtolo*; qui in illa edenda ſe fatetur uſum exemplo nimis feſtinanter ſcripto, quemque ipſum nunc emendate deſcriptam publicatamque maiori cum voluptate lecturum confido.

IOAN-

IOANNIS CHRYSOSTOMI

DVAE ORATIONES

IN LAVDEM

PAVLI APOSTOLI.

ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΧΡΥΣΟΣΤΟΜΟΥ

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΓΙΟΝ ΑΠΟΣΤΟΛΟΝ

ΠΑΥΛΟΝ

Λόγος πρῶτος.

Οὐκ ἄν τις ἁμάρτοι λειμῶνα ἀρετῶν καὶ παράδεισον πνευματικὸν καλέσας τὴν Παύλου ψυχήν· οὕτω (2) πολὺ μὲν ἤνθει τῇ χάριτι, ἀξίαν δὲ τῆς χάριτος ἐπεδείκνυτο τῆς ψυχῆς τὴν φιλοσοφίαν. ἐπειδὴ γὰρ σκεῦος ἐκλογῆς γέγονε, καὶ καλῶς ἑαυτὸν ἐξεκάθηρε, δαψιλὴς ἡ τοῦ πνεύματος ἐξεχύθη εἰς αὐτὸν δωρεά· ὅθεν ἡμῖν καὶ τοὺς θαυμαστοὺς ἔτεκε ποταμούς, οὐ κατὰ τὴν τοῦ παραδείσου πηγὴν τέσσαρας μό-

(1) Pratum quoddam inſigne] Quae hac in Ed. Latinae verſionis *Aniani* diverſa leguntur ab Edit. Benedictinorum *S. Chryſoſtom.* T. II. p. 476. & ſeq. ſunt ex Codice, quem adhibui, Mſcripto. — Qui *animum* alicuius *excellenti virtute praeditum* Λειμῶνα dixerit ἀρετῶν, ex veteribus neminem facile dederis: ad horum normam multo rectius dixit *Clemens Alex. ex puro Prophetarum & Apoſtolorum prato flores decerpere:* Pantaenus, quem verae tandem Philoſophiae habuerat praeceptorem *Clemens*, ab ipſo dicitur Strom. I. p. 322, 15, Σικελικὴ τῷ ὄντι μέλιττα· qui, Προφητικοῦ τε καὶ Ἀποστολικοῦ λειμῶνος τὰ ἄνθη δρεπόμενος, ἀκήρατόν τι γνώσεως χρῆμα ταῖς τῶν ἀκροωμένων ἐνεγέννησε ψυχαῖς. de opere ſuo variegato L. VI. p. 736, 28, ὁ τῶν Στρωματέων, inquit,

IOANNIS CHRYSOSTOMI

in laudem

S. Apoſtoli Pauli

Oratio prima,

Aniano interprete.

Nihil prorſus erraverit, qui (1) pratum quoddam inſigne virtutum, & paradiſum ſpiritualem Pauli animum nuncupaverit: tam multa enim gratia floruit, tamque huic gratiae congruente vitae perfectione reſplenduit: quoniam enim *vas electionis* effectus eſt, & bene ſemet ipſum emendare curavit, largiſſime in eum Sancti Spiritus munus effuſum eſt. Vnde & mirabiles nobis fluvios genuit, non ſe-

inquit, ἡμῖν ὑποτύπωσις λειμῶνος δίκην πεποίκιλται. eleganter etiam *Themiſtius* Or. XXIV. p. 307. D. παιδείαν — ξυλλέγουσιν ἐκ τοῦ Ἀπόλλωνος λειμῶνος αἱ Μοῦσαι.

(2) Πολὺ μὲν ἤνθει τῇ χάριτι] Scribi quidem potuit, πολὺς μὲν ἤνθει τ. χ. ſed ſcripſiſſe puto *Chryſoſtomum:* οὕτω πολλῇ μὲν ἤνθει τῇ χάριτι· *tam inſigni quidem gratia florebat:* de Alcibiade ob victoriam Olympiacam ſuperbiente *Andocides* p. 33, 14, πολλῇ τῇ νίκῃ χρῆται. *Lucianus* in Nigrino T. I. p. 50, οὗτος ἀνὴρ ὁ πάντα τίμιος πολλῇ τῇ σκηνῇ καὶ τῇ τραγῳδίᾳ χρώμενος· *inſigni pietate excellere*, πολλῇ τῇ εὐσεβείᾳ διαφέρειν dixit *Diodorus Sic.* ad quem de hoc uſu quaedam notavit *Weſſeling.* T. II. p. 436.

μόνους, ἀλλὰ πολλῷ πλείους (4) καθ' ἑκάστην ῥέοντας τὴν ἡμέραν, οὐ τὴν γῆν ἄρδοντας, ἀλλὰ τὰς τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς εἰς καρπογονίαν ἀρετῆς διεγείροντας. τίς οὖν ἀρκέσει λόγος τοῖς τούτου κατορθώμασιν; ἢ ποία δυνήσεται γλῶσσα (5) ἐφικέσθαι τῶν ἐγκωμίων ἐκείνου; ὅταν γὰρ ἅπαντα τὰ ἐν ἀνθρώποις καλὰ συλλαβοῦσα ἔχῃ ψυχὴ μία, καὶ πάντα μεθ' ὑπερβολῆς, οὐ μόνον δὲ τὰ τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων, πῶς περιεσόμεθα τοῦ μεγέθους τῶν ἐγκωμίων; οὐ μὴν διὰ τοῦτο σιγήσομεν, ἀλ-

λὰ

(3) Non ſecundum paradiſi fontes quatuor tanturn] Codex MS. *fontes* hic etiam praebet; ſed dubium nullum eſt quin dederit *Anianus: non ſecundum paradiſi fontem, quatuor tantum*, nempe *fluvios genuit:* ad normam Graecorum *Chryſoſt.* ἔτεκε ποταμοὺς, οὐ κατὰ τὴν τοῦ παραδείσου πηγὴν, τέσσαρας μόνους. Non hic quaeritur quid verum ſit, ſed in qua fuerit opinione *Chryſoſt.* unum in Edene fontem prorupiſſe, ex quo quatuor fluvii profluxerint: ſic nonnullos verba Moyſis *Geneſ.* c. II, 10, accepiſſe *Huetius* oſtendix de ſitu Paradiſi c. IV.

(4) Καθ' ἑκάστην ῥέοντας] *Aniani* Latina vocula monſtrant inſerta legendum: ἀλλὰ πολλῷ πλείους, καὶ καθ' ἑκάστην ῥέοντας τὴν ἡμέραν. — Quae tum ſequuntur, οὐ τὴν γῆν ἄρδοντας· firmant *non terram rigantes*, quod MS. obtulit *Anianus;* qui habet etiam, *ad producendum virtutum germina ſuſcitantes.* — Sed iſta *virtutum germina*, a deſcribente male repetita, haec nobis abſurda in Edd. pepererant? *Quis ergo [ad explicanda virtutum germina ſenſus? quis] ad explicanda iſtius merita ſermo ſufficiet?* uncis a me incluſa aberant a MS. quem adhibui, & vel abſque eo reiicienda Graecus Editorem docere debuerat contextus: τίς οὖν ἀρκέσει λόγος τοῖς τούτου κατορθώμασιν;

(5) Ἐφικέσθαι τῶν ἐγκωμίων ἐκείνου] *Anian. Quae lingua laudibus eius invenietur aequalis:* niſi in Graecis eſſet

ποία

ſecundum paradiſi (3) fontes quatuor tantum, ſed multo etiam plures & quotidie fluentes, non terram rigantes, ſed animas hominum ad producenda virtutum germina ſuſcitantes. Quis ergo ad explicanda iſtius merita ſermo ſufficiet? quae autem lingua laudibus ejus invenietur aequalis, cum omnia, quae ſunt in hominibus bona, una anima poſſideat, & ea cuncta plene atque cumulate (6), nec ſolum hominum, ſed etiam, quod eſt amplius, Angelorum? Nequaquam ergo poſſumus ejus explicare praeconia, nec tamen idcirco reticebimus; quin potius pro-

ποία δυνήσεται γλῶσσα ἐφ. τ. ἐ. ἐ. *inveniatur* e Cod. MS. probari poterat. —— In hac autem forma loquendi Graecos oratores imitatur *Chryſoſtomus*; *Demoſtheni* initio Orat. περὶ Συμμοριῶν p. 103, *maiores Athenienſium* ἐγκωμιάζοντες, dicuntur περὶ πραγμάτων ἐπιχειροῦντες λέγειν, ὧν οὐδ᾽ ἂν εἷς ἀξίως ἐφικέσθαι δύναιτο τῷ λόγῳ· *de rebus dicere aggreſſi, quarum magnitudinem ne unus quidem oratione poſſit adaequare*, ubi Panegyricum claudit *Iſocrates* p. 80. B. initio, inquit, orationis ὤμην ἀξίως δυνήσεσθαι περὶ τῶν πραγμάτων εἰπεῖν· νῦν δ᾽ οὐκ ἐφικνοῦμαι τοῦ μεγέθους αὐτῶν. de Euagora p. 198. D. τίς γὰρ ἂν ἐφίκοιτο τοιαύτης φύσεως; in Helenae Laudat. p. 210. c. *in rerum maximarum laudationibus* χαλεπὸν τοῦ μεγέθους ἐφικέσθαι. — Graece perdoctus librorum ſacr. A. F. interpres, *Symmachus* ſcripſerat ni fallor *Iobi* c. XI, 7. πορείας Θεοῦ πῶς ἂν ἐφίκοιο; ubi dedit Alex. interpres μὴ ἴχνος κυρίου εὑρήσεις; vitiata *Symmachi* ἀπορήσεις πῶς ἂν ἐφ. ad comma 8 retulit *Montfauconius*. Sed horum ſimilia ad phraſin illuſtrandam *Chryſ.* quae larga manu dari a me poterant, ſatius erit omiſiſſe: hae notae Graecis Latiniſque hic illic emendandis tantum inſervire debent.

(6) Nec ſolum hominum] Haec & proxima dedi prout leguntur in Cod. MS. pro vulgatis: *quae non ſolum hominum ſunt, ſed, quod amplius eſt, Angelorum:* ex codice nunc edita Graecis apta congruunt οὐ μόνον δὲ τὰ τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων.

λὰ (7) δι' αὐτὸ, καὶ δι' αὐτὸ μὲν οὖν τοῦτο μάλιστα ἐροῦμεν, καὶ γὰρ καὶ τοῦτο ἐγκωμίου μέγιστον εἶδος, τὸ νικᾶν τῶν κατορθωμάτων τὸ μέγεθος μετὰ πάσης περιουσίας τοῦ λόγου τὴν εὐκολίαν, καὶ ἡ ἧττα μυρίων τροπαίων ἐστὶν ἡμῖν λαμπροτέρα.

Πόθεν οὖν εὔκαιρον εἴη ἂν ἅψασθαι τῶν ἐγκωμίων; πόθεν ἄλλοθεν, ἢ ἀπ' αὐτοῦ τούτου (8) πρώτου, τοῦ δεῖξαι τὰ ἁπάντων ἔχοντα ἀγαθά; εἴτε γὰρ προφῆται ἐπεδείξαντό τι γενναῖον, εἴτε πατριάρχαι, εἴτε δίκαιοι, εἴτε ἀπόστολοι, εἴτε μάρτυρες, πάντα ταῦτα ὁμοῦ συλλαβὼν εἶχε μετὰ τοσαύτης ὑπερβολῆς, μεθ' ὅσης οὐδεὶς ἐκείνων, ὅπερ ἕκαστος εἶχε καλὸν, ἐκέκτητο. (10) σκόπει δέ· προσήνεγκεν Ἄβελ θυσίαν, καὶ ἐντεῦθεν ἀνακηρύττεται. ἀλλ' ἐὰν τὴν Παύλου θυσίαν εἰς μέσον ἀγάγῃς, τοσοῦτον δείκνυται βελτίων ἐκείνης, ὅσον τῆς γῆς ὁ οὐρανός.

Ποίαν οὖν βούλεσθε εἴπω; οὐδὲ γὰρ μία μόνον ἐστὶ, καὶ γὰρ ἑαυτὸν καθ' ἑκάστην κατέθυεν ἡμέραν, καὶ ταύτην πάλιν διπλῆν ἐποίει τὴν προσφοράν· τοῦτο μὲν καθ' ἑκά-

(7) Ἀλλὰ δι' αὐτὸ, καὶ δι' αὐτὸ μὲν οὖν τοῦτο] Quam vim hic habeat δι' αὐτὸ repetitum non video: ſcripſiſſe ſuſpicor *Chryſ.* ἀλλὰ δι' αὐτὸ μὲν οὖν τοῦτο μάλιστα ἐροῦμεν· *Anianus: quin potius propterea dicemus.* reddi poterit: *quin propter hoc unum vel maxime dicemus:* αὐτὸ ſic adhibetur: *Thucyd.* p. VIII. c. 67, ἄλλο μὲν οὐδὲν, αὐτὸ δὲ τοῦτο. *Xenophon* Ἑλλην. V. p. 326, 26, αὐτὸ οὖν τοῦτ' ἔφη. προσήκει σκοπεῖν. *Iſaeus* Or. V, p. 62, 35, τοῦτ' αὐτὸ ἐπιδεικνύτω in eadem Or. p. 56, 30, pro ταῦτ' αὐτῷ corrigendum τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον ἐπιδείξω ὑμῖν· & in Or. VIII. p. 78, 26, pro τοῦτο αὐτῷ, τοῦτο αὐτὸ ἄνευ τοῦ νόμου — μηδὲν ἰσχυσάτω. *Herodot.* III. c. 71, αὐτοῦ τούτου εἵνεκεν ἥκω. ubi quaedam a me notata ſunt. veteres iſtos in hac etiam formula ſequuntur recentiores. — Paulo poſt Codex MS. *Aniani* dat, *cum orationis copiam virtus ſupe-*

propterea dicemus. Eſt enim hoc maximum laudis genus, cum orationis copiam virtus exſuperat & magnitudo laudati: ſicque vinci nobis eſt multo glorioſius, quam ſaepe viciſſe.

Vnde igitur opportunius laudum eius ſumemus exordium? unde inquam incipiemus aliunde, niſi ab hoc ipſo primum, ut oſtendamus eum bona omnium poſſidentem? ſive enim Prophetae potentius in ſe aliquid oſtenderunt, magisque mirabile, ſive Patriarchae, ſive iuſti, ſive Apoſtoli, ſive Martyres, haec omnia ſimul colligens Paulus cum tanto habet cumulo, cum quanto nullus eorum bonum quo excellebat (9) implevit. Hoc itaque diligentius intuere. Abel obtulit ſacrificium, & inde laudatur: ſed ſi Pauli hoſtiam adducamus in medium, quantum coelum terrâ, ſuperior apparebit.

Quam ergo vultis ut memorem? Non enim una tantummodo eſt, ſiquidem ſemet ipſum per dies ſingulos immolabat: quam tamen rurſus hoſtiam dupliciter offerebat, cum *quotidie moriens*,

perat, — *ſicque vinci multo eſt nobis glorioſius.*

(8) Ἢ ἀπ' αὐτοῦ τούτου πρώτου] Scripſerat, opinor, ἢ ἀπ' αὐτοῦ τούτου πρῶτον· *Anianus: niſi ab hoc ipſo primum.*

(9) Ὅπερ ἕκαστος εἶχε καλόν, ἐκέκτητο] *Anianus bonum, quo excellebat, implevit.* ἐκέκτητο ſignificat *poſſidebat*: in hoc verbo Latine reddendo plus ſemel lapſus eſt vetus interpres.

(10) Σκόπει δέ·] Apud *Thucydidem* frequenter occurrunt hae formulae, τεκμήριον δέ· μαρτύριον δέ· μέγιστον δέ· αἴτιον δέ· apud *Xenoph.* etiam, *Lyſiam*, *Iſocratem*, *Iſaeum*, *Demoſthenem*, horumque imitatores: σκέψασθε δέ· legitur in *Thucyd.* p. 95, 65. p. 204, 26. — De Abele loquens adhibuit diverſa ab illis quae leguntur *Geneſ.* c. IV, 4.

ἑκάστην ἡμέραν ἀποθνήσκων, τοῦτο δὲ (11) τὴν νέκρωσιν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ περιφέρων. καὶ γὰρ πρὸς κινδύνους διηνεκῶς παρετάττετο, καὶ ἐσφάττετο τῇ προαιρέσει, καὶ τῆς σαρκὸς τὴν φύσιν οὕτως ἐνέκρωσεν, ὡς τῶν σφαγιαζομένων ἱερείων μηδὲν ἔλαττον διακεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ πολλῷ πλέον. οὐδὲ γὰρ βοῦς καὶ πρόβατα προσέφερεν, ἀλλ' ἑαυτὸν διπλῇ καθ' ἑκάστην ἐσφαγίαζε τὴν ἡμέραν. διὸ καὶ (12) ἐθάρρησεν εἰπεῖν· ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, σπονδὴν ἑαυτοῦ τὸ αἷμα καλέσας. οὐ μὴν ἠρκέσθη ταῖς θυσίαις ταύταις, ἀλλ', ἐπειδὴ (13) καλῶς ἑαυτὸν καθιέρωσε, καὶ τὴν οἰκουμένην προσήνεγκε, καὶ γῆν καὶ θάλατταν, καὶ Ἑλλάδα καὶ βάρβαρον, καὶ πᾶσαν ἁπαξαπλῶς ὅσην ἥλιος ἐφορᾷ γῆν, ταύτην καθάπερ ὑπόπτερός τις γενόμενος ἐπῆλθε πᾶσαν (14) οὐχ ἁπλῶς ὁδοιπορῶν, ἀλλὰ τὰς ἀκάνθας τῶν ἁμαρτημάτων ἀνα-

(11) Τὴν νέκρωσιν ἐν τῷ σώματι] Vt quae praecedunt *Paulina* ſunt ex I Ep. ad *Cor.* c. XV, 31, καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω. haec in II ad *Cor.* c. IV, 10, πάντοτε τὴν νέκρωσιν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες. In Codice ſcripto ſic iſta leguntur *Aniani: cum quotidie moriens, tum corde, tum in corpore ſuo mortificationem Ieſu ſine intermiſſione circumferens:* ex quibus *in corpore* recepi pro vitioſo *corpori*, quod eſt in Edd. ſed videri poterit in exemplari ſuo *Chryſoſtomi* hic legiſſe Paulinum, τὴν νέκρωσιν Ἰησοῦ. Dubito legeritne hic etiam, ἀεὶ περιφέρων.

(12) Ἐθάρρησεν εἰπεῖν] *Confidendo dicebat* e margine recepi pro vulgato *confitendo*, quod erat & in Cod. MS. — Verbis *Pauli* ex II Ep. ad *Tim.* c. IV, 6, ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι· *ego enim iam immolor*; quod ſubiicit *Anianus*, *ſanguinem utique ſuum immolationem vocans:* perſuadebit forſan alicui, Graeca ipſum legiſſe una vocula auctiora; σπονδὴν δὴ ἑαυτοῦ τὸ αἷμα καλέσας·

riens, tum in corpore ſuo mortificationem ſine intermiſſione circumferens. Nam & ad pericula iugiter parabatur, conſummans voluntate martyrium & naturam in ſe mortificando carnis, nihil minus quam immolatae Deo hoſtiae munus implebat, immo etiam multo amplius. Non enim oves offerebat aut boves, ſed ſemet ipſum per dies ſingulos dupliciter ut diximus immolabat: propter quod (12) confidendo, dicebat: *Ego enim iam immolor*, ſanguinem utique ſuum immolationem vocans. Neque vero his tantummodo ſacrificiis contentus fuit. Sed, quia bene ſeipſum conſecraverat Deo, etiam orbem univerſum ſtuduit offerre: qui terram videlicet ac mare, Graeciam ſimul ac Barbariam, omnemque prorſus, quanta eſt ſub coelo, regionem quaſi volitans circumivit, non ſimplici labore, veluti in vacuum itinera percurrens; ſed peccatorum ſpinas pariter evellens,

λίσας· quam hic aptiſſimam iudico.

(13) Ἐπειδὴ καλῶς ἑαυτὸν καθιέρωσε] Recepi quod offerebat in Latinis MS. *quia bene ſe ipſum conſecraverat Deo.* aberat ab Edd. *bene.* — optime mox προσενεγκεῖν expreſſit per *ſtuduit offerre.* — Tum *Graeciam ſimul ac Barbariam* praebuit MS.

(14) Οὐχ ἁπλῶς ὁδοιπορῶν, ἀλλὰ τὰς ἀκάνθας] *Aniani* Latina, *non ſimplici labore, veluti in vacuum itinera percurrens, ſed peccatorum ſpinas pariter evellens:* mihi quidem monſtrant, ſcripſiſſe *Chryſoſt.* ἀλλ' ἅμα τὰς ἀκάνθας τῶν ἁμαρτημάτων ἀνασπῶν· voces ἀλλὰ & ἅμα ſaepe fuerunt a librariis permutatae; ἀλλὰ etiam nonnunquam vicinam ἅμα eliſit. — Sed non videtur Interpres dediſſe quod vulgatur, quodque erat in Cod. ſcripto, *veluti in vacuum*; ſed potius, *velut in vanum itinera percurrens:* & forte ad hanc normam fuit in Graecis, οὐχ ἁπλῶς ὡς εἰς κενὸν ὁδοιπορῶν.

ἀνασπῶν, καὶ τὸν λόγον τῆς εὐσεβείας κατασπείρων, τὴν πλάνην ἀπελαύνων, τὴν ἀλήθειαν ἐπανάγων, ἐξ ἀνθρώπων ἀγγέλους ποιῶν, μᾶλλον δὲ ἀπὸ δαιμόνων ἀγγέλους τοὺς ἀνθρώπους. διὸ καὶ μέλλων ἀπιέναι μετὰ τοὺς πολλοὺς ἱδρῶτας καὶ τὰ πυκνὰ ταῦτα τρόπαια, παραμυθούμενος τοὺς μαθητὰς, ἔλεγεν. (15) εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν, χαίρω καὶ συγχαίρω πᾶσιν ὑμῖν διὸ καὶ ὑμεῖς χαίρετε καὶ συγχαίρετέ μοι. τί τοίνυν γένοιτ᾽ ἂν τῆς θυσίας ταύτης ἴσον, ἣν τὴν μάχαιραν τοῦ πνεύματος σπασάμενος ἔθυσεν, ἣν ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ προσήγαγε τῷ ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν; ἀλλ᾽ ἀνῃρέθη δολοφονηθεὶς ὑπὸ τοῦ Κάϊν ὁ Ἄβελ, καὶ ταύτῃ λαμπρότερος γέγονεν; ἀλλ᾽ ἐγώ σοι μυρίους (17) ἠρίθμησα θανάτους, καὶ τοσούτους, ὅσας ἡμέρας κηρύττων ἔζησεν ὁ μακάριος οὗτος. εἰ δὲ καὶ τὴν μέχρι τοῦ πέρατος αὐτῆς προελθοῦσαν βούλει μαθεῖν σφαγὴν, ἐκεῖνος μὲν ὑπὸ τοῦ ἀδελφοῦ μήτε ἀδικηθέντος μήτε εὐεργετηθέντος κατέπεσεν· οὗτος δὲ ὑπὸ τούτων ἀνῃρεῖτο, οὓς ἐξαρπάσαι τῶν μυρίων ἠπείγετο κακῶν, καὶ δι᾽ οὓς πάντα ἔπασχεν, ἅπερ ἔπαθεν.

Ἀλλὰ (18) Νῶε δίκαιος, τέλειος ἐν τῇ γενεᾷ αὐτοῦ, καὶ μόνος ἐν ἅπασι πιστὸς ἦν. ἀλλὰ καὶ Παῦλος μόνος

(15) Εἰ καὶ σπένδομαι] Sunt ex Ep. ad *Philipp.* c. II, 17. 18. Pro, διὸ καὶ ὑμεῖς χαίρετε illic vulgatur, τὸ δ᾽ αὐτὸ καὶ ὑμεῖς χ. illud διὸ legit & *Anianus*, reddens, *propter quod & vos gaudete:* ubi vulgatus dat interpres: *id ipſum autem & vos gaudete.*

(16) Reperietur] Erat in MS. pro *reperitur.* Suo tamen more dediſſe videtur: *Quidnam igitur huic hoſtiae reperiatur aequale*, pro τί τοίνυν γένοιτ᾽ ἂν τῆς θυσίας ταύτης ἴσον;

(17)

lens, & verbum ſeminans ubique pietatis, fugans errores, veritatem reducens, ex hominibus Angelos faciens; quinimo ipſos homines quaſi ex daemonibus in Angelos provehens. Propter quod iam hinc poſt ſudores plurimos ac tropaea innumerabilia tranſiturus, pro discipulorum conſolatione dicebat: *ſed & ſi immolor ſuper ſacrificium & obſequium fidei veſtrae, gaudeo, & congratulor omnibus vobis: propter quod & vos gaudete & congratulamini mihi.* Quidnam igitur huic hoſtiae (16) reperietur aequale, quam Paulus ſtricto gladio Sancti Spiritus immolavit, quamque in illo altari obtulit, quod ſupra coelos locatum eſt? Sed Abel dolo germani percuſſus occubuit: atque hinc effectus eſt clarior. At ego innumeras tibi oſtendam mortes, tot utique, quot etiam dies beatus iſte in praedicatione vixit. Sin vero eam quoque vis noſſe mortem, quae noviſſime etiam rebus impleta eſt, Abel quidem a fratre, ut nihil a ſe laeſo, ita nullis affecto beneficiis interemtus eſt: Paulus vero ab iis eſt interfectus, quos innumeris malis cupiebat eripere, & propter quos ſuſtinuit univerſa quae paſſus eſt.

Sed Noë juſtus in generatione ſua atque perfectus, & ſolus erat talis in cunctis: ſed & Pau-

(17) Ἠθέλησα] Scripſerat forſan, ἀριθμήσω· ſed pro editis *Aniani*, *At ego innumeras tibi oſtendam mortes:* Codex MS. haec praebet: *vis ergo innumeras tibi oſtendi mortes.* — hinc mox recepi, *ſin vero* —, pro *ſi vero.* ——.

(18) Νῶε δίκαιος] *Geneſ.* c. VI, 9. Νῶε — δίκαιος, τέλειος ἐν τῇ γενεᾷ αὐτοῦ· ut eſt in Ed. Rom. male ex Alex. dederunt γενέσει αὐτοῦ.

νος ἐν ἅπασι πιστός. Καὶ ἐκεῖνος μὲν ἑαυτὸν μετὰ τῶν παίδων διέσωσε μόνον· οὗτος δὲ, πολὺ χαλεπωτέρου τὴν οἰκουμένην κατακλυσμοῦ καταλαβόντος, (19) οὐ σανίδας πηξάμενος, καὶ κιβωτὸν ποιήσας, ἀλλ' ἀντὶ σανίδων τὰς ἐπιστολὰς συνθεὶς, οὐ δύο (20) καὶ τρεῖς, καὶ πέντε συγγενεῖς, ἀλλὰ τὴν οἰκουμένην ἅπασαν καταποντίζεσθαι μέλλουσαν ἐκ μέσων ἥρπασε τῶν κυμάτων· οὐδὲ γὰρ τοιαύτη ἦν ἡ κιβωτὸς, ὡς ἐν ἑνὶ περιφέρεσθαι τόπῳ, ἀλλὰ τὰ τέρματα τῆς οἰκουμένης κατέλαβε, καὶ ἐξ ἐκείνου πάντας εἰσάγει μέχρι τοῦ νῦν εἰς τὴν λάρνακα ταύτην. σύμμετρον γὰρ τῷ πλήθει τῶν σωζομένων αὐτὴν κατασκευάσας, δεχόμενος ὀλίγων ἀνοητοτέρους ταῖς ἄνω δυνάμεσιν ἐφαμίλλους ἐργάζεται, καὶ ταύτῃ νικῶν τὴν κιβωτὸν ἐκείνην. ἐκείνη μὲν γὰρ, κόρακα λαβοῦσα, κόρακα πάλιν ἐξέπεμψε, καὶ λύκον ὑποδεξαμένη, τὴν θηριωδίαν οὐ μετέβαλεν. οὗτος δὲ οὐχ οὕτως, ἀλλὰ λαβὼν λύκους πρόβατα εἰργάσατο, καὶ λαβὼν ἱέρακας καὶ κολοιοὺς περιστερὰς τούτους ἀπετέλεσε, καὶ πᾶσαν ἀλογίαν καὶ θηριωδίαν τὴν τῶν ἀν-

(19) Οὐ σανίδας πηξάμενος·] Hic quoque ad *Aniani* vulgata. *non arcam coaptando compagibus tabularum*, *ſed epiſtolas componendo*, quod addebatur in MS. *pro tabulis*, recipiendum erat; eſt enim in Gr. ἀντὶ σανίδων τὰς ἐπιστολὰς συνθείς· illinc etiam receptum *compagibus tabularum*; pro *compagibus*: quamvis hoc a ſcriptoribus optimis tantum fuerit adhibitum.

(20) Οὐ δύο καὶ τρεῖς καὶ πέντε] Dum dat *A. non duos vel tres aut quinque*, videri poteſt legiſſe Graeca, οὐ δύο ἢ τρεῖς ἢ πέντε συγγενεῖς· ut poſtea ſcripſit p. 180. A. in hac ipſa Or. οὐχὶ παρὰ τριῶν φίλων, ἢ τεσσάρων. ſed & in illa legitur p. 479. A. οὐδὲ τρεῖς καὶ πέντε πόλεις· A. *neque tres aut quinque urbes*. & p. 481. D. οὐχ ἕνα καὶ δύο

Paulus ſolus inter omnes talis inventus eſt. Et ille quidem ſe tantummodo legitur ſervaſſe cum liberis: hic autem multo ſaeviore mundum inundante diluvio, non arcam coaptando compaginibus tabularum, ſed epiſtolas componendo pro tabulis, non duos vel tres aut quinque cognatos, ſed univerſum prorſus orbem mergi periclitantem ex mediis fluctibus liberavit. Nec vero erat haec talis arca, ut uno circumferretur loco, quae utique orbis terrarum terminos comprehendit; nam usque nunc omnes in hanc arcam Paulus inducit, quam certe capacem ſalvandae multitudinis praeparavit, quae, ſuſcipiens (21) irrationabilibus pene animalibus ſtultiores, imitatores efficit Angelorum. Et hinc quoque illam vincit arcam, quia illa quidem corvum recipiens, corvum rurſus emiſit, & includens lupum feritatem eius mutare non potuit: haec vero non ita, ſed acceptos lupos oves reddidit, accipitres milvosque ſuſcipiens fecit columbas, & excludens omnem irrationabilitatem, atque (22) feritatem, manſuetudinem ſpiritus introduxit: ma-

δύο καὶ τρεῖς, ἀλλὰ μυρίους — ἐπεσόμισε. *A. non unum, aut duos, aut tres, ſed innumeros — corripuit.*

(21) Irrationabilibus] Erat in MS. pro *irrationalibus*; qui paulo poſt etiam dabat *irrationabilitatem*; &, *illam vincit* arcam; ubi *vicit* eſt in Edd. vt hoc in loco, ſic ſaepius alibi τὰς ἄνω δυνάμεις dixit *Angelos*.

(22) Feritatem] Pro *ferocitatem*, & vicina quoque edidi, ut erant in MS. Θηριωδίαν ſic etiam paulo ante, & alibi, convertit *Anianus*; qui in Orat. III. in Paulum p. 487. B. ἐξεθηριοῦντο reddiderat, *efferabantur*; non, ut vulgarunt, *efferebantur*. — Hic ex MS. reſtitutum, *manet hodieque haec arca navigans*.

ἀνθρώπων φύσεως ἐκβαλὼν, τὴν τοῦ πνεύματος ἐπεισήγαγεν ἡμερότητα, καὶ μέχρι νῦν μένει πλέουσα ἡ κιβωτὸς αὕτη, καὶ οὐ διαλύεται. οὐδὲ γὰρ ἴσχυσεν αὐτῆς τὰς σανίδας χαυνῶσαι τῆς κακίας ὁ χειμὼν, ἀλλ' ὑπερπλέουσα μᾶλλον τοῦ χειμῶνος τὴν ζάλην (23) κατέλυσε. καὶ μάλα εἰκότως· οὐ γὰρ ἀσφάλτῳ καὶ πίσσῃ, ἀλλὰ πνεύματι ἁγίῳ κεχρισμέναι αἱ σανίδες αὗταί εἰσιν.

Ἀλλὰ τὸν Ἀβραὰμ θαυμάζουσιν ἅπαντες, ὅτι ἀκούσας, (24) ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σου, καὶ ἐκ τῆς συγγενείας σου, ἀφῆκε πατρίδα, καὶ οἰκίαν, καὶ φίλους, καὶ συγγενεῖς, καὶ πάντα ἦν αὐτῷ τὸ ἐπίταγμα τοῦ θεοῦ· καὶ γὰρ καὶ ἡμεῖς τοῦτο θαυμάζομεν· ἀλλὰ τί Παύλου γένοιτ' ἂν ἴσον; ὃς (25) οὐ πατρίδα καὶ οἰκίαν καὶ συγγενεῖς ἀφῆκεν, ἀλλ' αὐτὸν τὸν κόσμον (26) διὰ τὸν Ἰησοῦν; μᾶλλον δὲ αὐτὸν τὸν

οὐρα-

(23) Κατέλυσε] *Anian. ipſa tempeſtatis motus navigando compeſcuit:* hoc codex MS. dedit pro *compeſcit:* videri autem poteſt hic aptius vulgato verbum legiſſe, κατέπαυσε· τοῦ χειμῶνος τὴν ζάλην κατέπαυσε. — Paulo poſt ex Cod. ſcripſi, *non enim bitumine ac pice — eius tabulae ſunt perunctae;* e Graecis, οὐ γὰρ ἀσφάλτῳ καὶ πίσσῃ —— κεχρισμέναι αἱ σανίδες αὗταί εἰσι. quamvis, picis vice, *bitumen* ἄσφαλτος, ad arcam compingendam fuerit adhibitum: *Geneſ.* c. VI, 14, ἀσφαλτώσεις αὐτὴν ἀσφάλτῳ. ubi de copia τῆς ἀσφάλτου in Babylonia agit *Diodor. Siculus* II, c. 12, nonnulla notat *Weſſelingius.*

(24) Ἔξελθε] *Geneſ.* c. XII, 3. — Elegans illud & vere Graecum, πάντα ἦν αὐτῷ τὸ ἐπίταγμα τοῦ θεοῦ· — Aliter quam in Edd. ſic iſta redduntur in Cod. ſcripto: *quorum omnium iacturam ſolo divini amoris praecepto penſabat.* Sed melius eſt quod vulgatur. —— Paulo poſt illinc recepi, *ſed quid* (pro *quis*) *Paulo*

poſſit

manet hodieque haec arca navigans, nec tamen aliquando diſſolvitur, nec valet tabulas eius ulla malitiae laxare tempeſtas: quin potius ipſa tempeſtatis motus navigando compeſcuit; quod ſatis conſequenter effectum eſt. Non enim bitumine ac pice, ſed Sancto Spiritu eius tabulae ſunt perunctae.

Sed Abraham mirantur omnes, quia cum audiſſet: *Abraham exi de terra tua & de cognatione tua:* & domum reliquit, & patriam, & amicos atque cognatos, quorum omnium jacturam ſolo divini praecepti amore compenſabat: nam & nos eum propterea miramur. Sed quid Paulo poſſit aequari? qui non modo patriam, cognatos, ac domum, ſed ipſum quoque mundum reliquit: quin imo etiam coelum & coelum

poſſit aequari? ἀλλὰ τί Παύλῳ γένοιτ' ἂν ἴσον;

(25) Οὐ πατρίδα] Optime *Anianus: qui non modo patriam — ſed ipſum quoque mundum reliquit.* Quamvis etiam Latine vox relinqui potuiſſet Lectori ſubaudienda *Quinctilian.* I. O. IV, c. 2. p. 328, *non bona iudicant illa. ſed vera:* vocis μόνον in talibus omiſſae ſcriptores optimi quivis exempla praebent; ab aliis iam indicata, *Daviſ.* ad *Ciceron.* de N. D. p. 288. Tuſcul. p. 355. *Dukero* ad *Thucyd.* p. 292. ad *Eurip.* Phoen. p. 501.

(26) Διὰ τὸ Ἰησοῦν] Hic iſta non legit *Anianus*, neque videtur ſcripſiſſe *Chryſ.* qui paulo poſt, omnia inquit ὑπερεῖδε, καὶ ἓν μόνον ἐζήτει· τὴν Ἰησοῦ τὴν ἀγάπην· quae ſic mihi Latina feciſſe videtur *Anianus: haec omnia deſpexit, unum illud* (hanc vocem praebet MS) *& ſolum, Chriſti caritatem requirens.* Latinis quin ab alia manu quaedam hic illic ſint interſerta, dubitari non poteſt.

οὐρανὸν, ϗ τὸν οὐρανὸν τοῦ οὐρανοῦ ὑπερεῖδε, ϗ ἓν μόνον ἐζήτει, τοῦ Ἰησοῦ τὴν ἀγάπην. ϗ ἄκουε αὐτοῦ τοῦτο δηλοῦντος ϗ λέγοντος· οὔτε ἐνεστῶτα, οὔτε μέλλοντα, οὔτε ὕψωμα, οὔτε βάθος δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι (27) ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ. ἀλλ' ἐκεῖνος, εἰς κινδύνους ῥίψας ἑαυτὸν, τὸν ἀδελφιδοῦν ἐξήρπασε τῶν βαρβάρων· ἀλλ' οὗτος οὐ τὸν ἀδελφιδοῦν, οὐδὲ τρεῖς καὶ πέντε πόλεις, ἀλλὰ τὴν οἰκουμένην πᾶσαν, οὐκ ἀπὸ βαρβάρων, ἀλλ' ἀπ' αὐτῆς τῆς τῶν δαιμόνων ἐξήρπασε χειρὸς, μυρίους καθ' ἑκάστην ὑπομένων κινδύνους, καὶ τοῖς οἰκείοις θανάτοις ἑτέροις πολλὴν ἀσφάλειαν κτώμενος. ἀλλ' ἐκεῖ τὸ κεφάλαιον τῶν ἀγαθῶν ἐστι, καὶ ἡ κορωνὶς τῆς φιλοσοφίας, τὸ τὸν υἱὸν καταθῦσαι· ἀλλὰ ϗ ἐνταῦθα τὰ (28) πρωτεῖα παρὰ τῷ Παύλῳ ὄντα εὑρήσομεν· οὐ γὰρ υἱὸν, ἀλλ' ἑαυτὸν μυριάκις κατέθυσεν, ὅπερ ἔφθην εἰπών (29).

Τί ἄν τις θαυμάσειε τοῦ Ἰσαάκ; πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα, μάλιστα δὲ τὴν ἀνεξικακίαν, ὅτι φρέατα ὀρύττων, ϗ τῶν οἰκείων ἐλαυνόμενος (30) ὅρων, οὐκ ἐπ-

(27) Ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ] De charitate Chriſti loquutus, ad iſta, ſequentia quoque *Pauli* verba, quae ſunt in Latinis, addidiſſe videtur ex Ep. ad *Rom.* c. VIII, 39, τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν. —— Paulo poſt τρεῖς ἢ πέντε πόλεις ſcripſiſſe videtur. —— Graeca autem, ἀπ' αὐτῆς τῆς τῶν δαιμόνων ἐξήρπασε χειρὸς, monſtrant *Anianum* vocem addidiſſe quae inſerta fuit ex MS. *de ipſa Diaboli extorſit manu.*

(28) Τὰ πρωτεῖα παρὰ τῷ Παύλῳ] Ex Cod. ſcripto prodierunt iſta *Aniani: ſed hic quoque inveniemus Paulum primas partes tenentem:* in Edd. erat, omiſſo *ſed*, *hic quoque inv. P. primatum tenentem.* —— Optime ab illo redditur ἡ κορωνὶς τῆς φιλοσοφίας *culmen Philoſophiae*, &c., τὸ τὸν υἱὸν καταθῦσαι· *quod filium volueris* (ſic MS.) *immolare.*

(29)

lum caeli, & haec omnia Chriſtum ſuſcipiendo deſpexit: unum pro cunctis, & ſolum, id eſt Chriſti caritatem requirens, *neque praeſentia*, inquit, *neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos ſeparare a caritate Dei, quae eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Sed Abraham, ſe ipſum in periculum tradens, hoſtibus filium fratris eripuit: at Paulus non fratris filium, neque tres aut quinque urbes, ſed orbem univerſum de ipſa diaboli extorſit manu, innumerabilia per dies ſingulos pericula ſuſtinendo, propriiſque mortibus maximam ſecuritatem aliis comparando. Caput bonorum ejusque culmen philoſophiae eſt, quod filium voluerit immolare; ſed hic quoque inveniemus Paulum primas partes tenentem, qui non filium, ſed ſemetipſum, ut dixi, millies immolavit.

In Iſaac quidem aliquis admiratur, & alia quidem plurima, ſed praecipue patientiam: quoniam puteos fodiens, & propriis exagitatus la-

(29) Τί ἄν τις θαυμάσειε τοῦ Ἰσαάκ;] Suſpicor *Anianum* ſcripſiſſe: *in Iſaac quid demum aliquis admiretur?* quia ſic ſolet iſtas reddere formulas: p. 481. c. τί γὰρ ἂν γένοιτο, *quid reperiatur?* p. 484. c. ἀλλ' ἴσως εἴποι τις ἄν· *ſed — dicat hic aliquis.* p. 485. A. τίνι ἂν οὖν τις αὐτὸν παραβάλοι; *cui ergo rei — ab aliquo comparetur?*

(30) Τῶν οἰκείων ἐλαυνόμενος ὅρων] Ad iſta Graeca Latina *Aniani* in margine corriguntur *exactus finibus.* ego vero, cui nec Iſaacus videtur dici poſſe *propriis exactus finibus*, ex latinis, *propriis exagitatus laboribus*, quae recte ſe habent, Graeca ſic corrigerem, τῶν οἰκείων ἐλαυνόμενος πόνων οὐκ ἐπεξῄει. reſpicit *Geneſ.* cap. XXVI, 18, — 32. — Paulo poſt dicitur περιχωρῶν πανταχοῦ τῶν οἰκείων κτημάτων.

* *

ἐπεξῄει, ἀλλὰ καὶ καταχωννύμενα ὁρῶν ἠνείχετο, καὶ πρὸς ἕτερον ἀεὶ μεθίστατο τόπον, (31) οὐχ ὁμόσε [ἀεὶ] τοῖς λυποῦσι χωρῶν, ἀλλ' ἐξιστάμενος καὶ παραχωρῶν πανταχοῦ τῶν οἰκείων κλημάτων, ἕως αὐτῶν τὴν ἄδικον ἐκόρεσεν ἐπιθυμίαν· ἀλλ' ὁ Παῦλος, οὐ φρέατα λίθοις καταχωννύμενα ὁρῶν, ἀλλὰ τὸ ἑαυτοῦ σῶμα, οὐ παρεχώρει, καθάπερ ἐκεῖνος, μόνον, ἀλλ' εἰσιὼν τοὺς λίθοις βάλλοντας αὐτὸν εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνάγειν ἐφιλονείκει· ὅσῳ γὰρ κατεχώννυτο ἡ πηγή, τοσούτῳ μᾶλλον ἐξεῤῥήγνυτο, καὶ πλείους ἐξέχεε ποταμοὺς εἰς ὑπομονήν.

Ἀλλὰ τὸν παῖδα τὸν τούτου θαυμάζει τῆς καρτερίας ἡ γραφή; καὶ ποία ἀδαμαντίνη ψυχὴ τῆς Παύλου δύναιτ' ἂν ἐπιδείξασθαι ὑπομονήν; οὐδὲ γὰρ δὶς ἑπτὰ ἔτη ἐδούλευσεν, ἀλλὰ τὸν πάντα βίον ὑπὲρ τῆς τοῦ Χριστοῦ νύμφης, οὐ συγκαιόμενος μόνον τῷ (32) καύματι τῆς ἡμέρας, καὶ τῷ παγετῷ τῆς νυκτὸς, ἀλλὰ μυρίας νιφάδας πειρασμῶν ὑπομένων, νῦν μὲν μάστιγας λαμβάνων, νῦν δὲ λίθοις τὸ σῶμα βαλλόμενος, καὶ νῦν μὲν θηρίοις μαχόμενος, νῦν δὲ πελάγει πυκτεύων, καὶ λιμῷ διηνεκεῖ ἡμέρας καὶ νυκτὸς,

(31) Οὐχ ὁμόσε [ἀεὶ] τοῖς λυποῦσι χωρῶν] Illud ἀεὶ, quod uncis incluſi, ex proximis, πρὸς ἕτερον ἀεὶ μεθίστατο τόπον, male fuit repetitum: nam, quod vel vicina monſtrant, & hiſtoria Moſaica, nunquam ὁμόσε τοῖς λυποῦσιν ἐχώρει. *Anian. neque collecta ſuorum manu in adverſarios irruebat. Cum hoſtibus congredi*, ὁμόσε χωρεῖν τοῖς πολεμίοις Attica eſt & elegantior forma loquendi, de qua notavit egregia Clar. *Ruhnken.* in *Timaei* Lex. p. 138. adhibent eamdem Scriptores Eccleſiaſtici: Noſter T. III. p. 23. D. ὁμόσε τοῖς δεινοῖς ἰέναι. *periculis ſe obiicere*, ὁμόσε χωρεῖν τοῖς κινδύνοις dixit T. II. p. 563. B.

laboribus, minime reſiſtebat: ſed factos a ſe puteos obrui patiebatur, atque ad alium ſemper migrabat locum. Neque collectâ ſuorum manu in adverſarios irruebat, ſed propriâ poſſeſſione ubique cedebat, quoadusque iniquiſſimam illorum expleret cupiditatem. At Paulus, non puteos cernens lapidibus obrutos, ſed proprium corpus, non ſolum ſicut ille cedebat, ſed eos etiam, a quibus lapidabatur, in coelum ſtudebat evehere. Quanto enim amplius obruebatur fons iſte, tanto erumpebat magis, ac plures ex ſe fluvios effundendo manabat.

De longanimitate ac patientia hujus filium Iacob admiratur Scriptura. Et quaenam illa eſt tam adamantina prorſus anima, quae Pauli patientiam poſſit imitari? Neque enim bis ſeptem annorum, ſed & totius vitae ſervitium pro ſponſâ pertulit Chriſti, non aduſtus ſolum aeſtu diei & noctis gelu, ſed tentationes mille perpetiens: & nunc quidem verberibus, nunc vero lapidibus ſciſſus atque colliſus, & nunc quidem (33) cum beſtiis, modo autem fluctibus pugnans: modo etiam nimiae atque continuae reluctans fami diebus ac noctibus, & inter cer-

B. & *Origenes* c. *Celſ.* I. p. 51. θηρία τὰ ὁμόσε ταῖς λόγχαις πορευόμενα, *Clemens Alex.* Strom. VII. p. 871, 12. — Quod legitur paulo poſt εἰσιὼν vitioſum eſt: εἴσιτε ſatis eſſet commodum.

(32) Τῷ καύματι τῆς ἡμέρας] Firmat iterum Romani Cod. lectionem *Geneſ.* c. XXXI, 40, ἐγενόμην τῆς ἡμέρας συγκαιόμενος τῷ παγετῷ τῆς νυκτός. Subſtituerunt illic ex Alex. τῷ καύσωνι. — Vbi paulo ante Paulum incipit cum Iacobo comparare, voces εἰς ὑπομονὴν, ſua certe ſede non poſitas, alio loco legiſſe videtur *Anianus*.

(33) Cum beſtiis] In Cod. ſcripto legitur, & *mo-*

 do

τόσι, καὶ κρυμῷ, καὶ πανταχοῦ (34) ὑπὲρ τὰ σκάμματα πηδῶν, καὶ τὰ πεπυρωμένα ἀπὸ τοῦ τοῦ Διαβόλου φάρυγγος ἀφαρπάζων.

Ἀλλὰ σώφρων ὁ Ἰωσήφ· ἀλλὰ δέδοικα (35) μὴ γέλως ᾖ τὸν Παῦλον ἐντεῦθεν ἐγκωμιάζειν, ὃς ἐσταύρωσεν ἑαυτὸν τῷ κόσμῳ, καὶ οὐ τὰ λαμπρὰ ἐν τοῖς σώμασι μόνον, ἀλλὰ πάντα τὰ πράγματα οὕτως ἑώρα, ὡς ἡμεῖς τὴν κόνιν, καὶ τὴν τέφραν, καὶ ὡς ἂν νεκρὸς πρὸς νεκρὸν ἀκίνητος γένοιτο. οὕτω μετὰ ἀκριβείας τῆς φύσεως τὰ σκιρτήματα κατευνάζων, οὐδὲν οὐδέποτε (36) πρὸς οὐδὲν ἀνθρώπινον πάθος ἔπαθεν.

Ἐκπλήττονται τὸν Ἰὼβ ἅπαντες ἄνθρωποι, καὶ μάλα εἰ-

do quidem beſtiis, modo autem ſtadiibus pugnans. atque ita etiam alibi Graecismum expreſſit *Anianus*; cui in Cod. MS. datur paulo poſt, *captas oves ex D. faucibus abſtrahebat.*

(34) Ὑπὲρ τὰ σκάμματα] *Trans finem ſtadii*, vel quemcunque conſtitutum, *proſilientes* proverbiali locutione dicebantur ὑπὲρ τὰ σκάμματα, vel ἐσκαμμένα, πηδᾶν, vel ἅλλεσθαι. Originem proverbii indicarunt *Zenobius* Cent. VI. Prov. 23. & *Euſtathius* in *Hom.* Od. Θ. p. 302, 2. *Plato*, qui dixit ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα ἅλλεσθαι, in Cratylo p. 413. A. multos habuit imitatores; ſcriptores inprimis Eccleſiaſtici hanc formulam frequentarunt, de qua *Leopardus* iam egit Emend. I. c. 22.

(35) Μὴ γέλως ᾖ] *Aniano* ſua reſtitui ex MS. *at ego vereor ne iam ridiculum ſit hinc Paulum laudare*; pro vulgatis, *hic Paulum velle laudare*: ἐντεῦθεν reddi debuit *hinc*. Eſt & illud γέλως ᾖ, ex uſu elegantiorum: *Eurip.* in Troaſin v. 983, ταῦτα γὰρ γέλως πολύς. & in Oreſte v. 1598. *Demoſthenes* Philipp. I. p. 34, §. 33, νῦν γε γέλως ἔσθ' ὡς χρώμεθα τοῖς πράγμασιν. Quintus Fabius Max. *Livii* XXVIII, c. 42, *Nae tibi, P. Corneli,*

quum

certamina ubique proſiliens, captas oves ex diaboli faucibus extrahebat.

Sed & Ioſeph pudicitiae virtute decoratus eſt: at ego vereor ne jam ridiculum ſit hinc Paulum laudare, qui, ſemet ipſum mundo crucifigens, non ſolum humanorum corporum pulcritudines, ſed omnia etiam quae videntur in rebus clara ac decora, ita cernebat, quemadmodum nos favillam cineremque deſpicimus; qui quaſi mortuus prorſus ad mortuum immobilis permanebat. Itaque cum tanta animi cura comprimeret incentiva vitiorum & naturae, nihil humanum ab aliquo aliquando perpeſſus eſt.

Stupent certe Job omnes homines, & valde utique convenienter. Eſt enim ille athleta mira-

quum ex alto Africam conſpexeris, ludus & iocus fuiſſe Hiſpaniae tuae videbuntur. Valerius Max V, c. I, ex. ext. 3, *iſta — prae iis, quae de te locuturi eramus, luſus ac iocus fuiſſent.* — In proximis, *Pauli* reſpicit Ep. ad *Gal.* c. VI, 14, δι' ὃ [Ἰησοῦ] ἐμοὶ κόσμος ἐσταύρωται, κἀγὼ τῷ κόσμῳ.

(36) Πρὸς οὐδὲν] Scripſerat, opinor, πρὸς οὐδένα· οὐδὲ οὐδέποτε πρὸς οὐδένα ἔπαθεν· *Anian. nihil humanum ab aliquo aliquando perpeſſus eſt:* ubi legitur in MS. *ad aliquem:* ἀνθρώπινον πάθος ad verba *Chryſ.* ſuſpicor ab alia manu adiectum: nam phraſin adhibet Noſter, quomodo ſolent ſcriptores Gr. ut in Or. de S. Babyla II. p. 556. B. in fabula Daphnes: τὸν Ἀπόλλω — ἰδόντα παθεῖν τι πρὸς αὐτήν. *nimio erga aliquem affectu eſſe commotum*, ſive miſericordiae, ſeu doloris, praeſertim tamen amoris, ſic Graece dicitur; a nemine forte frequentius, quam a *Philoſtrato:* p. 128. f. 244. m. 275. m. 275. m. 529. init. 610. in. 685. in. 733. m. ultimo loco Graecos dicit παθεῖν τι πρὸς τὸν Ἀχιλλέα. attigerunt phraſin *T. H.* in Miſcell. Obſ. VI. p. 351. & *Markland.* in *Eurip.* Suppl. v. 288.

εἰκότως· καὶ γὰρ μέγας ἀθλητὴς, καὶ πρὸς αὐτὸν τὸν Παῦλον παρισῶσαι δυνάμενος, διὰ τὴν ὑπομονὴν, διὰ τὴν τοῦ βίου καθαρότητα, διὰ τὴν τοῦ θεοῦ μαρτυρίαν, διὰ τὴν καρτερὰν μάχην ἐκείνην, διὰ τὴν θαυμαστὴν νίκην τὴν μετὰ τὴν μάχην· ἀλλὰ Παῦλος οὐχὶ μῆνας πολλοὺς ἀγωνιζόμενος οὕτω διῆγεν, ἀλλ' ἔτη πολλὰ, οὐχὶ (37) τήκων βώλακας γῆς ἀπὸ ἰχῶρος καὶ ἐπὶ κοπρίας καθήμενος, ἀλλ' εἰς αὐτὸ τοῦ λέοντος τὸ νοητὸν στόμα συνεχῶς ἐμπίπτων, καὶ μυρίοις παλαίων πειρασμοῖς, πάσης πέτρας στερρότερος ὤν· οὐχὶ παρὰ τριῶν φίλων, ἢ τεσσάρων, ἀλλὰ παρὰ πάντων ὀνειδιζόμενος τῶν ἀπίστων ψευδαδέλφων, ἐμπτυόμενος, λοιδορούμενος· ἀλλ' (38) ἡ φιλοξενία τοῦ Ἰὼβ μεγάλη, καὶ ἡ πρὸς τοὺς δεομένους κηδεμονία· οὐδὲ ἡμεῖς ἀντεροῦμεν· ἀλλὰ τῆς Παύλου τοσοῦτον καταδεεστέραν εὑρήσομεν, ὅσον ψυχῆς σῶμα ἀφέστηκεν· ἃ γὰρ ἐκεῖνος περὶ τοὺς τὴν σάρκα πεπηρωμένους ἐπεδείκνυτο, ταῦτα οὗτος περὶ τοὺς τὴν ψυχὴν λελωβημένους ἔπραττε, πάντας τοὺς χωλοὺς καὶ ἀναπήρους τὸν λογισμὸν διορθούμενος, καὶ τοὺς γυμνοὺς, καὶ ἀσχημονοῦντας περιβάλλων τῇ τῆς φιλοσοφίας στολῇ· καὶ ἐν τοῖς σωματικοῖς δὲ τοσοῦτον αὐτοῦ περιῆν, ὅσῳ πολλῷ μεῖζόν ἐστι (39) πενίᾳ συζῶντα καὶ λιμῷ βοηθεῖν

τοῖς

(37) Τήκων βώλακας] Sumſit ex *Iobi* c. VII, 5, Τήκω δὲ βώλακας γῆς ἀπὸ ἰχῶρος ξίων· quorum ultimum hic etiam legit *Anianus*, qui vertit iſta: *non terrae gleba ſaniem carnis eradens*, vel *radens*, ut eſt in MS. ξίων ad priora additum legitur & apud Noſtrum T. III. p. 560. A. — ſequentia ſunt ex *Iobi* c. II, 8, 9, ἔλαβεν ὄστρακον, ἵνα ἀποξίῃ τὸν ἰχῶρα αὐτοῦ· καὶ ἐκάθητο ἐπὶ τῆς κοπρίας.

(38) Ἡ φιλοξενία τοῦ Ἰὼβ] Reſpicit iſta *Iobi* c. XXXI,

32.

rabilis; & qui Paulum ipſum velut ex adverſo poſſit aſpicere ob patientiam, puritatemque vitae, ob teſtimonium Dei, propter illam cum diabolo fortiſſimam pugnam, propter victoriam, quae pugnam ſequuta eſt: at Paulus, non menſibus tantum, ſed annis plurimis in agone perdurans, tam clarus emicuit, non *terrae gleba ſaniem carnis eradens*, ſed in ipſius intelligibilis os leonis frequenter incurrens, & pugnans adverſus tentationes innumeras, omni erat lapide tolerantior, qui non a tribus aut quatuor amicis, ſed a cunctis infidelibus, a falſis etiam fratribus opprobria ſuſtinebat, conſputatus ab omnibus atque maledictus. Sed illius erat magna hoſpitalitas, & cura pauperum; nec nos quidem iſtud negamus: ſed Pauli eam liberalitate inferiorem docemus, & tanto inferiorem, quanto anima eſt corpus inferius. Quam enim ille curam impendebat carne debilibus, hanc iſte animâ morbidis exhibebat, nunc mentis ſenſibus claudicantes dirigendo in recti itineris inceſſum, nunc nuditate deformes ſtola coeleſtis philoſophiae veſtiendo. In corporalibus quoque beneficiis tanto ille ſuperabat, quanto eſt amplius in fame & egeſtate viventem indigentibus ferre praeſidium, quam id ipſum de divitiarum affluentia miniſtrare. Nam illius quidem *omni*

32. Ἔξω ὢν ἐνδίζοντο ξίφ[illegible]· a noſtro laudata T. II. p. 156. D. T. III. p. 559. D. *Euſebio* Dem. Ev. p. 16. B. *Gregorio Nazianz.* I. p. 183. A. — Quod hic ſequitur, ἡ περὶ τοὺς δεομένους κηδεμονία, redditur *cura pauperum:* in Cod. MS. eſt *cura parentum ſive pauperum:* quia τοὺς δεομένους reddere ſolet *indigentes*, hic forſan etiam dederat *indigentium*.

(39) Τὸν πενίᾳ συζῶντα] Hic ſcribi de Paulo non poterat

τοῖς δεομένοις, τοῦ ἐκ περιουσίας τοῦτο ποιεῖν· καὶ τοῦ μὲν ἡ οἰκία παντὶ ἐλθόντι ἀνέῳκτο, τοῦ δὲ ἡ ψυχὴ πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ ἥπλωτο, καὶ (40) ὁλοκλήρους δήμους ὑπεδέχετο. διὸ καὶ ἔλεγεν· οὐ στενοχωρεῖσθε ἐν ἡμῖν, στενοχωρεῖσθε δὲ ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν. καὶ ὁ μὲν, προβάτων αὐτῷ καὶ βοῶν ὄντων ἀπείρων, φιλότιμος περὶ τοὺς δεομένους ἦν· οὗτος δὲ, οὐδὲν πλέον κεκτημένος τοῦ σώματος, ἀπ' αὐτοῦ τούτου τοῖς δεομένοις ἐπήρκει, καὶ βοᾷ λέγων, ταῖς χρείαις μου καὶ τοῖς οὖσι μετ' ἐμοῦ ὑπηρέτησαν αἱ χεῖρες αὗται, τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος ἐργασίαν πρόσοδον τοῖς πεινῶσι καὶ λιμώττουσι κεκτημένος. ἀλλὰ οἱ σκώληκες καὶ τὰ τραύματα χαλεπὰς καὶ ἀκαρτερήτους παρεῖχον τῷ Ἰὼβ τὰς ὀδύνας; ὁμολογῶ κἀγώ· ἀλλ' ἐὰν ἐν τοσούτοις ἔτεσι τοῦ Παύλου μάστιγας, καὶ τὸν λιμὸν τὸν διηνεκῆ, καὶ τὴν γυμνότητα, καὶ τὰς ἁλύσεις, καὶ τὸ δεσμωτήριον, καὶ τοὺς κινδύνους, καὶ τὰς ἐπιβουλὰς, τὰς παρὰ τῶν οἰκείων, τὰς παρὰ τῶν ἀλλοτρίων, τὰς παρὰ τῶν τυράννων, τὰς παρὰ τῆς οἰκουμένης πάσης ἀντιθέσεις, καὶ μετὰ τούτων τὰ τούτων πικρότερα, λέγω δὴ τὰς

ὑπὲρ

erat ab *Aniano*, *in fame & nuditate viventem*; quam repoſui, vocem *egeſtate* praebuit MS. —— A *Ioanne* autem *Chryſ.* aeque ſcribi potuit, τῷ πενίᾳ συζῶντι· (quae varietas enotatur ex Cod. Reg.) quam quod vulgatur; hic tamen vulgatum praefero. Illud vero miror, in iſta ſplendida Edit. tam raras ex Codd. Regiis adnotatas legi ſcripturae varietates. —— Quae ſequuntur, ἡ οἰκία παντὶ ἐλθόντι ἀνέῳκτο: ſunt itidem ex Gr. verſ. *Iobi* c. XXXI, 32, niſi quod illic legitur, ἡ θύρα παντὶ ἐ. ά.

(40) Ὁλοκλήρους δήμους ὑπεδέχετο] Paulo liberius *Anianus*: *fidelium populos benigno* (ſic MS. pro *benigne*)

mitio-

omni advenienti aperiebatur domus, hujus vero anima univerſo patebat orbi, ac fidelium populos benigno mentis recipiebat hoſpitio, dicens, *non anguſtiamini in nobis, anguſtiamini autem in visceribus veſtris.* & ille quidem, cum oves & boves haberet innumeras, erat in pauperes liberalis: hic vero, nihil amplius corpore ſuo poſſidens, de hoc ipſo ſufficienter indigentibus miniſtrabat; quod alicubi ipſe commemorans, *Neceſſitatibus*, inquit, *meis & his qui mecum erant, miniſtraverunt manus iſtae:* corporis enim ſui operam velut ex quadam poſſeſſione fructus eſurientibus deputabat. Sed vermes videlicet, ac vulnera, ſaevos atque intolerabiles ſancto Iob inferebant dolores; & ego fateor: ſed ſi per tam multos annos Pauli verbera, & cum jugi fame etiam nuditatem, catenas, carcerem, inſidias, periculaque conſideres, quae a domeſticis, ab extraneis, a tyrannis, a toto poſtremo patiebatur orbe: addas (41) huc etiam his profecto amariora, id eſt, pro eis, qui labebantur, dolores, ſolicitudinem, quam pro

mentis recipiebat hoſpitio. — *Paulina* quae ſequuntur, ſunt in II Ep. ad *Cor* c. VI, 12. — Paulo poſt ex MS. in Latinis editum: *nihil amplius corpore ſuo poſſidens, de hoc ipſo* —— *indigentibus miniſtrabat:* pro *in hoc ipſo:* ἀπ' αὐτοῦ τούτου τοῖς δεομένοις ἐπήρκει. — verba tum ſequuntur *Pauli Lucanea* ex *Act. A.* c. XX, 34.

(41) Addas huc] Ex MS. prodiit, pro addas *haec.* — Paulo poſt in Latinis ſcriptum: *ferrum atque adamantem firmitate ſuperabat: firmitate* vulgatis ex Cod. interſertum; ſed ſuo loco relictum *perferens: perpetiens* frequentatur ab *Aniano.* Infra, τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω ſunt ex Ep. ad *Gal.* c. IV, 19.

ὑπὲρ τῶν πιπτόντων ὀδύνας, τὴν φροντίδα τῶν ἐκκλησιῶν πασῶν, τὴν πύρωσιν, ἣν ὑπὲρ ἑκάστου τῶν σκανδαλιζομένων ὑπέμενεν, ὄψει πῶς πέτρου στερροτέρα ἦν ἡ ταῦτα φέρουσα ψυχὴ, καὶ σίδηρον καὶ ἀδάμαντα ἐνίκα. ἅπερ οὖν ἐκεῖνος ἔπασχεν ἐν τῷ σώματι, ταῦτα οὗτος ἐν τῇ ψυχῇ· καὶ σκώληκος παντὸς χαλεπώτερον ἡ καθ' ἕκαστον τῶν σκανδαλιζομένων ἀθυμία διέτρωγεν αὐτοῦ τὴν ψυχήν· ὅθεν καὶ πηγὰς δακρύων ἠφίει διηνεκεῖς, οὐ τὰς ἡμέρας μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰς νύκτας, καὶ πάσης γυναικὸς ὠδινούσης δριμύτερον διεσπᾶτο καὶ καθ' ἕκαστον αὐτῶν· διὸ καὶ ἔλεγε, τεκνία μου οὓς πάλιν ὠδίνω.

Τίνα ἄν τις μετὰ τὸν Ἰὼβ ἐκπλαγείη; τὸν Μωϋσέα πάντως· ἀλλὰ καὶ τοῦτον ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντος (42) ὑπερηκόντισε· μεγάλα μὲν γὰρ αὐτοῦ καὶ τὰ ἄλλα, τὸ δὲ κεφάλαιον, καὶ ἡ κορωνὶς τῆς ἁγίας ψυχῆς ἐκείνης, ὅτι (43) ἐξαλειφθῆναι εἵλετο τῆς τοῦ θεοῦ βίβλου ὑπὲρ τῆς σωτηρίας τῶν Ἰουδαίων· ἀλλ' οὗτος μὲν συναπολέσθαι ἑτέροις ᾑρεῖτο· ὁ δὲ Παῦλος οὐ συναπολέσθαι, ἀλλ', ἑτέρων σωζομένων, αὐτὸς ἐκπεσεῖν τῆς δόξης τῆς ἀπεράντου· καὶ ὁ μὲν τῷ Φαραὼ,

ὁ

(42) Καὶ τοῦτον — ὑπερηκόντισε] Ab *Ariſtophane* adhibitum illud ὑπερηκόντισε frequentavit *Chryſoſt.* *Euſeb.* Praepar. Ev. p. 68. c. ποίαν οὐχ ὑπερηκόντισεν ὑπερβολὴν ἀσεβείας; in *Schol.* ad *Ariſtoph.* Plut. v. 178, *tyrannus* memoratur Βούσιρις ὑπερηκοντικώς· πολυμαθείᾳ πάντας ὑπερηκοντικότες ſunt in *Athenaei* argumento; cuius conf. L. VI. p. 225. A. VII. p. 295. F. ab optimis ſcriptoribus frequentius in hunc ſenſum adhibetur ὑπερηκοντικέναι. Ὑπερακοντίζειν comparat *I. F. Gronov.* cum lectione Codicum *Livii* XXXVIII, c. 58, *P. Africanum tantum* pa-

pro Eccleſiis omnibus, uſtionem, quam pro ſcandalizatis ſingulis perferebat, videbis quia omni erat ſaxo durior anima iſta perpetiens, & ferrum atque adamantem firmitate ſuperabat. quae enim Iob corpore, haec Paulus mente ſuſtinuit, quem omni ferme moleſtia de ſingulis quibusque labentibus moeſtitia conſumebat: unde & juges lacrymarum ex eo fontes non diebus ſolum ſed etiam noctibus effluebant, omnique muliere parturiente vehementius affligebatur in ſingulis, propter quod etiam dicebat; *Filioli mei, quos iterum parturio.*

Quem vero iam quiſpiam poſt Iob putet eſſe mirabilem? Moyſen profecto: ſed hunc etiam Paulus ſatis eminenti virtute tranſcendit. Cuius quidem multa ſunt alia praeclara; ſed caput ſanctae illius animae atque faſtigium eſt, quoniam pro Iudaeorum ſalute deleri elegit ex libro vitae: ſed Moyſes cum caeteris optavit perire; Paulus pro caeteris: non enim cum pereuntibus perire voluit, ſed, ut ſalvarentur alii, ipſe de gloriae aeternitate decidere; et ille quidem Pharaoni, hic autem diabolo quo-

paternas ſuperieciſſe laudes: ubi *ſuperaviſſe* eſt in Edd. — Hic vero *Anianum* ſcripſiſſe puto, non *ſatis*, ſed *magis eminente virtute transſcendit.*

(43) Ἐξαλειφθῆναι εἵλετο] Reſpicit, opinor Ep. ad *Rom.* c. IX, 3, ηὐχόμην — αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου. — ex iſtis, ἐξαλειφθῆναι εἵλετο τῆς τοῦ Θεοῦ βίβλου, voces τοῦ Θεοῦ non leguntur in Cod. Reg. & in Latinis *Aniani* haec tantum habet MS. *pro Iudaeorum ſalute deleri elegit e libro.* — ἡ βίβλος ζωῆς aliquoties legitur in N. F. nusquam ἡ τοῦ Θεοῦ βίβλος.

ὁ δὲ τῷ διαβόλῳ καθ' ἡμέραν ἐπύκτευε. καὶ ὁ μὲν ὑπὲρ ἑνὸς ἔθνους, ὁ δὲ ὑπὲρ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ἔκαμεν, οὐχ ἱδρῶτι, ἀλλὰ καὶ αἵματι ἀντὶ ἱδρῶτος πάντοθεν περιρρεόμενος, οὐχὶ τὴν οἰκουμένην μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν ἀοίκητον διορθούμενος, οὐχὶ τὴν Ἑλλάδα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν βάρβαρον.

Ἐνῆν καὶ (44) τὸν Ἰησοῦν εἰς μέσον παραγαγεῖν, καὶ τὸν Σαμουὴλ, καὶ τοὺς ἄλλους προφήτας· ἀλλ', ἵνα μὴ μακρότερον ποιῶμεν τὸν λόγον, ἐπὶ τοὺς κορυφαίους αὐτῶν βαδίσωμεν. ὅταν γὰρ τούτων φανῇ κρείττων, οὐδεμία περὶ τῶν ἄλλων ἀμφισβήτησις λείπεται. τίνες οὖν οἱ κορυφαῖοι; τίνες δὲ ἄλλοι μετὰ τούτους, ἢ ὁ Δαυὶδ, καὶ ὁ Ἡλίας, καὶ ὁ Ἰωάννης; ὁ μὲν τῆς προτέρας, ὁ δὲ τῆς δευτέρας πρόδρομος (45) τοῦ Κυρίου παρουσίας. διὸ καὶ τῆς προσηγορίας ἀλλήλοις ἐκοινώνησαν· τί οὖν τὸ ἐξαίρετον τοῦ Δαυίδ; ἡ ταπεινοφροσύνη, καὶ ὁ πρὸς θεὸν ἔρως. καὶ τίς μὲν μᾶλλον, τίς δὲ οὐχ ἧττον τῆς Παύλου ψυχῆς ἀμφότερα ταῦτα κατώρθωσε; τί δὲ τὸ θαυμαστὸν τοῦ Ἡλίου; ἆρα ὅτι τὸν οὐρανὸν ἔκλεισε, καὶ λιμὸν ἐπήγαγε, καὶ πῦρ κατήγαγεν; οὐκ ἔγωγε οἶμαι· ἀλλ' ὅτι ἐζήλωσεν ὑπὲρ τοῦ δεσπότου, καὶ (46) πυρὸς σφοδρότερος ἦν. ἀλλ' εἰ τὸν Παύλου ζῆλον ἴδοις, τοσοῦ-

τον

(44) Τὸν Ἰησοῦν] Etiam alibi *Ieſuam* ſic ſimpliciter dicit Ἰησοῦν, ut in Matth. T. VII. p. 23. B. τὸν Ναυῆ quem dicunt Alexandrini, hic etiam *Ieſum Nave* dedit *Anianus*; a cuius Codice, quo uſus ſum, ſcripto hic pagina integra aberat: ſequentis initium eſt in Orſ II. p. 485. C.

(45) Τοῦ Κυρίου] Articulo interiecto ſcribendum, πρόδρομος τῆς τοῦ Κυρίου παρουσίας.

(46) Καὶ πυρὸς σφοδρότερος ἦν] *Anianum* reddidiſſe ſuſpi-

quotidie repugnabat, et ille pro una tantum gente, iſte vero pro univerſo orbe certavit, non ſudore, ſed ſanguine vice ſudoris undique profluente: cum non ſolum habitabiles mundi partes, verum etiam deſerta ad cultum religionis adduceret, nec ſolum Graecorum populos, verum etiam barbarorum.

Poteram quidem et Ieſum Nave, et Samuelem, et alios prophetas in comparationem vocare: ſed, ne ſermonem faciam longiorem, ad ipſa eorum capita conſcendam. Cum enim iſtis excellentior apparuerit, nulla prorſus de aliis ambiguitas relinquetur. Quinam ergo eminentiores videntur? Quis poſt hos alius niſi David, et Helias, et Ioannes, quorum unus prioris, alter ſecundi eſt praecurſor adventus? propter quod etiam nominis communione conjuncti ſunt. Quid igitur in David praecipuum reperitur? ſine dubio humilitas, atque erga Deum fervens amor: et quis amplius, imo quis ita, ut anima Pauli, haec utraque complevit? admirandum autem in Helia ego minime reor, quia coelum clauſit, quia induxit famem, quia ignem de caelo ſermone compluit: ſed, quia zelavit pro Deo, erat in hoc mentis affectu ipſo igne vehementior. Sed ſi Pauli zelum diligenter

ſuſpicor, *eratque ipſo igne vehementior:* quodque interiacet, *in hoc mentis affectu*, alterius eſſe adſumentum, indicantis igne vehementiorem fuiſſe ζηλῶντα ὑπὲρ τοῦ δεσπότου. Paulo poſt, omiſſo *per*, Latina ſic legenda videntur: *quam gloriam Domini zelando dicebat.* — Quae iam ante poſui; verba *Pauli* proferuntur infra ex Ep. ad *Rom.* c. IX, 3. & his ſubiecta ex Ep. ad *Phil.* c. I, 24, τὸ ἐπιμεῖναι τῇ σαρκὶ, ἀναγκαιότερον δι' ὑμᾶς. ubi dant Edd. τὸ ἐπιμένειν ἐν τῇ σαρκί.

τον ὄψει κρατοῦντα, ὅσον ἐκεῖνος τῶν ἄλλων προφητῶν περιῆν. τί γὰρ ἂν γένοιτο τῶν ῥημάτων ἐκείνων ἴσον, ἅπερ ὑπὲρ τῆς τοῦ δεσπότου δόξης ζηλῶν ἔλεγεν, ὅτι ηὐχόμην ἀνάθεμα εἶναι ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου, τῶν συγγενῶν μου κατὰ σάρκα; διὰ τοῦτο τῶν οὐρανῶν αὐτῷ προκειμένων, καὶ τῶν στεφάνων, καὶ τῶν ἐπάθλων, ἔμελλε καὶ ἐβράδυνε λέγων, τὸ ἐπιμεῖναι τῇ σαρκὶ ἀναγκαιότερον δι' ὑμᾶς· διὰ τοῦτο οὐδὲ τὴν κτίσιν ταύτην τὴν ὁρωμένην, ἀλλ' οὐδὲ τὴν νοητὴν ἐνόμισεν ἀρκεῖν εἰς παράστασιν τῆς ἀγάπης καὶ τοῦ ζήλου, ἀλλὰ καὶ ἑτέραν οὐκ οὖσαν ἐζήτει, ὥστε ἐνδείξασθαι ὅπερ ἤθελε καὶ ἐπεθύμει.

Ἀλλ' ὁ Ἰωάννης ἀκρίδας ἤσθιε, καὶ μέλι ἄγριον; ἀλλ' οὗτος ἐν μέσῃ τῇ οἰκουμένῃ, καθάπερ ἐκεῖνος ἐν τῇ ἐρήμῳ, διετέλεσεν, ἀκρίδας μὲν καὶ μέλι ἄγριον οὐ σιτούμενος, πολὺ δὲ εὐτελεστέραν ταύτης παρατιθέμενος τράπεζαν, καὶ οὐδὲ τῆς ἀναγκαίας εὐπορῶν τροφῆς, διὰ τὴν ὑπὲρ τοῦ κηρύγματος σπουδήν· ἀλλὰ πολλὴν πρὸς τὸν Ἡρώδην οὗτος παῤῥησίαν ἐπεδείξατο· ἀλλ' οὗτος οὐχ ἕνα καὶ δύο καὶ τρεῖς, ἀλλὰ (47) μυρίους κατ' ἐκεῖνον ἐπεστόμισε, μᾶλλον δὲ καὶ πολλῷ χαλεπωτέρους ἐκείνου τοῦ τυράννου.

Λέ-

(47) *Μυρίους κατ' ἐκεῖνον ἐπεστόμισε.*] In proximis, ut eſt in Latinis *Aniani*, *imo longe illo ſaeviores tyrannos:* ſcriptum quoque olim videtur, μᾶλλον δὲ καὶ πολλῷ χαλεπωτέρους ἐκείνου τυράννους. — In iſtis, μυρίους κατ' ἐκεῖνον reddidit, *innumeros in ſimili poſitos poteſtate.* In Orat. IV. p. 499. *Studeamus & nos* κατ' ἐκεῖνον γενέσθαι, recte reddidit, *eius ſimiles inveniri*; & p. 500. E. γενέσθαι κατὰ Παῦλον, *Paulo ſimiles fieri*. T. VII. p. 112. A. κατὰ τὸν Ἡρώδην γενέσθαι. Is uſus praepoſitionis κατὰ, quo *ſimi-*

ter inſpicias, tanto eum invenias celſiorem, quanto ille prophetis caeteris eminebat. quid enim verbis illis reperietur aequale, per quae gloriam Domini zelando dicebat: *Quoniam optabam ego anathema eſſe pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem?* Propterea caelis ſibi propoſitis ac praemiis et coronis tardavit ac diſtulit dicens: *Permanere autem in carne neceſſarium eſt propter vos.* Propterea non ſolum iſtam, quae cernitur, ſed illam quoque quae intelligitur creaturam, nequaquam ſufficere ſibi credidit ad oſtendendum zelum et caritatem, qua ardebat in Chriſtum: ſed etiam aliam, quae non eſt, ſermone formavit, ut quod tota voluntate cupiebat exprimeret.

Sed Iohannes in cibum locuſtas, et mel ſylveſtre ſumebat: at Paulus ita in mundi ſtrepitu, quemadmodum ille in eremi quiete verſatus eſt: non quidem paſtus locuſtis et melle ſylveſtri, ſed multo his victu viliore contentus, ac ne neceſſario quidem indulgens cibo, prae fervore et ſtudio praedicandi. Verum illius adverſus Herodem apparuit magna conſtantia: at iſte non unum, aut duos, aut tres, ſed innumeros in ſimili poſitos poteſtate corripuit, imo longe illo ſaeviores tyrannos.

Re-

ſimilitudo ſignificatur, elegantior ſaepe minus fuit intellectus: *Herodot.* I, c. 121. πατέρα καὶ μητέρα εὑρήσεις οὐ κατὰ Μιτραδάτην τε τὸν βουκόλον καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, ſed multo nobiliores. II, c. 10, ἄλλοι ποταμοὶ οὐ κατὰ τὸν Νεῖλον ἐόντες, — *flumina quae cum Nilo comparari non poſſunt.* III, c. 122. *Dion. Chryſ.* Or. LXXIV. pag. 644. C. ὁ κοινὸς ἁπάντων (πατὴρ) οὐ κατὰ Δάχυλα ὤν, οὐδὲ κατὰ Σίμωνα. In Graeca verſione *Iobi* c. I, 8, Codex dat Vatic. οὐκ ἔστι κατ' αὐτὸν ἐπὶ τῆς γῆς ἄνθρωπος: ex Alex.

pro-

Λείπεται πρὸς τοὺς ἀγγέλους αὐτὸν ἐξετάσαι (48) λοιπόν. διόπερ ἀφέντες τὴν γῆν, πρὸς τὰς τῶν οὐρανῶν ἀναβησόμεθα ἁψῖδας, ἀλλὰ μηδεὶς τόλμαν καταγινωσκέτω τοῦ λόγου.

Εἰ γὰρ καὶ τὸν Ἰωάννην ἄγγελον ἐκάλεσεν ἡ γραφὴ, καὶ τοὺς ἱερέας, τί θαυμαστὸν, εἰ τὸν ἁπάντων ἀμείνω ταῖς δυνάμεσι παραβάλλομεν ἐκείναις; τί οὖν ἐστιν ἐκείνων (49) τὸ μέγα; τὴν μετὰ πάσης ἀκριβείας ὑπακούουσι τῷ Θεῷ· ὅπερ καὶ ὁ Δαυὶδ ἐκπληττόμενος ἔλεγε, δυνατοὶ ἰσχύϊ, ποιοῦντες τὸν λόγον αὐτοῦ. τούτου γὰρ ἴσον οὐδὲν, κἂν μυριάκις ὦσιν ἀσώματοι· τὸ γὰρ μάλιστα ποιοῦν τούτους μακαρίους, τοῦτό ἐστιν, ὅτι πείθονται τοῖς προστάγμασιν, ὅτι οὐδαμοῦ παρακούουσι. τοῦτο τοίνυν καὶ ὑπὸ τοῦ Παύλου μετὰ ἀκριβείας ἐστὶν ἰδεῖν φυλαττόμενον· οὐ γὰρ δὴ τὸν λόγον αὐτοῦ ἐποίησε μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ προστάγματα, καὶ ὑπὲρ τὰ προστάγματα· καὶ τοῦτο δηλῶν ἔλεγε· (50) τίς οὖν μοί ἐστιν ὁ μισθὸς, ἵνα εὐαγγελιζόμενος ἀδάπανον θήσω τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ; τί ἕτερον θαυμάζων αὐτοὺς ὁ προφήτης ἔλεγεν; ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, φησὶ, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πῦρ φλέγον.

ἀλλὰ

prodiit iſtius formulae interpretatio, οὐκ ἔστιν ὅμοιος αὐτῷ. utraque coaluit in cap. II, 3.

(48) λοιπὸν] Vel hoc abiiciendum eſt, vel λείπεται· nam in eadem ſede non bene conveniunt: λείπεται πρὸς τοὺς ἀγγέλους αὐτὸν ἐξετάσαι λοιπόν. Pro. λείπεται, *reliquum eſt*, ſic etiam adhibentur ἀπολείπεται & καταλείπεται. quorum hoc *Callicratidae* reſtituendum eſt in *Stobaei* Eclog. Phyſ. p. 45. v. 52.

(49) τὸ μέγα] Recte interpretatur *An. magnificum.* quod *a Virgil.* in Aen. X, 547, *aliquid magnum*, μέγα τι dicitur a Graecis: *T. II.* in *Lucian.* T. I. p. 39.

Vt

Reſtat ut Paulum jam angelis comparemus; ideoque relinquentes terram ad caelorum faſtigia transeamus; ſed nullus ſermonis noſtri accuſet audaciam.

Si enim Joannem et ſacerdotes Dei ſcriptura angelos nominavit; quid mirum, ſi praeſtantiorem omnibus Paulum illis virtutibus conferamus: quid ergo eſſe in angelis magnificum judicamus? profecto quia cum omni cura obediunt Deo; quod David quoque admirando dicebat: *Potentes virtute, facientes verbum illius.* huic enim bono nihil prorſus aequale eſt, etiamſi ſint millies incorporei: hoc eſt enim, quod maxime praeſtat eos beatos, quia obediunt praeceptis Dei, quia eum in nullo aliquando contemnunt. Hoc igitur et in Paulo plene animadverti poteſt cum omni diligentia et cautione ſervatum. Non autem ſolum ſermonem ejus implevit, verum etiam praecepta ſupraque praecepta: hoc quoque declarans, ait: *Quae eſt ergo merces mea, ut euangelium praedicans ſine ſumtu ponam euangelium Dei?* Quid vero aliud in angelis propheta miratur? *qui facit*, inquit, *ange-*

Vt a *Callim.* Epigr. VI, Κρεωφύλῳ, Ζεῦ φίλε, τοῦτο μέγα, frequenter μέγα ſic ab aliis adhibetur; ex. gr. a *Xenophonte* p. 246, 35. p. 375, 29. *Herodoto* L. VII, c. 38. —— verba *Davidis* paulo poſt citata ſunt in *Pſ.* CII, 20. quae his ſubiecta ſunt, ὅτι οὐδαμοῦ παρακούουσι· *quod nunquam ſunt immorigeri*, verbo minus apto reddidit *Anianus.*

(50) τίς οὖν μοι] In Ep. I. ad *Cor.* c. IX, 18. — Prophetae verba ſunt *Pſ.* CIII, 4. ubi Codicis Vatic. lectio, πῦρ φλέγον, iterum firmatur a *Chryſ.* cui ex Alex. πυρὸς φλόγα ſubſtituerunt, quod praebet Epiſt. ad *Hebr.* c. I, 7.

* * *

ἀλλὰ καὶ τοῦτο ἐπὶ Παύλου ἐστὶν ἰδεῖν· καθάπερ γὰρ πνεῦμα, καὶ πῦρ, οὕτω τὴν οἰκουμένην διέδραμεν ἅπασαν, καὶ τὴν γῆν ἐξεκάθηρεν. ἀλλ' οὔπω τὸν οὐρανὸν ἔλαχε· τὸ γὰρ θαυμαστὸν τοῦτο, ὅτι ἐν τῇ γῇ τοιοῦτος ἦν, καὶ, σῶμα θνητὸν περικείμενος, πρὸς τὰς ἀσωμάτους ἡμιλλᾶτο δυνάμεις.

Πόσης οὖν οὐκ ἂν εἴημεν καταγνώσεως ἄξιοι, ὅταν, ἑνὸς ἀνθρώπου πάντα (51) συνειληχότος ἑαυτῷ τὰ καλὰ, ἡμεῖς οὐδὲ τὸ πολλοστὸν μέρος μιμήσασθαι αὐτὸν σπουδάζωμεν; ταῦτ' οὖν ἐννοήσαντες καὶ τῆς κατηγορίας ἑαυτοὺς ἀπαλλάξωμεν, καὶ σπουδάσωμεν πρὸς τὸν ἐκείνου ζῆλον ἐλθεῖν, ἵνα δυνηθῶμεν καὶ τῶν αὐτῶν ἀγαθῶν ἐπιτυχεῖν, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

TOY

(51) Συνειληχότος] Recte *Anian. uno homine bona omnia in ſe congregante.* Sed *ſimul ſortitus* συνειληχὼς, *qui collegit* Attice dicitur Συνειλοχώς· corrigendumque adeo hic eſt συνειλοχότος, forma tamen iſta Attica noſtris in libris paulo rarior eſt, & ab Editoribus, ut ſuſpicor, ſaepius obliterata. Attica ſunt εἴλοχα· ἐξείλοχα· κατείλοχα· συνείλοχα· *Thomas Mag.* Ἐξείλοχεν, οὐκ ἐκλέλοχε· in *Luciani* Soloc. T. III. p. 563, ἑτέρου εἰπόντος Ἐκλελοχότας, διπλασιάζεις, ἔφη, τοὺς Ἐξειλοχότας· vid. ad *Thomam* Cl. *T. H.* Apud *Suidam* in v. Ἀγάπιος legitur, χρήματα μεγάλα συνείλοχεν· *magnas opes collegit.*

Συ-

angelos ſuos ſpiritus et miniſtros ſuos ignem urentem. Sed hoc etiam in Paulo poſſumus invenire, qui velut ignis ac ſpiritus totum terrarum percurrit orbem, percurrendoque purgavit. Sed necdum caelum iſte ſortitus eſt; et hoc omnino mirabile: quia talis verſabatur in terris, et, mortali adhuc carne circumdatus, cum incorporalium poteſtatum virtute certabat.

Quanta ergo ſumus condemnatione digni, cum, uno homine bona omnia in ſe congregante, ne minimam quidem eorum partem ſtudemus imitari? haec aſſidue mente volventes, et nos ipſos inculpabiles praebeamus, et ad illius zelum ſtudeamus accedere, ut ad eadem bona pervenire mereamur, gratia ac miſericordia domini noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt gloria et imperium in ſaecula ſaeculorum. amen.

EIVS.

Συνειλοχὼς & συνειλοχότες *Demoſtheni* reddendum, & *Philoſtrato*, quod non animadvertit *Toupius* Em. in *Suid.* III. p. 105. meminit *Plutarchus* in M. Bruto p. 998. A. τῶν χρημάτων ἃ πολλὰ συνειλόχει Κάσσιος. *Pauſanias* L. X. p. 857. med. inter Graeciae veteris ſapientes *Plato* Μύσωνα κατείλοχε τὸν Χηνέα· ſic recte correxerunt illic viri Docti vocem vulgatam; &, ne quis dubitet de forma Attica, dat eamdem *Pauſan.* p. 883. fine. Ἡρόδοτος, καταλέγων τὰς πόλεις, — καὶ Παραποταμίους κατειλόχειν ἐν αὐταῖς.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΓΙΟΝ ΑΠΟΣΤΟΛΟΝ ΠΑΥΛΟΝ

Λόγος δεύτερος.

Τί ποτέ ἐστιν ἄνθρωπος, καὶ ὅση τῆς φύσεως τῆς ἡμετέρας ἡ εὐγένεια, καὶ ὅσης ἐστὶ δεκτικὸν ἀρετῆς τουτὶ τὸ ζῶον, ἔδειξε μάλιστα πάντων ἀνθρώπων ὁ Παῦλος. (52) καὶ νῦν ἕστηκεν, ἐξ οὗ γέγονε, λαμπρᾷ τῇ φωνῇ πρὸς ἅπαντας τοὺς ἐγκαλοῦντας ἡμῶν τῇ κατασκευῇ ἀπολογούμενος ὑπὲρ τοῦ δεσπότου, καὶ (53) προτρέπων ἐπ' ἀρετῇ, καὶ τὰ ἀναίσχυντα τῶν βλασφήμων ἐμφράττων στόματα, καὶ δεικνὺς ὅτι ἀγγέλων καὶ ἀνθρώπων (54) οὐ πολὺ τὸ μέσον, ἐὰν ἐθέλωμεν προσέχειν ἑαυτοῖς· οὐ γὰρ ἄλλην φύσιν λαχὼν, οὐδὲ ἑτέρας κοινωνήσας ψυχῆς, οὐδὲ ἄλλον οἰκήσας κόσμον, ἀλλ', ἐν τῇ αὐτῇ γῇ καὶ χώρᾳ καὶ νόμοις καὶ ἔθεσι τραφεὶς, πάντας ἀνθρώπους ὑπερηκόντισε τοὺς ἐξ οὗ γεγόνασιν ἄνθρωποι γενομένους· ποῦ

τοί-

(52) Καὶ νῦν ἕστηκεν, ἐξ οὗ γέγονε] Horum certe vim Latinus non expreſſit Interpres; ſed, duabus literis repetitis, legerem: ὃς καὶ νῦν ἕστηκεν, ἐξ οὗ γέγονε, λαμπρᾷ τῇ φωνῇ —— ἀπολογούμενος ὑπὲρ τοῦ δεσπότου· *qui, a quo tempore fuit, & nunc etiam ſtat —— clara voce cauſam dicens pro domino:* Illud, λαμπρᾷ τῇ φωνῇ, *voce ſonora*, vel *clara*, cum ſemel dixiſſet Demoſthenes Or. de Falſa Leg. p 244. ſ. 360 arripuerunt Sophiſtae: habet illud *Philoſtratus* de V. Soph. II. p 577, 2, & in Heroicis p. 704. f. ſed idem reſtituendum eſt de V. Apoll. III, c. 37, ἐπαινεσάντων καὶ τῶν ἄλλων πρώτῃ φωνῇ τὰ εἰρημένα. dubium non eſt quin corrigi debeat, λαμπρᾷ τῇ φωνῇ. —— ipſe Noſter *Io. Chryſ.* T. VII. in Matth. p. 142.

IN LAVDEM

S. APOSTOLI PAVLI,

Aniano interprete,

ORATIO II.

Quid ſit homo & quanta naturae noſtrae nobilitas, quantaeque capax virtutis hoc ſit animal, vel praecipue ex omnibus Paulus oſtendit, qui nunc ſtetit adverſus criminationes humanae creaturae, clariſſima pro domino voce reſpondens, cohortans ad ſtudia virtutis, & impudentiſſima blaſphemantium ora concludens; docens quoque, quod inter Angelos hominesque non grande ſit medium, ſi tamen nos ipſos diligentius excolamus. Non enim aliam ille eſt ſortitus naturam, nec diſſimilem nactus animam, neque alterum habitans mundum, ſed in eadem terra, eademque regione, ſub eisdem etiam legibus nutritus & moribus, cunctos qui vel nunc ſunt homines, vel fuerunt, altius virtute tranſcendit. Vbi igitur illi nunc ſunt, qui

142. A. ἀνακηρύττει λαμπρᾷ τῇ φωνῇ. —— Λαμπροφωνίην iam dixit *Herodotus* VI, c. 60. Λαμπροφωνεύεσθαι dat *Moeris Att.* in Λαρυγγίζειν. Λαμπροφωνότατος eſt apud *Demoſthenem*.

(53) Προτρέπων ἐπ' ἀρετῇ] Vſus poſtulat ἐπ' ἀρετήν. recte *Anian. cohortans ad ſtudia virtutis.*

(54) Οὐ πολὺ τὸ μέσον] Oſtendere ſuo *Paulus* dicitur exemplo, Angelos inter & homines *non magnum eſſe discrimen:* πολὺ τὸ μέσον, legitur Or. IV. in laud. *Pauli* p. 496. D. & in *Matth.* T. VII. p. 30. B. Non recentiores tantum, quod putaſſe videtur *Abreſchius* in Lect. *Ariſtaen.* p. 249, ſed iam veteres τὸ μέσον ſic adhibuerunt. *Herodot.* I, c. 126, οἱ δὲ ἔφασαν πολλὸν εἶναι ad-

τοίνυν οἱ λέγοντες, ὅτι δύσκολον ἡ ἀρετή, καὶ εὔκολον ἡ κακία; οὗτος γὰρ ἀντιφθέγγεται τούτοις, λέγων, τὸ (54) παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται· εἰ δὲ τοιαῦται θλίψεις ἐλαφραί, πολλῷ μᾶλλον αἱ οἴκοθεν ἡδοναί· καὶ οὐ τοῦτο μόνον ἐστὶν αὐτοῦ τὸ θαυμαστόν, ὅτι περιουσίᾳ τῆς προθυμίας οὐδὲ ᾐσθάνετο τῶν πόνων τῶν ὑπὲρ τῆς ἀρετῆς, ἀλλ' ὅτι οὐδὲ ἐπὶ μισθῷ ταύτην μετῄει, ἡμεῖς μὲν γὰρ οὐδὲ μισθῶν προκειμένων ἀνεχόμεθα τῶν ὑπὲρ αὐτῆς ἱδρώτων· ἐκεῖνος δὲ καὶ χωρὶς τῶν ἐπάθλων αὐτὴν (55) ἠσπάζετο καὶ ἐφίλει, καὶ τὰ δοκοῦντα αὐτῆς εἶναι κωλύματα μετὰ πάσης ὑπερήλατο τῆς εὐκολίας· καὶ οὐ σώματος ἀσθένειαν, οὐ πραγμάτων [illegible]στασιν, οὐ φύσεως τυραννίδα, οὐκ ἄλλο οὐδὲν [illegible]ετο· καίτοι καὶ στρατηγῶν καὶ βασιλέων ἁπάντων τῶν ὄντων ἐπὶ γῆς μείζονα φροντίδα ἐγχειρισθείς.

Ἀλλ' ὅμως καθ' ἑκάστην ἤκμαζε τὴν ἡμέραν, καὶ τῶν κινδύνων ἐπιτεινομένων αὐτῷ, νεαρὰν ἐκέκτητο τὴν προθυμίαν· καὶ τοῦτο δηλῶν ἔλεγε, (56) τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπ-

ἐκτει-

αὐτίων τὸ μέσον. IX, c. 81, ὡς δὲ τῆς θοίνης ποιηθείσης ἦν πολλὸν τὸ μέσον. permutatur ab *Ariſtide* cum iſta, πολὺ τὸ μέσον, haec quoque formula: τὸ διάφορον οὐ μικρὸν ἦν.

(54) Τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν] *Paulina* ſunt ex II Ep. ad *Cor* IV, 17.

(55) Αὐτὴν ἠσπάζετο καὶ ἐφίλει] Nemo, opinor, frequentius, iſta duo ſic iunctim poſuit, ἀσπάζεσθαι καὶ φιλεῖν, quam *Plato:* exempla dabit eius Apolog. Socr. T. I. p. 29. C. Lyſis T. II. p. 217. B. ubi legitur

διὰ

qui vitia in proclivi, virtutem in arduo collocarunt. Hic enim palam illis repugnat, dicens: *Quod enim in praeſenti momentaneum eſt ac leve tribulationis noſtrae, ſupra modum in ſublimitate aeternum in nobis gloriae pondus operatur.* Si autem hujusmodi tribulationes inveniuntur leves, quanto magis hae quae ſunt in nobis voluptates? Neque vero hoc ſolum in illo mirabile eſt, quod prae abundantia devotionis quodammodo non ſenſit dolores pro virtute ſusceptos: ſed etiam quod virtutem ipſam pro mercede non ſuscepit. Nam nos quidem pro ea nec propoſita mercede certamus, quam ille complectens etiam ſine praemio diligebat, cuncta illa, quae aſperitate ſui videntur impedire virtutem, cum omni magnanimitate perpetiens: qui neque infirmitatem corporis, neque multitudinem circumſtantium undique negotiorum, neque tyrannidem naturae, neque quidquam aliud omnino cauſatus eſt: cum utique major illi, quam cunctis & militiae principibus & regibus terrae, eſſet cura commiſſa.

Sed quotidie celſior, quotidie aſſurgebat ardentior, & intentis ſibi periculis nova ſemper alacritate pugnabat, idque ſignificans dicebat: *Earum quae retro obliviscens, in ea vero quae*

διὰ νόσον ἰατρικὴν ἀσπάζεσθαι καὶ φιλεῖν. L. V. de Rep. p. 479. E. L. X. de Rep. p. 607. A. L. III. de LL. p. 689. A. *amice* aliquem *complecti* a quibusvis Atticis Scriptoribus dicitur Ἀσπάζεσθαι.

(56) Τῶν μὲν ὀπίσω] Legitur in Ep. ad *Philipp.* c. III, 13, τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος· ubi ex uno tantum Cod. τῶν legitur enotatum: qua etiam ſtructura proſtat Ἐπιλανθάνεσθαι in Ep. ad *Hebr.* c. VI, 10. & c. XIII. 2. —— Ex eadem Ep. ad *Philipp.* c. II, 18.

 iſta

ἐκλεινόμενος. καὶ, θανάτου προσδοκωμένου, εἰς κοινωνίαν τῆς ἡδονῆς ταύτης ἐκάλει λέγων, χαίρετε καὶ συγχαίρετέ μοι· καὶ, κινδύνων ἐπικειμένων, καὶ ὕβρεων, καὶ ἀτιμίας ἁπάσης, ἐσκίρτα πάλιν, καὶ Κορινθίοις ἐπιστέλλων ἔλεγε, διὸ καὶ εὐδοκῶ ἐν ἀσθενείαις, ἐν ὕβρεσιν, ἐν διωγμοῖς· καὶ ὅπλα δὲ αὐτὰ δικαιοσύνης ἐκάλεσε, δεικνὺς ὅτι καὶ ἐντεῦθεν τὰ μέγιστα ἐκαρποῦτο, καὶ (57) τοῖς ἐχθροῖς πάντοθεν ἀχείρωτος ἦν. καὶ, πανταχοῦ μαστιζόμενος, ὑβριζόμενος, λοιδορούμενος, ὥσπερ ἐν θριάμβοις ἐμπομπεύων, καὶ τὰ τρόπαια συνεχῆ πανταχοῦ γῆς ἱστὰς, οὕτως ἐκαλλωπίζετο, καὶ χάριν ὡμολόγει τῷ θεῷ λέγων· χάρις δὲ τῷ θεῷ τῷ πάντοτε θριαμβεύοντι ἡμᾶς· καὶ τὴν ἀσχημοσύνην καὶ τὴν ὕβριν τὴν διὰ τὸ κήρυγμα μᾶλλον, ἢ ἡμεῖς τὴν τιμὴν, ἐδίωκε, καὶ τὸν θάνατον, ἢ ἡμεῖς τὴν ζωὴν, καὶ τὴν πενίαν, ἢ τὸν πλοῦτον ἡμεῖς, καὶ τοὺς πόνους μᾶλλον, ἢ τὰς ἀνέσεις ἕτεροι, καὶ οὐχ ἁπλῶς μᾶλλον, ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον, καὶ τὸ λυπεῖσθαι πλέον, ἢ τὸ χαίρειν ἕτεροι, τὸ ὑπερεύχεσθαι τῶν ἐχθρῶν μᾶλλον, ἢ τὸ κατεύχεσθαι ἕτεροι· καὶ ἀντέστρεψε τῶν πραγμάτων τὴν τάξιν, μᾶλλον δὲ ἡμεῖς ἀντεστρέψαμεν· ἐκεῖνος δὲ, ὥσπερ ὁ θεὸς ἐνομοθέτησεν, οὕτως

iſta ſunt, χαίρετε καὶ συγχαίρετέ μοι. — quaeque ſequuntur διὸ καὶ εὐδοκῶ ἐν ἀσθενείαις —— ex II Ep. ad *Cor.* XII, 10 ſed abeſt illinc interiectum καί. — ὅπλα δικαιοσύνης dixit in Ep. ad *Rom.* c. VI, 13. & in II Ep. ad *Cor.* c. VI, 7.

(57) Τοῖς ἐχθροῖς πάντοθεν ἀχείρωτος ἦν] Hic in exemplari Graeco plura videtur *Anianus* inveniſſe vulgatis: prae-

quae priora ſunt extendens me, qui, cum ſibi jam mortem imminentem videret, ad communionem delectationemque gaudii alios provocabat, dicens: *Gaudete, & congratulamini mihi:* ac periculis, injuriis, opprobriisque propoſitis, rurſus exſultat, &, Corinthiis ſcribens, ait: *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in perſequutionibus.* Cum utique haec ipſa eſſe diceret arma juſtitiae, oſtendens hinc ſibi fructum maximum provenire. Itaque, cum inter medias inimicorum verſaretur inſidias, ovans tamen de omni earum referebat impugnatione victorias, & ubique caeſus verberibus, affectus injuriis atque maledictis, quaſi triumphales pompas ageret, crebra tropaea ſtrueret, gloriabatur, gratiasque referebat Deo, dicens: *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos.* Itaque ad confuſionem & injurias, quas ob praedicandi ſtudium ſuſtinebat, magis quam nos ad honorum oblectamenta, properabat, mortem potius, quam nos vitam, appetens: paupertatem, quam opulentiam; & multo amplius laborem deſiderans, quam alii requiem poſt laborem; ac moerorem magis eligens, quam alii voluptatem; ſtudioſius pro inimicis orans, quam alii adverſus inimicos. Converterat enim ordinem rerum: imo nos eum vere pervertimus. Ab illo autem ſic cu-

ſto-

praeter iſta enim, quae poſui, nihil adeſt quod his reſpondeat: *Itaque, cum inter medias inimicorum verſaretur inſidias, ovans tamen de omni eorum referebat impugnatione victorias.* — Paulo poſt iſta, χάρις δὲ τῷ Θεῷ τῷ πάντοτε θριαμβεύοντι ἡμᾶς, ſunt ex II Ep. ad *Cor.* c. II, 14. quo illud modo ceperit *Chryſ.* ſatis oſtendunt antecedentia ὥσπερ ἐν θριάμβοις ἐμπομπεύων· *quaſi triumphales pompas ageret: Anianus.*

οὕτως αὐτὴν ἐφύλαττε. ταῦτα μὲν γὰρ κατὰ φύσιν ἅπαντα, ἐκεῖνα δὲ τοὐναντίον. τίς τούτων ἀπόδειξις; Παῦλος, ἄνθρωπος ὤν, καὶ τούτοις ἐπιτρέχων μᾶλλον ἢ ἐκείνοις.

Ἐν τούτῳ φοβερὸν ἦν μόνον καὶ φευκτὸν, τὸ προσκροῦσαι θεῷ, ἕτερον δὲ οὐδέν· ὥσπερ οὖν οὐδὲ ποθεινὸν ἄλλο τι, ὡς τὸ ἀρέσαι θεῷ· καὶ οὐ λέγω τῶν παρόντων οὐδὲν, ἀλλ' οὐδὲ τῶν μελλόντων· μὴ γάρ μοι πόλεις εἴπῃς, καὶ ἔθνη, καὶ βασιλεῖς, καὶ στρατόπεδα, καὶ ὅπλα, καὶ χρήματα, καὶ σατραπείας, καὶ δυναστείας, οὐδὲ γὰρ (58) ἀράχνην ταῦτα εἶναι ἐνόμισεν. ἀλλ' αὐτὰ τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τίθει, καὶ τότε αὐτοῦ ὄψει τὸν σφοδρὸν ἔρωτα τὸν πρὸς τὸν Χριστόν. οὕτως γὰρ πρὸς ἐκεῖνο τὸ φίλτρον, οὐκ ἀγγέλων ἀξίαν ἐθαύμασεν, οὐκ ἀρχαγγέλων, οὐκ ἄλλο τοιοῦτον οὐδέν. τὸ γὰρ ἁπάντων μεῖζον εἶχεν ἐν ἑαυτῷ, τὸν τοῦ Χριστοῦ ἔρωτα, καὶ μετὰ τούτου πάντων ἑαυτὸν μακαριώτερον εἶναι ἐνόμισε· καὶ τούτου χωρὶς οὐδὲ τῶν κυριοτήτων, οὐδὲ τῶν ἀρχῶν καὶ τῶν ἐξουσιῶν γενέσθαι ηὔχετο, ἀλλὰ μετὰ τῆς ἀγάπης ταύτης ἐν ἐσχάτοις εἶναι ἐβούλετο μᾶλλον, καὶ τῶν κολαζομένων, ἢ ταύτης χωρὶς τῶν ἄκρων, καὶ τῶν τιμωμένων· κόλασις γὰρ ἐκείνῳ μία, τὸ τῆς ἀγάπης ταύτης ἀποτυχεῖν· τοῦτο αὐτῷ γέεννα, τοῦτο τιμωρία, τοῦτο μυρία κακά· ὥσπερ

καὶ

(58) Οὐδὲ γὰρ ἀράχνην ταῦτα εἶναι ἐνόμισεν.] *An. haec enim ille aranearum fila reputavit* : ſaepius dicuntur ἀράχνια, quam ἀράχνη. vid. tamen *Ammon.* in Ἀράχνη. à *Baſilio M.* I. p. 55. F. dicta ἀράχνια ὑφάσματα· ſimpliciter dicuntur ἀράχνια a *Xenoph.* Ἀπομνημ. III. p. 456,

ſtoditus eſt, quemadmodum a Deo fuerat inſtitutus. Illa enim omnia, quae appetebantur a Paulo, naturae congrua: haec vero, quae idem ille fugiebat, contraria iudicantur. unde iſtud probari poteſt? Homo enim cum eſſet Paulus; ad illa tamen magis, quam ad iſta currebat.

Unum enim illi formidandum erat atque metuendum, offenſa nimirum Dei, nec quidquam aliud omnino. Ergo nec deſiderabile illi aliud erat, niſi placere ſemper Deo. Non dico quia nihil praeſentium deſiderabat, ſed nec ipſorum aliquid futurorum. Non enim mihi dicas urbes & gentes, exercitus, provincias, pecunias, poteſtates: haec enim ille aranearum fila reputavit: ſed ea ipſa pone, quae promittuntur in caelis, & tunc ejus ardentem in Chriſto amorem videbis. Hic ſiquidem prae illius dulcedine, non Angelorum, non Archangelorum admiratus eſt dignitatem, nec quidquam horum ſimile concupivit. Quod enim erat majus omnibus, Chriſti amore fruebatur; cum hoc beatiorem ſe cunctis putabat, ſine hoc autem neque dominatuum, neque principatuum ſocius eſſe cupiebat; ſed cum hac dilectione magis eſſe extremus optabat, imo etiam ex numero punitorum, quam ſine hac inter ſummos & honore ſublimes. Hoc enim erat illi maximum & ſingulare tormentum, ab hac caritate diſcedere: haec illi erat gehenna, haec ſola poena, haec

p. 456, 26. *Themiſtio* Or. XVIII. p. 221. B. *Theocritus* Eid. XVI, 96, — ἀράχνια δ' εἰς ὅπλ' ἀράχναι λεπτὰ διαστήσαιντο. Sed in iſtis loquendi formulis, qualem dat *Chryſ.* nec ἀράχνιον neque ἀράχνια adhibent Graeci, ſed alia, quae collegit *Pierſonus* ad *Moerin Att.* p. 330, 331.

καὶ ἀπόλαυσις, τὸ ταύτης ἐπιτυχεῖν· τοῦτο ζωή, τοῦτο κόσμος, τοῦτο ἄγγελος, τοῦτο παρόντα, τοῦτο μέλλοντα, τοῦτο βασιλεία, τοῦτο ἐπαγγελία, τοῦτο τὰ μυρία ἀγαθά. Ἕτερον δὲ οὐδὲν τῶν μὴ (59) φερόντων ἐνταῦθα, οὐδὲ λυπηρόν, οὐδὲ ἡδὺ εἶναι ἐνόμιζεν. ἀλλ' οὕτω κατεφρόνει τῶν ὁρωμένων πάντων, ὡς τῆς κατασηπομένης βοτάνης· τύραννοι δὲ αὐτῷ καὶ δῆμοι θυμοῦ πνέοντες κώνωπες εἶναι ἐδόκουν.

Θάνατος δὲ αὐτῷ καὶ τιμωρίαι καὶ μυρίαι κολάσεις, παίδων ἀθύρματα· πλὴν εἴ ποτε διὰ τὸν Χριστὸν ὑπέμενε· τότε γὰρ καὶ ταῦτα ἠσπάζετο, καὶ εἰς τὴν ἅλυσιν οὕτως ἐκαλλωπίζετο, ὡς οὐδὲ τὸ διάδημα Νέρων ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχων· καὶ τὸ δεσμωτήριον δὲ ᾤκει, ὡς αὐτὸν τὸν οὐρανόν, καὶ τραύματα καὶ μάστιγας ἐδέχετο ἥδιον τῶν τὰ βραβεῖα ἁρπαζόντων· καὶ τοὺς πόνους ἐφίλει τῶν ἐπάθλων οὐχ ἧττον, ἔπαθλον τοὺς πόνους εἶναι νομίζων. διὰ τοῦτο καὶ (60) χάριν αὐτοὺς ἐκάλει. σκόπει δέ· ἔπαθλον ἦν, τὸ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι, τὸ δὲ ἐπιμεῖναι τῇ σαρκί, ὁ ἀγὼν οὗτος· ἀλλ' ὅμως τοῦτο μᾶλλον αἱρεῖται ἐκείνου,

καὶ

(59) Οὐδὲν τῶν μὴ φερόντων ἐνταῦθα] *Nihil eorum, quae huc non ſpectarent, vel triſte vel iucundum arbitrabatur.* dediſſe videtur *Anianus: Praeter haec vero nihil in triſtium [vel iucundorum] parte ponebat.* Scribi quoque potuerat, τῶν μὴ φερόντων εἰς vel πρὸς τοῦτο. Hoc modo φέρειν & de aliis rebus adhibetur, & de portentis vel oraculis huc vel illuc ſpectantibus: *Herodot.* VII, c. 137, ἐπῆλθέ οἱ αὐτίκα, ὡς εἴη τέρας καὶ φέροι ἐς μέγα τι. IX, c. 32, ἐς ἀρηΐους ἀγῶνας φέρει τὸ Τισαμενοῦ μαντήϊον. *Antiphon* orator p. 119, 8.

τὸ

haec infinita & intoleranda ſupplicia. Sicut etiam perfrui caritate Chriſti, hoc illi vita, hoc mundus, hoc Angelus, hoc praeſentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promiſſio, hoc bona videbatur innumera: praeter hoc vero nihil in triſtium parte ponebat. Horum enim, quae hic habentur, nihil aſperum, nihil etiam ſuave reputabat. Sic deſpiciebat univerſa, quae cernimus, ut ſolet herba jam putrefacta contemni. Tyrannos vero ipſos, ac populos ſpirantes furorem, velut quosdam eſſe culices exiſtimabat.

Mortem vero & cruciatus & mille ſupplicia, quaſi ludum putabat eſſe puerorum, dummodo propter Chriſtum aliquid ſuſtineret. Tunc enim ipſa amplectebatur libenter, & decorabatur vinctus catena magis, quam Nero diademate coronatus. Etenim coarctatus carcere habitabat caelum, ac libentius verbera excipiebat & vulnera, quam alii brabia diripiunt; & dolores non minus, quam praemia diligebat, cum ipſos utique dolores loco duceret praemiorum propterea enim illos & gratiam nominabat. Quem ſenſum diligenter expende: praemium certe erat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; permanere autem in carne, certamen: ſed tamen propter Chri-

τὰ ἴχνη dixit τὸ ὑποψίας εἰς τοῦτον φέροντα. de oſtento, ἐς ὃ φέρει, legitur apud *Dionyſ. Halic.* T. II. p. 181, 31,

(60) Χάριν αὐτοὺς ἐκάλει] In Ep. ad *Phil.* c. 1, 7. ex eiusdem cap. I, 23, 24, ſunt proxima, τὸ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι & τὸ ἐπιμεῖναι τῇ σαρκί· cum in noſtris ſit Edd. τὸ ἐπιμένειν ἐν τῇ σαρκί. ſupra eodem iſta modo exhibet. Quo paulo poſt ſpectet in Latinis, *e regione*, & quid hic ſibi velit, minus liquet; ſed ſcripſiſſe videtur infra: *haec omnia propter Chriſtum ſuavia eſſe ducebat*; non, quod vulgatur, *dicebat*.

καὶ ἀναγκαιότερον αὐτῷ εἶναί φησι· τὸ ἀνάθεμα ἀπὸ Χριστοῦ γενέσθαι, ἀγὼν ἦν καὶ πόνος, μᾶλλον δὲ καὶ ὑπὲρ ἀγῶνα καὶ πόνον· τὸ μετ᾽ αὐτοῦ, ἔπαθλον. ἀλλὰ τοῦτο μᾶλλον αἱρεῖται ἐκείνου διὰ τὸν Χριστόν· ἀλλ᾽ ἴσως εἴποι τις ἂν, ὅτι ταῦτα πάντα διὰ τὸν Χριστὸν ἡδέα αὐτῷ ἦν. τοῦτο γὰρ καὶ ἐγώ φημι, ὅτι, ἅπερ ἀθυμίας ἡμῖν αἴτια, ταῦτα ἐκείνῳ μεγάλην ἔτικτεν ἡδονήν· καὶ τί λέγω κινδύνους καὶ τὰς ἄλλας ταλαιπωρίας; καὶ γὰρ ἐν ἀθυμίᾳ διηνεκεῖ ἦν. διὸ καὶ ἔλεγε. (61) τίς ἀσθενεῖ, καὶ οὐκ ἀσθενῶ; τίς σκανδαλίζεται; καὶ οὐκ ἐγὼ πυροῦμαι; πλὴν εἰ καὶ τὴν ἀθυμίαν ἡδονὴν ἔχειν εἴποι τις ἄν. πολλοὶ γὰρ καὶ τῶν τέκνα ἀποβαλόντων, συγχωρούμενοι μὲν θρηνεῖν, παραμυθίαν λαμβάνουσι· κωλυόμενοι δὲ, ἀλγοῦσι· καθάπερ οὖν καὶ ὁ Παῦλος, νύκτας καὶ ἡμέρας δακρύων, παραμυθίαν ἐλάμβανεν. οὐδεὶς γὰρ οὕτω τὰ οἰκεῖα ἐπένθησε κακὰ, ὡς τὰ ἀλλότρια ἐκεῖνος· πῶς γὰρ οἴει διακεῖσθαι αὐτὸν Ἰουδαίων οὐ σωζομένων, ἵνα σωθῶσιν, εὐχόμενον ἐκπεσεῖν τῆς ἄνω δόξης;

Ὅθεν δῆλον, ὅτι τὸ μὴ σώζεσθαι αὐτοὺς πολλῷ χαλεπώτερον ἦν. εἰ γὰρ μὴ χαλεπώτερον, οὐκ ἂν ηὔξατο ἐκεῖνο, ὡς γὰρ κουφότερον εἵλετο καὶ μᾶλλον ἔχον

(61) τίς ἀσθενεῖ] Ex II Ep. ad *Cor.* c. XI, 29. Paulo poſt reſpicit iterum iſta ex Ep. ad *Rom.* c. IX, 3,

εὐχό-

Chriſti deſiderium praemia differebat cupiditate certaminis, idque magis neceſſarium eſſe ducebat: e regione vero anathema a Chriſto fieri certamen erat & dolor, magis autem & ſupra certamen, ſupraque omnem dolorem. At vero eſſe cum Chriſto erat praemium ſingulare: Paulus tamen propter Chriſtum illud maluit, quam iſtud eligere. Sed profecto dicat hic aliquis, quoniam haec omnia propter Chriſtum ſuavia eſſe dicebat; hoc plane etiam ipſe confiteor, quoniam, quae nobis ſunt cauſa triſtitiae, haec illi pariebant maximam voluptatem. Et quid ego pericula aerumnasque commemoro? In moerore enim maximo ille verſabatur, propter quod dicebat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Etſi in moerore dicat quoque quis ineſſe aliquam voluptatem: multi enim illorum, qui filiorum mortibus vulnerantur, aliquid conſolationis accipiunt, ſi cum ſuis fletibus relinquuntur; magisque dolent, cum dolere prohibentur: ſic igitur & Paulus nocte & die conſolationem excipiebat ex lacrymis: nullus ſiquidem tanto affectu mala propria, quam ille deflebat aliena. Quemadmodum enim illum opinaris afflictum, cum perditionem Judaeorum dolet; qui, ut illi ſalvi fierent, ſe ipſum a caelorum gloria cupiebat excludi?

Et inde hoc manifeſtum eſt, quia ſcilicet non ſalvari illos acerbius aeſtimabat, quam ſe ipſum perire: aut, ſi non acerbius, numquam aliud

εὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου· quae illic praecedunt, verba etiam ipſa proferens.

ἔχον παραμυθίαν καὶ οὐχ ἁπλῶς ἐβούλετο, ἀλλὰ καὶ ἐβόα λέγων, ὅτι λύπη μοί ἐστι, καὶ ὀδύνη τῇ καρδίᾳ μου.

Τὸν οὖν (62) καθ' ἑκάστην, ὡς εἰπεῖν, ὑπὲρ τῶν τὴν οἰκουμένην οἰκούντων ἀλγοῦντα, καὶ ὑπὲρ ἁπάντων κοινῇ, καὶ ἐθνῶν, καὶ πόλεων, καὶ ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάστου, τίνι ἄν τις δυνηθείη παραβαλεῖν; ποίῳ σιδήρῳ; ποίῳ ἀδάμαντι; τί ἄν τις ἐκείνην καλέσειε τὴν ψυχήν; χρυσῆν, ἢ ἀδαμαντίνην; καὶ γὰρ ἀδάμαντός ἐστι παντὸς στερροτέρα, καὶ χρυσοῦ, καὶ λίθων τιμίων τιμιωτέρα· κἀκείνης μὲν οὖν τῆς ὕλης τὴν εὐτονίαν (63) παρελάσατο, ταύτης δὲ τὴν πολυτέλειαν. τίνι ἂν οὖν τις αὐτὸν παραβάλοι; τῶν μὲν οὐσῶν οὐδεμιᾷ. εἰ δὲ (64) χρυσὸς ἀδάμας γένοιτο, καὶ ἀδάμας χρυσὸς, τότε ὁπωσοῦν αὐτῶν τεύξεται τῆς εἰκόνος.

Ἀλλὰ τί μοι παραβάλλειν ἀδάμαντι καὶ χρυσῷ; τὸν κόσμον ἀντίθες ἅπαντα, καὶ τότε ὄψει (65) καθέλκου-

(62) Καθ' ἑκάστην] Non videtur *Anianus*, iſtis omiſſis, ſcripſiſſe, *de ſingulis. ut ita dixerim, habitatoribus mundi — vehementer dolentem*; quod ne cogitari quidem poterat; ſed potius dediſſe: *hunc ergo diebus ſingulis*, (καθ' ἑκάστην) *ut ita dixerim, de habitatoribus mundi — dolentem —*.

(63) Τὴν εὐτονίαν παρελάσατο] Non παρελάσατο, ſed παρήλασε, *ſuperavit*; atque ita corrigendum arbitror: quam vim verbo ἐλαύνειν indit παρὰ, eamdem habet in Παρελθεῖν· Παρευδοκιμεῖν· Παραδραμεῖν· Παρυφαίνειν· Παραπτεύειν· ſimilibusque.

(64) Εἰ δὲ χρυσὸς ἀδάμας γένοιτο] Vſus Linguae Graecae, ipſius etiam *Chryſoſtomi*, poſtulat, ut ſcribatur, εἰ δὲ χρυσὸς ὁ ἀδάμας γένοιτο, καὶ ἀδάμας ὁ χρυσός· articulo in

aliud optaſſet : quod utique quaſi tolerabilius elegit. Qui, cum certe ſpe maxima futuri praemii paſceretur, non perfunctorie illud optabat, ſed clamabat dicens: *Quoniam triſtitia eſt mihi magna, & continuus dolor cordi meo.*

Hunc ergo de ſingulis, ut ita dixerim, habitatoribus mundi tam vehementer dolentem, & in commune pro cunctis, & gentibus & urbibus, pro unoquoque peculiariter lamentantem, cuinam rerum aliquis poterit comparare? cui ferro, cui adamanti? Quidnam aliquis illam appellet animam, aureamne magis, an adamantinam? Nam & erat omni adamante fortior, & auro gemmisque pretioſior: & alteram quidem materiam firmitate, alteram vero pretioſitate ſuperabat. Cui ergo rei, haec ab aliquo anima comparetur? earum quidem quae ſunt omnino nulli. Quodſi vel auro adamantis fortitudo, vel adamanti honor daretur auri, tum forte aliquo modo comparatio eius Pauli poſſet animae convenire.

Sed quid ego adamantem vel aurum ad ſi-

in talibus inſignitur orationis quod dicitur ſubiectum; de quo nonnulla notavi ad *Herodot.* p. 451, 7.

(65) Καθέλκυσεν ἡ Παύλου τὴν ψυχήν.] In altera lance ſi totum mundum poſueris, in altera Pauli merita, hanc longe *propendentem videbis :* lanx gravior καθέλκει τὸν ζυγόν· quod & alibi Noſter adhibet, monente *Caſaub.* Anim. in *Athen.* II, c. 8. — Ex *Ciceronis* Tuſc. V, c. 17. nota eſt *libra Critolai, qui, cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis & externa; tantum propendere illam animi lancem putet, ut terram & maria deprimat:* illic vid. *Bentlej.* ad L. V. de Fin. c. 30, *Daviſius.* conf. *Cicero Daviſii* de Fin. II. p. 116. Tuſc. I. p. 44. V. p. 409. & de Off. III, c. 3.

εἵλκυσαν τοῦ Παύλου τὴν ψυχήν. εἰ γὰρ περὶ τῶν (66) ἐν μηλωταῖς καὶ σπηλαίοις καὶ ἐν μικρῷ μέρει τῆς οἰκουμένης διαπρεψάντων τοῦτό φησιν ἐκεῖνος, πολλῷ μᾶλλον περὶ αὐτοῦ ἂν εἴποιμεν ἡμεῖς, ὡς ὅτι πάντων ἀντάξιος ἦν. Εἰ τοίνυν ὁ κόσμος αὐτοῦ οὐκ ἄξιος, τίς ἄξιος; τάχα ὁ οὐρανός; ἀλλὰ καὶ τοῦτο σμικρόν. εἰ γὰρ αὐτὸς οὐρανοῦ μετὰ τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς προετίμησε τοῦ δεσπότου τὴν ἀγάπην, πολλῷ μᾶλλον ὁ δεσπότης, ὁ τοσοῦτον αὐτοῦ ἀγαθώτερος, ὅσον πονηρίας ἀγαθότης, μυρίων αὐτὸν οὐρανῶν προτιμήσει· οὐ γὰρ ὁμοίως ἡμᾶς φιλεῖ, καθάπερ ἡμεῖς αὐτὸν, ἀλλὰ τοσοῦτον πλέον, ὅσον οὐδὲ λόγῳ παραστῆσαι ἔνι. σκόπει γοῦν ἡλίκων αὐτὸν καὶ πρὸ τῆς μελλούσης ἠξίωσεν ἀναστάσεως· εἰς παράδεισον ἥρπασεν, εἰς τρίτον ἀνήγαγεν οὐρανὸν, ἀπορρήτων ἐποίησε κοινωνὸν τοιούτων. (67) ἃ μηδενὶ τῶν τὴν ἀνθρωπίνην λαχόντων φύσιν θέμις εἰπεῖν· καὶ μάλα εἰκότως. καὶ γὰρ ἐν γῇ βαδίζων, ὡς μετὰ ἀγγέλων περιπολῶν, οὕτως ἔπραττεν ἅπαντα· καὶ, σώματι θνητῷ συνδεδεμένος, τὴν ἐκείνων καθαρότητα ἐπεδείκνυτο, καὶ, ἀνάγκαις τοσαύταις ὑποκείμενος, ἐφιλονείκει τῶν ἄνω δυνάμεων μηδὲν (68) ἔλαττον φα-

(66) Τῶν ἐν μηλωταῖς —— διαπρεψάντων] *Qui in melotis & ſpecubus & in exigua orbis parte verſabantur:* dum ſic iſta vertebat *An.* legiſſe videtur, διατρεψάντων· &, quamvis vere ſua fuerint pietate διαπρεπεῖς· hic tamen minus commode dici poſſunt ἐν μηλωταῖς καὶ σπηλαίοις διαπρέψαντες. In Ep. ad *Hebr.* c. XI, 37, 38, περιῆλθον ἐν μηλωταῖς (huius additur interpretamentum ἐν αἰγείοις δέρμασι) — ἐν ἐρημίαις πλανώμενοι — σπηλαίοις· his interiecta, ὧν οὐκ ἦν ἄξιος ὁ κόσμος· transponenda cenſebat *Toupius*.

(67)

ſimilitudinem adduco Pauli? mundum ſi e diverſo appendas omnem, tunc videbis aperte Pauli vergere pondus examinis. Si enim de iis, qui in melotis & ſpecubus, & in exigua orbis parte verſabantur, hoc dictum eſt; quanto magis nos dicemus Paulum mundo & omnibus quae in mundo ſunt digniorem? Si igitur eo mundus dignus non eſt, ſit forte vel caelum; ſed iſtud quoque invenitur inferius. Si enim iſte non ſolum caelum, ſed quae habentur in caelis Dei poſtpoſuit caritati; quomodo non magis Dominus, qui tanto eſt benignior Paulo, quanto malitiam bonitas antecellit, innumeris eum caelis iudicat digniorem? Non enim, quantum nos diligit Deus, tantum a nobis diligitur ipſe: ſed tanto effuſius, quantum nec ſermo quidem ſufficit explicare. Conſideremus ergo, quantis illum honoribus etiam ante tempus reſurrectionis extulerit. In paradiſum rapuit, & in caelum tertium ſublevavit, ineffabilis arcani fecit eſſe participem, taliumque myſteriorum conſcium, quae nulli hominum fas fuerit confiteri: nec immerito: ſiquidem Paulus in terra gradiens ſic ſe agebat in cunctis, quaſi Angelorum ſocietate frueretur. Nam, paſſibili adhuc colligatus corpori, illorum

(67) Ἃ μηδενὶ] Quod *Paulus* dixit in II Ep. ad *Cor.* c. XII, 4, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. Noſter expreſſit, ἃ μηδενὶ τῶν τὴν ἀνθρωπίνην λαχόντων φύσιν θέμις εἰπεῖν.

(68) Μηδὲν ἔλαττον] Scripſiſſe videtur, ἐφιλονείκει τῶν ἄνω δυνάμεων μηδὲν ἐλάττων φανῆναι. —— Quod ſequitur, ὡς πτηνὸς τὴν οἰκουμένην διέδραμε· plus ſemel alibi de eodem ab illo dicitur, ὡς ὑπόπτερος. — Paulo poſt, πόνων ὑπερεώρα καὶ κινδύνων· *Anianus* reddidit, *labores periculaque contemſit:* ſic certe erat in Cod. MS. in quo vox *omnes* non legitur, a me omiſſa.

φανῆναι. καὶ γὰρ ὡς ἥλιος τὴν οἰκουμένην διέδραμε, καὶ ὡς ἀσώματος πόνων ὑπερεώρα καὶ κινδύνων, καὶ ὡς τὸν οὐρανὸν ἤδη λαχὼν κατεφρόνει τῶν ἐπὶ γῆς. καὶ ὡς μετ' αὐτῶν ἀναστρεφόμενος τῶν ἀσωμάτων δυνάμεων, οὕτω διηνεκῶς ἐγρηγορὼς ἦν.

Καί τοι γε ἄγγελοι πολλάκις ἐνεχειρίσθησαν ἔθνη διάφορα· ἀλλ' οὐδὲ εἷς αὐτῶν τὸ ἔθνος, ὃ ἐνεπιστεύθη, οὕτως ᾠκονόμησεν, ὡς Παῦλος τὴν οἰκουμένην ἅπασαν.

Καὶ μή μοι λέγε, ὅτι Παῦλος οὐκ ἦν ὁ ταῦτα οἰκονομῶν. (69) καὶ γὰρ αὐτὸς ὁμολογῶ· εἰ γὰρ καὶ μὴ αὐτὸς ἦν ὁ ταῦτα ἀνύων, ἀλλ' οὐδὲ οὕτως ἐκτὸς ἦν τῶν ἐπὶ τούτοις ἐπαίνων, ἐπειδὴ ἑαυτὸν οὕτω κατεσκεύασεν ἄξιον τῆς τοσαύτης χάριτος. ὁ Μιχαὴλ τὸ τῶν Ἰουδαίων ἔθνος ἐνεχειρίσθη· Παῦλος γῆν, καὶ θάλατταν, καὶ τὴν οἰκουμένην, καὶ τὴν ἀοίκητον. καὶ ταῦτα οὐκ ἀγγέλους ὑβρίζων λέγω, μὴ γένοιτο, ἀλλὰ δεικνὺς, ὅτι δυνατὸν ἄνθρωπον ὄντα μετ' ἐκείνων εἶναι, καὶ ἐγγὺς αὐτῶν ἑστάναι.

Καὶ τίνος ἕνεκεν οὐκ ἄγγελοι ταῦτα ἐνεχειρίσθησαν; ἵνα μηδεμίαν ἀπολογίαν ἔχῃς ῥαθυμῶν, μηδὲ

(69) Καὶ γὰρ αὐτὸς ὁμολογῶ·] *Aniani* verbis, *hoc enim etiam nos fatemur*, vocem *etiam* ex MS. interieci. — Haec vero *Pauli* cum Angelis & archangelis comparatio, meo quidem iudicio, rectius ab oratore ſacro fuiſſet omiſſa. — Quae in Latinis uncis incluſi, abe-

rum perfectione gaudebat, tantisque fragilitatibus ſubditus, in nullo inferior ſupernis virtutibus apparere certabat: nam & tanquam pennatus totum docendo pervolavit orbem, & velut incorporeus labores periculaque contemſit, &, quaſi iam caelum poſſidens, cuncta prorſus terrena deſpexit, &, tanquam cum ipſis iam incorporeis virtutibus degeret, ita iugi mentis intentione vigilavit.

Et Angelis quidem ſaepe diverſarum gentium cura commiſſa eſt; ſed nullus illorum ita creditum ſibi populum gubernavit, ut Paulus univerſum gubernavit orbem.

Neque vero dicas, quia haec non perficiebantur a Paulo: hoc enim etiam nos fatemur: ſed, etſi ipſe non erat qui cuncta complebat, nequaquam tamen ab eorum operum laudibus ſeparabatur, quia utique dignum tantae ſe gratiae praeparavit, [per quam tam magnifica & glorioſa perficeret.] Michaëli gens commiſſa eſt Iudaeorum: Paulo vero terra, ac maria, atque univerſi orbis habitatio, ipſumque deſertum: & hoc non ad injuriam, quod abſit, dicimus Angelorum; ſed oſtendimus eſſe poſſibile illis hominem copulari, juxtaque illorum merita conſiſtere.

Cujus autem rei gratia non Angelis potius haec praedicationis cura commiſſa eſt? ut

aberant a MS. & videntur alterius eſſe adſumentum. — Paulo poſt ϗ ταῦτα οὐκ ἀγγέλους ὑβρίζων λέγω· reddi debuit, ut erat in MS. *& hoc non ad iniuriam — dicimus angelorum*. verbum. *dicimus* abeſt ab Edd. cujus tamen loco *dicemus* legitur in MS.

δὲ εἰς τὴν διαφορὰν τῆς φύσεως καταφεύγης καθεύδων.

Ἄλλως δὲ καὶ θαῦμα μεῖζον ἐγίνετο. πῶς γὰρ οὐ θαυμαστὸν καὶ παράδοξον, ἀπὸ γλώττης πηλίνης ἐκπηδῶντα λόγον, θάνατον φυγαδεύειν, ἁμαρτήματα λύειν, πεπηρωμένην διορθοῦν φύσιν, καὶ τὴν γῆν ἐργάζεσθαι οὐρανόν; Διὰ τοῦτο ἐκπλήττομαι τοῦ θεοῦ τὴν δύναμιν, διὰ ταῦτα θαυμάζω τοῦ Παύλου τὴν προθυμίαν, ὅτι τοσαύτην ὑπεδέξατο χάριν, ὅτι τοιοῦτον παρεσκεύασεν ἑαυτόν· Καὶ ὑμᾶς παρακαλῶ μὴ θαυμάζειν μόνον, ἀλλὰ καὶ μιμεῖσθαι (71) τὸ ἀρχέτυπον τοῦτο τῆς ἀρετῆς. οὕτω γὰρ δυνησόμεθα τῶν αὐτῶν στεφάνων κοινωνῆσαι ἐκείνῳ. εἰ δὲ θαυμάζεις ἀκούων, ὅτι τὰ αὐτὰ κατορθώσας τῶν αὐτῶν ἐπιτύξῃ, ἄκουσον αὐτοῦ ταῦτα λέγοντος· (72) τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι, τὸν δρόμον τετέλεκα, τὴν πίστιν τετήρηκα· λοιπὸν ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος, ὃν ἀποδώσει μοι κύριος ὁ δίκαιος κριτὴς ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, οὐ μόνον δὲ ἐμοὶ, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς ἠγαπηκόσι τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ.

Ὁρᾷς

(70) Deſes invenires] Egregiam iſtam lectionem ſuppeditavit MS. In Edd. haec proſtant: *ut nullum ſcilicet excuſationis colorem de ſe inveniret anima negligens, ac ne tu* &c. *Deſes* eſt ῥαθυμῶν· hoc cum degeneraſſet in *de ſe*, additum fuit *anima negligens*, & ſcriptum *inveniret:* ſic autem leguntur iſta in Cod. MS. *ut nullum ſcilicet excuſationis colorem deſes inveniret aut negligens.* — Paulo poſt plura ſunt in Latinis; ubi haec ſunt Graeca: ἄλλως δὲ καὶ θαῦμα μεῖζον ἐγίνετο.

(71) Τὸ ἀρχέτυπον τοῦτο τῆς ἀρετῆς] Primum imaginis *exemplum*, e quo alia eſſent derivata, ſic dixerunt non veteres Attici, ſed horum imitatores: genuinus *Thucydidis* imitator εὖ μάλα τῷ ἀρχετύπῳ εἰκασμένος memoratur

ut nullum ſcilicet excuſationis colorem (70) *deſes invenires*, ac ne tu ad diverſitatem naturae confugeres dormiendo.

Deinde ut tanto etiam major operum admiratio naſceretur, quanto de natura inferiore procederent. Quomodo enim non admirabile hoc atque improviſum videretur, cum ex terrena lingua ſermo proſiliens mortem fugat, peccata diſſolvit, tenebras caecitatis illuminat, & mutatione mirifica terram convertit in caelum?

Propter hoc igitur ſtupeo virtutem Dei; propter hoc admiror promtum animum Pauli, quomodo ſe talem ſtuduit exhibere, quomodo ſe tantae gratiae capacem paravit. Vos autem rogo, ut non miremini ſolum, verum etiam imitemini hoc tam clarum virtutis exemplum; ſic namque poterimus coronarum ejus eſſe participes. Quod ſi aliquis nos dixiſſe miratur, quia, quicunque habuerit Pauli merita, eadem ſit etiam habiturus praemia, ipſum audiat ita dicentem: *certamen*, inquit, *bonum certavi*, *curſum conſummavi*, *fidem ſervavi*; *de caetero repoſita eſt mihi corona juſtitiae*, *quam reddet mihi dominus*

ratur a *Luciano* T. II. p. 21. in cuius Prometheo T. I. p. 28. vocem ἀρχίτυπον reſtituit, qui de illa quaedam notavit, *T. H.*

(72) Τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠ.] Ex II Ep. ad *Timoth.* c. IV, 7, 8. — Huic loco ſubiecta Latina; *vides certe ut cunctos in eamdem gloriae communionem* vocet; voculam *ut* acceperunt ex Cod. MS. pro vulgata, *quomodo*. — Paulo poſt abſurde legebantur iſta velut *Aniani*: *ſtudeamus omnes eſſe digni illis bonis*, *quae promiſſa ſunt inveniri.* Verbum *eſſe* recte aberat a MS & vel absque eo eiiciendum, Graeca monſtrare debuerant *Chryſoſtomi*: σπουδάσωμεν ἄξιοι γενέσθαι τῶν ἐπηγγελμένων ἀγαθῶν.

Ὁρᾷς πῶς πάντας εἰς τὴν αὐτὴν κοινωνίαν καλεῖ· ἐπεὶ οὖν ἅπασι πρόκειται τὰ αὐτὰ, πάντες σπουδάσωμεν ἄξιοι γενέσθαι τῶν ἐπηγγελμένων ἀγαθῶν. καὶ μὴ μόνον τὸ μέγεθος καὶ τὸν ὄγκον τῶν κατορθωμάτων ἴδωμεν, ἀλλὰ καὶ τὸν τόνον τῆς προθυμίας, δι' ἧς τοσαύτην ἐπεσπάσατο χάριν, καὶ τὸ τῆς φύσεως συγγενὲς, τῆς γὰρ αὐτῶν ἡμῖν ἐκοινώνησεν ἁπάντων. καὶ οὕτω καὶ τὰ σφόδρα δυσκατόρθωτα ῥᾴδια ἡμῖν φανεῖται καὶ κοῦφα, καὶ τὸν βραχὺν τοῦτον καμόντες χρόνον, τὸν ἀγήρω καὶ ἀθάνατον ἐκεῖνον στέφανον φοροῦντες διατελέσομεν, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ κράτος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν.

---

minus in die illa juſtus judex, non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus.

Vides certe ut cunctos in eamdem gloriae communionem vocet? Quia igitur omnibus eadem corona gloriae propoſita eſt, ſtudeamus omnes digni illis bonis, quae promiſſa ſunt, inveniri. Neque ſolum magnitudinem atque eminentiam in illo debemus conſiderare virtutum, & promtum illud animi ejus atque robuſtum propoſitum, per quod ad tantam meruit gratiam pervenire; ſed & naturae ſocietatem, per quam & nobis in cunctis ille participat: & ſic etiam quae valde ſunt ardua nobis facilia videbuntur & levia, brevique hoc tempore laborantes incorruptibilem illam geſtabimus atque immortalem coronam, gratia & miſericordia Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum. amen.

T I.

TI. HEMSTERHVSII

ORATIO

DE

PAVLO APOSTOLO.

[*Habita Franequerae*, MDCCXXX.]

Digitized by Google

TI. HEMSTERHVSII

ORATIO

DE

PAVLO APOSTOLO.

Eſt mirifica quaedam ac paene incredibilis rerum humanarum viciſſitudo, quae ſcenae in modum perpetuis circumacta converſionibus alias ex aliis facies, easque exigui temporis momento diſſimillimas oſtendat. Quemadmodum enim hoc in univerſo ex immenſa corpuſculorum minimorum congerie, quae varietas motuum inaeſtimabilis nunc conglutinat, mox divellit, infinita quaedam producitur mutatarum continuo formarum diverſitas, ſic pariter in iſto caſuum humanorum volubili circulo, qui parvam omnino totius naturae partem occupat, ingentes oriri rerum agitationes neceſſe eſt, quarum ſpecies velut in hoc theatrum provolutae poſtquam aliquantisper conſtiterunt, ſtatim impulſu ſubito labefactatae cor-

ruant, atque aliis confeſtim venturis locum faciant.

Conſtantiſſimam mutationis certae legem ipſe ſancit humanae naturae genius: primum enim cur in hanc terrarum orbis coloniam homines mittuntur, niſi ut imperio neceſſitatis, rationis auſpiciis, non illam tantum vitae ſocietatem, quam duplicis ſexus diſcrimen inire jubet, cupiditate petant vehementiſſima, verum etiam ad mutuam rerum omnium agendarum communicationem publico velut naturae conſilio cuncti ferantur. Quod ſi in hac univerſa generis humani civitate gentium inter ſe populorumque mores, inſtituta, diſparata multum vivendi munera componas, quantam non diſcordiam, quam longe diſſitos ac ſejunctos fines invenies: miraculo fere proximum videbitur eos, qui communi nominis ejusdem & naturae vinculo continentur, tam potuiſſe diverſas in partes abire.

Quid de ſingulis hominibus? illorum ſcilicet inter ſeſe multi exacte plane congruent ac conſpirabunt, ſic ut vix leviſſimum aliquod reperire liceat veſtigium, quo alterum internoſcas ab altero & diſtinguas: imo vero tam lato intervallo a ſingulis ſinguli diſcrepant, ut nihil omnino videantur habere commune, quam ſolum huncce hominis titulum: quin tu multo citius duos pluresve dederis, qui prorſus pari ſint lineamentorum vultusque ſimilitudine, quam

quam ut totidem indole, moribus, animi dotibus aequales in medium proferas.

At tandem tenemus in unoquoque homine, ubi conſiſtere liceat, ubi ex hac fluctuatione certum pedem figamus: hic itaque, quantumcunque a ceteris omnibus diſcedat, ſibi ſimilis erit atque idem, & per omnem vitae curſum conſtans.

At nihil agimus AA. quid enim eſt tam inconditum, tam nullam in partem ſecum conſentiens, tam denique diſcrepans, quam homo ſit ſibimet ipſi: neque ad hoc animadvertendum quicquam opus eſt, ut recludamus illam Momi requiſitam in pectore feneſtram, cujus ope ad intimos animi receſſus aditus aperiatur: proſtant & ab unoquoque dimanant in publicum actiones, totidem animi iritus fluctuantis indicia, qui reciprocatis graviſſimorum motuum aeſtibus ſibimet ipſe illidatur.

Neque ſane opus eſt, ut in iis probandis magno opere laboremus, quorum in ſinu quisque ſuo domeſticum gerit teſtem conſcientiam. Jam ſi tot mortalium numerus diverſiſſimis ingeniis in mutuam agendi gerendique negotii ſocietatem coeant & congregentur, fieri profecto non poteſt, quin ex illo tantae varietatis conflictu ac veluti colliſione admirandi eventus naſcantur, non quieti tantum & pari conſenſu aequabiles, ſed mutationum maximarum quaſi tempeſtates quaedam ac procellae, ut aërem iſtum,

 in

in quo ſpiritum ducimus, nunc tranquilla ſerenitate compoſitum, alias ventorum tonitruumque furoribus turbidum aemulari humana vita videatur.

Quae autem in longo ſeculorum decurſu memorabiles inprimis contigerunt rerum humanarum converſiones, eas omnes videas ab uno quopiam homine tanquam capite & publicae fortunae moderatore ſuſpenſas pependiſſe. Quot regna, ſubverſis aliis, conſtituta: reſp. fundatae: inopinata, quae nullius ne minima quidem hominis ſolertiſſimi ſuſpicio attingere nedum praevidere potuerat, perpetrata, & cunctis ſtupentibus ad exitum adducta: haec quo majora fuerunt atque admirabiliora, non plurimorum conſiliis opibusque collatis, ſed unius duntaxat magni alicujus viri ſapientia, fortitudine, &, quae tantis virtutibus fideliſſima plerumque comes ſuffragari ſolet, felici fortuna reperietis adminiſtrata. Non feretis aegre, ſi, quo mentem clarius aperiam, inuſitato quodam more in hoc ipſo orationis introitu exemplis agendum exiſtimem. Alexandrum vobis ob oculos pono: ſed prius, ut comparationis fructus ad utilitatem noſtram redundet, Philippum conſiderate Macedonem, belli ſimul artibus & aſtutiſſima calliditate inſtructiſſimum: is quidem in Perſas arma movere decreverat: quo putatis animo, quo tandem conſilio? an ut latiſſimum imperium, atque incredibili mili-

li-

litum, divitiarumque copia communitum exſcinderet? minime gentium: excelſior erat haec cogitatio, quam quo pertineret reſtrictior Philippi animus, cujus his tantum finibus ambitio fuit circumſcripta, ut Graecos ſibi conciliaret atque obnoxios haberet, quos nullo lenocinio facilius ineſcari perſpexerat, quam ſi Perſas, perpetuos ſuae libertatis inſidiatores, ulciſcendi ſpes quantumlibet tenuis oſtenderetur: quid amplius? ut ex vaſta regni Perſici mole membra quaedam Aſiae carperet, ſuisque adjungeret ditionibus. Iam mihi, quaeſo, cum hoc parente, viro ſanequam illuſtri, filium Alexandrum compone: hic, interemto per conjurationem patre, difficillimis atque impeditis rebus, magno undique belli terrore circumſtante nihil conturbatus eam animi prae ſe tulit magnitudinem, quae non partes quasdam exiguas praelibare deſtinaret, ſed corpus imperii Perſici univerſum velut legitimam poſſeſſionem ſpe futurique fiducia complecteretur, quaſi Darii vivi perinde ac patris defuncti hereditatem eſſet creturus: haec & inchoata ſunt & geſta in illa aetate, quae, quum primum ab Alexandro vix contemtum defenderet, ſtatim documentis virtutum egregiis probata eo majorem peperit admirationem.

Convertamur ad alium juvenem elato animo ac bellica fortitudine paene parem, veris virtutibus, & ambitionis moderatiſſime tem-

peratae gloria ſuperiorem: tenetis, opinor, AA. Scipionem Africanum. Annibal, illud tam terribile Romanis nomen, ut majorum trepidationem & pericula proverbiis etiam poſteri ſint teſtificati, Annibal, inquam, quum veluti ſtrage graviſſima, quicquid ruenti fuerat objectum, impuliſſet, eum in locum rem Romanam, quo lentius a parvis principiis enitentem ac progreſſam, eo firmiorem, adduxerat, ut cives, quando Principes tot cladibus perculſi jam animos deſponderent, deſperatione potius, quam ulla ſalutis fiducia fortunam urbis praecipitem ſuſtentarent. Quid in his patriae tenebris Scipio? ſublimis animi vis & ſupra periculorum omnium metum erecta non victum Annibalem & Italia pulſum, ſed imponendum a ſe finem bello ſubactamque Carthaginem ſpectabat: tanta fuit in clariſſimo juvene mentis nullis caſibus fractae magnitudo, ut ſe talem eſſe confideret, qui decernendae potentiſſimorum populorum fortunae ſolus arbiter adhiberetur: parum ſcilicet erat cum Annibale comparari, cum quo neminem alium ea tempeſtate quisquam comparare auderet. Scipionis igitur ſola virtus adflictam jacentemque patriam recreavit: recreavit inquam? quinimo erexit, in eoque collocavit faſtigio, unde jam tum terrarum orbem Romanas leges ſubiturum proſpiceret. Poteram J. Caeſarem, poteram complures alios recenſere: ſed quid multis opus? Vos-

Vosmet AA. ſpatium hiſtoriae veteris reſpicite: domeſticum memoriae veſtrae tabularium perquirite: ſatis inde, quae meam adſeverationem conſtabiliant, argumentorum deprometur. Neminem autem fore arbitror, qui ſit in dubium vocaturus, quin ii, quibus tot tantarumque rerum momenta librare fuerit conceſſum, pro viris haberi debeant divina quadam & longe praeſtantiſſima natura praeditis; quorum copiam inter mortales ſane parciſſimam ita diſpenſat reducta multum & obſcuro velo contecta divini Numinis providentia, ut ſubinde ſtupendorum eventuum, quos infinita mente deſcripſit, luculentiſſimos in publicum producat adminiſtros & auctores.

Porro inter omnes rerum humanarum commutationes, quae ab ipſis usque mundi naſcentis incunabulis ad noſtram memoriam contigere, quemadmodum admirabilius nihil, ſic nihil miſerrimorum mortalium rationibus utilius accidiſſe fatendum eſt, vos certe omnes fatebimini, quam regnum illud longe lateque conſpicuum, regnum inquam Chriſtianae religionis ſolidiſſime fundatum, & brevi temporis intervallo prolatis per cunctas fere terrarum gentes pomoeriis inſigne: hic, quos naturae nexu conjunctos teterrima vitiorum affectuumque peſtis diſſociaverat, religionis arctiſſimum adſtringit vinculum, reconciliatosque in ſalubrem concordiam redigit. Chriſtum imperii

tanti caput fundatoremque veneramur omnes: ſed is quidem fixis legibus, quibus modum regni ſalutaris ordinemque totum praeſcripſit, poſtquam mortem, poenasque piaculares, quas irati numinis irritata juſtitia depoſcebat, exhauſiſſet, triumphali pompa in coelos invectus, alios quaſi legatos ſub ſuis auſpiciis ſummae rei ſacraeque militiae praepoſuit: horum munus non tantum providere, ne quid detrimenti conſtituta Chriſti reſp. caperet, ſed ſignis etiam in peccata peccatoresque acerrime motis coeleſtis imperii fines impigre quaquaverſum prolatare, eamque ab hoſtibus reportare victoriam, cujus omnes fructus incredibilesque commoditates in ipſos victos cumulatiſſime redundarent. Haec quidem militia, quamquam armis vulgaribus ex aere ferroque conflatis carebat, haud tamen eo minus graviſſima & quotidianis horrens periculis. Quoties ad dimicationem fuit deſcendendum? cum copiis hoſtilibus omne genus pes conferendus? cum vitiis peccatisque, moleſtiſſimo hoſtium genere, cum feris beſtiis, cum ipſa denique morte, &, quod pejus eſt, perpetuo terrore mortis depugnandum.

Jam ſi vos appellem AA. OO. ac rogem, ut apud animum veſtrum quisque diſpiciatis, quemnam inter praeclaros Duces, qui ſub Summi Imperatoris auſpiciis primi nobiliſſimam hanc militiam fuerunt ingreſſi, tacito cogitationum ve-

veſtrarum praejudicio maximum & rebus egregie geſtis longe praecellentem exiſtimetis, quid reſpondebitis? quem ſuffragii veſtri praerogativa deſignabit? extat, ut quidem opinor, occupatusque jam nunc veſtrae menti ſponte obverſatur, quem dicere volebam, PAVLVS. Paulum AA. heroëm invictum, fulmen Chriſtianae religionis, cunctis animi, erectae indolis, virtutum denique omnium, quibus ad tanta rerum agendarum molimina erat opus, dotibus inſtructiſſimum vobis proponam; cujus materiae dignitatem quandoquidem minime ſum ignarus, quam nullam in partem dicendo conſequi valeam, illud mihi reliquum eſt, ut ad benevolentiae veſtrae, veſtri favoris aram confugiam; ſic mihi Pauli virtutes compendio dinumeranti ſecundis auribus adſitis. Vereor autem, ne jam nunc tacito mentis convicio perſtringar, atque hunc in modum aliquis apud animum ſuum rationes inſtituat. — Quid agis? Quid conaris? Tune vim illam in Paulo Sancti Spiritus, tu miraculum illud divinae gratiae, tu dotes illas divinitus attributas ad humanam conditionem devocabis, ad ſortem ac modulum humanarum virtutum exiges? piaculum denique & grande nefas committes? At compone, quaeſo, animum, & aequa mente patere, ut ab ipſo orationis exordio tam gravem invidiam juſta defenſione removeam. Equidem iſtum e coelo delapſum in Pauli pectus ignem, iſtos au-

rae

rae divinae ſacros fomites, quibus incaluit, & ad munus fortiter obeundum eſt inflammatus, tam confirmo certosque habeo quam qui maxime.

Sed quid? ideone tollenda videtur ipſa natura? indoles animique congenita ſemina, quae dudum praeformata in lucem attulit, penitus abolenda? nativus actionum humanarum ac proprius fons plane obſtruendus? quaſi nihil amplius iſtius Pauli, qui dudum fuerat, in Paulo renovato, poſtquam Chriſto Imperatori ſacramento dixit, foret reliquum? Imo mitius agamus, &, quod certis rerum documentis eſt conſentaneum, ſtatuamus, eosdem agendi naturales impetus, eandem indolis excitatae, nullisque periculorum obſtaculis refraenandae vim ac vigorem, ſed luſtratum, ſed perpurgatum, ſed ad ſalubrem bonamque frugem converſum in Paulo fuiſſe Chriſtiano, qui fuerat in Judaeo. Suffocari ſane jubet & interfici anguem illum vitiorum inſidiatorem, atque in intimis haerentem medullis ſalutaris doctrinae regula; non extinguit extinctosque cupit alte fixos atque inſertos ab ipſo naturae conditore Deo hominum animis affectus motusque, ſine quibus agendi principiis trunci ſimus ſtipitesque, non homines; ſed emendat, conformatque ad illum veri rectique finem, ad quem ut adſpiremus palaeſtrae propoſitae leges adhortantur: ac ſi linteum aliquod turpiſſime maculatum, quod munditiem amantibus grave faſtidium

dium commoveat, eluas, adornes, expulſisque ſordibus grato nitori reſtituas: in eadem, quae modo nares corrugabat, materia quantus ſubito ſplendor, quanta porro ad omnes uſus adhibendi commoditas.

Quis igitur vitio vertat, ſi Pauli mores, ingenium, conſiliorum prudentiam certis veluti ſignis ac notis, quibus a reliquo collegarum numero diſtinctus multumque diſſitus eminuit, deſcribam? ſi admota hiſtoriae legitimae norma rerumque geſtarum fide Paulum non ſolis Chriſtianis, verum cunctis, quantumvis a ſenſu religionis abhorreant, dummodo judices aequi, quam in aeſtimandis ceterorum virtutibus admittunt, eandem hic amuſſim non repudient, admirabilem exhibeam: id quidem non enucleate, nec tali, qualem res poſtularet, orationis apparatu, ſed digito tantum ad fontes porrecto.

Quod ſi quis in hoc aditu ſpeciem quoque Pauli corporisque habitum deſideret, (ſolemus enim delectari conſiderato magnorum virorum vultu, veluti quodam mentis ſpeculo) non hac etiam in parte, quanquam ſacra pagina nihil prodiderit, curioſitati noſtrae non omnino conſuluit vetuſtas. Staturâ fuiſſe dicitur mediocri, compacto corpore & robuſto, firmis cruribus ſuroſisque, capite calvo, aquilino naſo, quod quidem, ſi Platonem audimus, regiae dignitatis erat & praeſtantiae: contractis junctis-

que

que ſuperciliis: vultus erat conſideratiſſimae meditationis index, ſed idem divina quadam gratia & comitate temperatus. Haec ego plane vera eſſe ut non ſummopere contenderim, ſic tamen neutiquam video, cur fides eorum laborare debeat: tantoque minus, quod cum Actorum Theclae teſtimonio inimiciſſimus Chriſtiano nomini, qui ſub perſona Luciani latet, ſcriptor Philopatridis conſentiat: quid ſi addidero, nihil in hac inveniri figurae deſcriptione, quod ingentem animum Pauli dedeceat.

In enarrando genere Tarſenſis noſtri non eſt quod multum operae ponamus. Pater Phariſaeorum addictus ſectae ſuum in erudiendo filio judicium probavit, misſumque Hieroſolyma, ubi necesſitudines habebat permultas, ad Gamaliëlem deduxit, qui clarisſimus patriae legis doctor ob ingenium mite & animi manſuetudinem, caſtigatisſimaeque vitae moribus in Synedrio multum auctoritate, apud populum ſumma gratia floruit. Quid ibi Saulus? utamur enim eo nomine, quod tunc temporis uſurpabat ipſe: quo ſtudiorum profectu, quibus incrementis excelluit? ſic penitus iſtius diſciplinae, in quam fuerat traditus, rationes tota mente hauſit imbibitque, ut eam quaſi integerrimam exactiſſimaeque normae manibus pedibusque, omni nervorum animique contentione ſibi defendendam putaret.

Hic ego vos rogo atque obſecro AA. ut memo-

moria paulo conſideratius recolatis hiſtoriam plane memorabilem, non in angulo quodam obſcurove loco, ſed in Hieroſolymorum luce geſtam, quae vobis illos indolis acerrimae ſpiritus, vehementiam illam ſuſcepto ſemel negotio inſtantem manifeſtiſſimum in modum ob oculos ponat. Poſt Chriſtum coelo receptum proſperrimo curſu res Chriſtianorum publica ferebatur: aucto quotidianis incrementis numero in mutuum ſocietatis legitimae vinculum ſeſe congregabant: cauſam communem nulla obtrectatione, nullis odiis, offenſionibus nullis commoti palam, & conſtantiſſima dicendi libertate tutabantur. Judaei jam inde ab initio minime laeti divinae religionis origine, quod hac confirmata res ſuas omnes totamque illam veterum ceremoniarum pompam obſoleſcere atque ad nihilum recidere intelligerent, ſtirpi, in cujus capite praeciſo tantis gaudiis exultaverant, laetiſſime ſuccreſcenti radices fibrasque omnes incidere magno conantur molimine, nihilque ſibi praetermittendum ducunt, quod ad memoriam Chriſtiani nominis extinguendam ſit comparatum. Diſputationes primum, rixae per ſynagogas & altercationes, ſummis odiis & maxima apud plebem invidia jactatae: in quibus verborum contumeliarumque velitationibus quum parum videretur eſſe praeſidii, ad judices eosdemque hoſtes eſt concurſum: teſtes falſi ſubornati: vincula parata: expeditae

vir-

virgae: tandemque tantae tempeſtatis procella in Stephani parricidium erupit. His omnibus interfuit Saulus, & quidem juvenis admodum: quo animo? quo mentis habitu? ſuſtinuitne ſpectatoris otioſi partes? tantum abeſt AA. ut inter ſaeviſſimos irae poenarumque miniſtros ſe praebuerit primum, ceterorum inflammatorem egerit, ita denique ſe geſſerit, ut hoc quaſi proprium ſibi deſtinatumque munus eruendi Chriſtiani nominis adminiſtraret: nihil oratorie dico, nihil in majus auctum propono: habemus hujus inſectationis vehementiſſimae teſtem; at quem? Paulum ipsum, habemus confitentem reum, qui ſane, poſtquam ad meliorem mentem revocatus eſt, graviſſimae culpae commiſſum crimen uberrimis expiavit lacrymis. Hinc fidelium magnus terror: trepidisſima fuga: diſſipatio vaſtiſſima: quid Saulus? contentusne infelici victoria ſeſe continuit, atque irae modum poſuit? nihil minus: *minas caedemque ſpirans*, auditis Lucae formulam loquendi graviſſimam profecto; minas, inquam, caedemque ſpirans a Pontifice commendaticiis petitis impetratisque, Damascum advolare contendit, ut recenti plaga perculſos Chriſtianos obrueret, incendioque illo Hieroſolymitano cunctos involveret.

Quas non clades, quantam calamitatem cenſetis hunc hominem, tanto praeditum agendi vigore, in Eccleſias importare potuiſſe? qui

nus-

nusquam remiſſus, ſemper alacer & intentus, ſpatium ſibi conquiescendi nullum concederet: quis non talem temporibus iniquiſſimis cauſae Chriſtianae propugnatorem, talem vindicem optaret? Sed cui vel prudentiſſimo poterat in mentem venire, quis ulla vel leviſſima cogitandi ſuſpicione aſſequi, Saulum, vaſtatorem illum ſanctiſſimi gregis, deſertis repente partibus mutatisque, quae infeſtus intulerat, ſignis in illa tranſiturum eſſe caſtra, quibus ipſe faces admoviſſet, & cum maxime admoveret? Herculi prius clavam extorquere quis ſe poſſe ſperet, quam Saulo illam penitus infixam & ſub alto pectore flagrantem vexandi vaſtandique Chriſtianos opinionem: neque profecto humanae opis erat tam pertinacem animi rigorem flectere, tam ferreum pectus emollire: miraculo debebatur Sauli ad contrariam bonamque mentem converſio.

Quid ergo? in illo ipſo itinere Damasceno hoſtem infenſiſſimum Chriſtus proſtravit, ab incepto nefario caecitate multatum repulit, quae tamen oculorum poena mox remiſſa ad perſpicaciam mentis veraeque lucis uſum eſt converſa, extra ordinem, nullo unquam, dum in his terris viveret, conſortii genere, nulla cum veris diſcipulis neceſſitudine conjunctum ſuorum in numerum coöptavit, ſuis ſub ſignis militiam illam legitimam militare juſſit, eo animi ardore, eo mentis totarumque virium impetu,

B quo

quo ſibi bellum ante indixiſſet: quid multa? dignus eſt habitus, tantoque intervallo ceteris omnibus praelatus, ut ipſi paene ſoli ab Imperatore ſummo integra pro fide Chriſti in gentes terrarum ultimas expeditio concrederetur. Haec vero Pauli tam ſubita mutatio, tantum vitae rationumque omnium diſcrimen, adeo levem apud pleroſque primum merebatur fidem, ut, quum ſe ſanctiſſimis hominibus applicaret, eorumque coetibus immiſceri cuperet, priſtinae plagae recordati conſpectum ejus haud aliter fugerent ac reformidarent, quam dirum aliquod mali venientis omen: quin Paulus ipſe miraculi magnitudinem ita praedicat, ut in ejus frequentiſſima commemoratione ſui criminis memoriam refricet atque interponat, ſua ſcilicet confeſſione ſignificans, non minore quam praeſentiſſimi Numinis machina fuiſſe opus ad concutiendam obſtinatiſſimae mentis duritiem & convellendam.

Habetis AA. Paulum ex Judaeo Chriſtianum, ex adverſario amicum, ex infenſiſſimo hoſte acerrimum defenſorem, ex auctore ſtragis & ruinae columen Eccleſiae firmiſſimum. Atque ille mox praeclariſſimi, quod in ullum mortalium unquam fuit collatum, beneficii ſervitutem non teſtimonio tantum adſtrinxit ſempiterno, ſed vigiliis, ſed laboribus, ſed pro re Chriſtiana ſubeundis omne genus periculis.

Jam primum omnium excelſam illam animi ma-

magnitudinem conſiderate, robur illud invictum, quod in acerbitatibus perpetuis nulla unquam deſperatione concidebat, nihil tam arduum videbat tamque difficile, quod vigilando & nitendo ſuperari non poſſe confideret: ſi ſuis ponderibus temporum eorum examinemus conditionem, (patimini, quaeſo, ſeponi paulisper virtutem divinam, quae, quod deſtinavit, nullo negotio conſequitur; atque ita nos rationes inire, quaſi rebus, quae tum gerebantur, ipſi praeſentes intereſſemus) quam non natae modo religionis & tantum quod exortae ſpes videbantur ad anguſtum omnes redactae; hinc Judaei odiis atque inimicitiis incenſi naturalem in diffidentes populos furorem juſti fervoris priſcaeque legis tuendae praetextu exſtimulantes: illinc Romani imperii potentiſſima majeſtas; quae, quamvis in peregrina religione toleranda paulum humanior & indulgentior, nullum tamen videbatur locum, nullam progrediendi facultatem relictura Chriſtianis, qui cultum fictorum numinum omnem, omnium majorum ſacra, quibus reipublicae ſalutem contineri non ſinguli quidem, ſed cuncti certe credebant, de medio tollerent, ac penitus projicienda vociferarentur. Porro, quaſi ab his, quae extrinſecus irruebant, malis non ſatis impenderet periculi, jam tum inteſtinis vulneribus ac domeſticis conſciſſa lacerabatur civitas Chriſtiana: aderant, ut genus humanum mirifica quadam imbecillita-

te dicam an malitia conflictatur, qui puriſſimae doctrinae vocibus ipſis Chriſti diſcipulorumque promulgatae labem adſpergerent, ſacratiſſimumque fidei noſtrae depoſitum ſceleſtis manibus attrectarent; alii ſolo nomine ſalutarem doctrinam profeſſi ſenſus iſtos terreſtres ambitionis, invidiae, diſſidiorum in Eccleſiam invehebant, idque unum ſtudere videbantur, ut meliorum criminationibus ſibi creſcendi pararent copiam.

Tot tantisque obſtaculis, quae vel fortiſſimum ſi non plane dejicerent, at impedirent ſaltem ac conturbarent, excitata Pauli virtus ſplendidius enituit.

Non illum perfidae Judaeorum inſidiae deterruerunt, quo minus vel pervicaciſſimos & caliginoſo quodam inscitiae velo obductos graviſſimis refelleret verbis, vel nutantes, & tenui veritatis radio perſtrictos, oratione leniſſima ac precibus ad Chriſtum perduceret; nullus illum dedecuit color, quo ſui populares, quantumvis ejus unius caput omni malorum genere peterent, non argumentis ſolum, ſed etiam amoris tenerrimi conſtantia victi religionis inſtauratae beneficio fruerentur. Numquid Romanorum faſcium metus eum retinuit, quin per florentiſſimas urbes, objicientibus ſeſe ubique ſed irrito conatu Judaeis, ac vim Romanam implorantibus, foecundiſſima veritatis ſemina longe lateque diſpargeret? ex hac autem animi magnitudine tantam cauſae fiduciam concepit,

pit, ut non Regum, non Principum virorum conſpectum ſermonesque intempeſtiva verecundia ſubterfugeret: dumque ea in vinculis ipſis conſtantia & generoſa libertate delicias ſuas Chriſtum docet, ad ejusque ſalubrem intellectum ſereno vultu pacatoque ore convictos peccatores invitat, fieri ſane non potuit, quin multos vel ſola tam tranquillae mediis in fluctibus mentis recordatio afficeret ac commoveret: adeo nullum ipſi tempus a ſuſceptae cauſae cura vacabat, ut nusquam aſper, nullis conturbatus injuriis, inimicis ipſis, ſi qua medicinae ſpes eſſet relicta, lenis manſuetusque occurreret.

Porro haec animi elati, quam diximus, celſitudo non tantum ſeminarium quoddam ceterarum virtutum complectitur omnium, verum ſingulas etiam impreſſa velut propria nota conſignat: alia rebus in gerendis ſubtilitas ingenii, mentis aliud ac longe diverſum acumen in homine anguſto & contractis humilis naturae limitibus circumſcripto: aliud in magno altaeque indolis viro: iſte in vilibus ac parvis minuta quaeque conſectatus ſibi blanditur, aliis ſe venditat, nullum denique, quem conſtanter petat, finem habet propoſitum; hic proſpectu longius emiſſo totum rei, quam ſuſcepturus ſit, ordinem ad ultimum emenſus capaciſſimae cogitationis ambitu complectitur, & cunctas deſignationes ſuis quasque locis diviſas

ob oculos ita ſibi ponit, ut nullis intricari ſeſe difficultatibus atque irretiri patiatur, quin conſtanti curſu ad deſtinatum properet, & intentus oblata caſu flectat ad conſilium.

Hanc ut in Paulo vim ingenii admiremini, haud ſane multa opera nec contentione longa mihi opus erit: Vos jam ipſos praecepiſſe credo atque animo praeformaſſe quicquid a me poteſt in medium proferri: ne tamen ipſe mihi deſim, perpendite, quaeſo, quam Evangelii praedicandi amplitudinem, quod patentiſſimum ſpatium animo deſcripſerit, ac velut omine perſpicaciſſimae mentis jam inde ab ipſis carceribus occupaverit: ſcilicet in urbe quadam, ſaltem regione conſiſtere inſtituit: imo quas non urbes ille, quas non regiones adiit, peragravit, victoriae pro Chriſto reportatae monumentis illuſtribus inſignivit: Judaeos toto coelo errantes ſolos habuit eximios, quos novae lucis beneficio impertiret: imo & hos & cunctas gentes totumque adeo terrarum orbem Chriſti imperio ſubjectum parere voluit.

In tanta conſiliorum amplitudine & maximarum rerum deſignatione quis nunc miretur indefeſſum nullisque unquam obſtaculis adſtrictum Pauli curſum, agendi impetum ac vehementiam incredibilem, qua tamen nunquam ſic efferebatur, ut prudentiam, illam rectarum actionum omnium temperatricem ac ducem, negligeret: quare, quum infinitam hominum mul-

multitudinem ad civitatem coeleſtem aggregaſſet, id ſibi inprimis, ne partae victoriae fructus dilaberentur, curandum ſtatuit, ut ab uno capite Chriſto pendentes mutuo quodam ordinatae ſocietatis ſuisque numeris diſtinctae vinculo colligarentur: quod ſane quam fuerit neceſſarium in tot rebus adverſis, tantisque inimicorum inſultibus, nemo erit, qui non certiſſimum ponat.

Illud vero praetereundum minime videtur, Paulum, non quidem ſolum, nam quî ceteros fugere potuiſſet, quod ad naturam verae religionis ſummo opere pertinebat, at praecipue tamen, & quam maxime, perſpectam habuiſſe conditionem & vim Chriſtianae libertatis: inſederat profecto altisque radicibus haeſerat apud eos praeſertim, qui a Judaeorum ſacris ad Chriſtum fuerant traducti, noxia quaedam & ſervilis ſententia, jungendam eſſe Moſis legem cum Chriſti praeceptis, veteres umbras cum luce nova: huic etſi rationes omnes, auctoritas quidem non tam deerat, ut ipſi nonnunquam Apoſtoli, eorum certe nonnulli, iſtius opinionis vel ſuſpicione perſtringerentur, vel tacito quodam lenocinio abripi ſe ſinerent: non ita Paulus: cum animi magnitudine conjunctus êſt arctiſſime libertatis, ſed legitimae, ſed ſolis juſti rectique terminis incluſae ſenſus; quem ſub imo pectore foveat, quem, niſi cum vita, deponere non poſſit. itaque quis acrius tantum

decus ac religionis noſtrae privilegium defendit, quis firmioribus argumentis munivit, atque illibatum poſteris, quibus quidem recte ſentire iisdemque in veſtigiis pedem ponere fuit datum, commendavit?

Porro ſummam prudentiae laudem nemo aut juſtiore titulo mercatur, aut facilius acquirat, quam ſi fixis in propoſitum finem oculis hominum ingenia dignoſcat, temporum articulos & momenta promte dimetiatur, omnes rei bene gerendae anſas corripiat: quae profecto in Paulo virtus fuit tam conſpicua, ut per omnem vitae rationem clariſſimis exemplis infixa ſplendeat.

Ecquid placet A A. ut Athenas vos ducam, atque in Areopago conſtituam: ibi lis Paulo mota: cauſa religionis agenda palam in acutiſſimorum hominum (volunt enim hac laude & cupidiſſime quidem cenſeri Attici) conventu: res ipſi erat cum Philoſophis Epicureis & Stoicis, quorum tunc temporis ſupra reliquas familias ingens Athenis erat copia: ſic Epicurei ſtatuebant, Deos a rebus humanis ſemotos longe ſejunctosque immortale aevum & tranquillum ſumma cum pace agere, cultus humani plane non indigos, irae perinde ac favoris & benevolentiae expertes; hanc autem mundi machinam ex temerario confluxiſſe atomorum congreſſu: Stoici vero, divinam eſſe progeniem homines dictitantes, tantopere mentis huma-

nae

nae viribus confidebant, ut rationem per ſe ſolam recte perpurgatam vitiorum omnium unicam emendatricem ponerent, ſuique ſapientis cum ipſo Jove beatitatem comparare non vererentur.

In his igitur alieniſſimis quidem opinionibus nihilne omnino eſt, quod aliqua conceſſione mitigari poſſit atque in melius flecti, ut Philoſophorum ſtudia conciliata prolixius ſe veritati nunc primum auditae praebeant? eſt ſane; nec occaſionem tam opportunam callidiſſimus temporum aeſtimator Paulus e manibus dimittit: videte enim, quemadmodum Epicureos & corrigat & alliciat: Deus, inquit, nequaquam hominum opera ſic colitur, quaſi qui vitae hujus & Spiritus uſum & omnia denique cunctis tribuerit, non ſatis ſuis pollens opibus ullius ad felicitatem ſempiternam indigeret: Stoicorum autem ne verbis quidem ipſis abſtinuit: quam enim ad ſectam iſta putatis proxime accedere? *vivimus in Deo, movemur, & ſumus:* ne porro cuiquam ſit dubium, quin oratione ad tempus accommodata auditorum animos ac propenſionem ſibi cupiat obligatam; Arati quoque poëtae notiſſimam illam ſententiam in rem ſuam convertit: nam quid dicam de Deo ignoto? cujus aram Athenienſes, qui inter majorum merita ſingularem religionis curam non infimo loco ponebant, habuerint publice dedicatam: quorſum enim haec eſt mentio illata, niſi ut

apud homines, avidiſſimos quidem rerum novarum, ſed eosdem priſci in colendo numine ritus tenaciſſimos, novitatis invidiam, qua maxime poſſe videbantur alienari, excuſaret. Quis jam eadem opera non perſentiſcit, quanta fuerit in dijudicandis hominum ingeniis ſolertia, qui ſe ſciret eum in modum ſingulis atque univerſis attemperare, ſic componere, ut ab offenſione non minus quam contemtu abeſſet. Epiſtolae verſantur in manibus, teſtes utique luculentiſſimae; in quibus ſive ad ſinceram virtutem cohortetur, omnesque in uno Chriſto ſpes reponere jubeat, ſive verbis ſeverioribus peccantes caſtiget, ſeu molli blandae orationis lenocinio demulceat; mirifica quaedam eſt, & ad moderandos in quamcunque partem animos potentiſſima dicendi facultas: quo fieri non potuit, quin omnibus doctrina ſalutari imbutis, quos ipſe ſanctiſſimo velut partu fuerat enixus, & Judaeis & Gentibus eſſet cariſſimus, & tanquam coelo delapſus parentis genuini loco coleretur. Quae vitae commoda, quos fructus amoris propenſiſſimi non potuiſſet capere? potuiſſet utique juſtiſſimos, idque aliorum, quos ejusdem habebat muneris collegas, exemplo: ſed, tametſi meritiſſimam, in mercedem ne tantilla quidem cupiditatis illius ſuſpicio caderet, tantum ab hoc inſtituto generoſus ac liberalis Pauli animus abhorruit, ut in alios indulgentiſſimus nihil indulgeret ſibi, malletque adeo

quo-

quotidiano, quod didicerat, opificii labore perfrui, quam vel minimam ſui calumniandi anſam adverſariis praebere. Et Paulo ſane, tam eximiis dotibus in Eccleſiam meritisque ornatiſſimo, non deerant hoſtes infenſiſſimi; qui fucorum inertium more ejus mellificiis incubarent; &, quod multo gravius erat, auctoritatem in eo ſplendidiſſimi muneris nefarie labefacere, impurisque vocibus in controverſiam vocare non vererentur: ſcilicet ita comparatum eſt, ut, quo quis ipſe pejor eſt, eo minus excelſam virtutem ferat: hic autem modeſtiſſimus, &, ſi quisquam alius, ſui non minus quam injuriae ſibi illatae contemtor, ubi tributa a Chriſto docendi Evangelii dignitas agitur, ſeſe commovet atque erigit Paulus, quippe qui duodenario numero non inficiandum nomen acceſſiſſet: quare glorioſum Apoſtoli titulum inſcribere ſibi nusquam praetermittit, ſed ea tamen temperatum cautione, quae & animum divini beneficii ſubmiſſe memorem demonſtret, & provinciae, quam a Chriſto commiſſam ſtrenue gerebat, auctoritatem affirmet: etenim, quando in hunc campum evectus procurrit, comparare ſe non veretur ad quemcumque alium, ſuisque laboribus, vigiliis, & vitae dimicationibus plus tribuere, quam ceterorum omnium: quae dicatur ſane, ſi quis ita contendat, confidentiſſima fiducia; ſed magnis par-

parta meritis, ab animo magno profecta, ſed ſuae virtutis opumque conſcia.

Has naturae dotes, ingenii animique virtutes luculentiſſimas quum Spiritus Sancti cura divino rore nutritas produxerit, quanto cum lucro non debuerunt & emolumento rei Chriſtianae exerceri. Idem vero voce, vitae exemplo, ſtudiisque omnibus non contentus diſcipulos exornare, ſcriptis quoque coeleſtem doctrinam copioſiſſime conſignavit: in quibus tenerrimi, quo ferebatur in Chriſtianos, affectus ſenſum varias in partes verbis exquiſitiſſimis ita depingit, ut omnia ſimul ad ſalutem ſapientiae & cognitionis inſtrumenta ſubminiſtret: dicam enim, & minime metuo ne vos affirmanti refragemini, eum, dum in enucleandis ſapientiae divinae graviſſimis capitibus frequens verſatur, & rationes ſubtiliſſime collocatas in aciem educit, unum omnium maxime ſciendi recluſiſſe fontes, aditumque nobis apertum patefeciſſe; quem qui ſequatur, non moribus tantum monendo proſit, ſed aedificium inſuper doctrinae fundet erudiendo ac conſtituat.

In eum autem me devениſſe locum video, in quo ſubterfugere non poſſum, ut perſonae, quam cum maxime ſuſtineo, ſatisfiat, quin de ſtylo Paulo ſcribendique genere judicium interponam: magnis agitata diſſidiis quaeſtio, ad quam

quam diſceptandam illi inprimis conſedere judices, qui, quantum de nitore ſtyli Paulini detraheretur, tantum divinae ſacrarum literarum auctoritati decedere ſibi perſuadebant: hoc ſi ulla veri ſpecie poſſet confirmari, jam pro elegantia ſcribendi Paulina tanquam pro aris & focis eſſet depugnandum: ſed a tam tenui filo ſuſpenſa non eſt, neque omnino ſuſpendenda, chartarum Apoſtolicarum divinitas; nullusque intercedo, quo minus hoc quidem judicium, quod nemo paulum acutior probabit, pro irrito habeatur & non judicato. De Origene quid dicent? qui, tametſi Paulum inprimis admiretur, de ſcriptione liberius aliquanto cenſuit: non enim ſoloecismos contentus & barbarismos notaſſe, illa nonnunquam totius orationis figurarumque eſſe ſtatuit impedimenta, quae prorſus difficillime poſſint explicari: quid de Hieronymo? qui Graeci pene ſermonis imperitum fuiſſe ſcribit, diſertioremque in Hebraea lingua quam Graeca, Paulum illum, qui mediis Athenis ad aures illas Atticorum eruditas verba facere non dubitavit. Sed in his commemorandis nihil eſt cauſae cur tempus conſumam, quandoquidem parum habet apud peritos momenti, quid hic, quid ille, quid plures cenſuerint. Ad hanc controverſiam recte diſceptandam illud mihi maxime videtur animadvertendum, in omni orationis complexu duo debere ſumma cum cura diſcerni, ipſam dictionem ſty-

li-

lique formam, & rerum, quae pertractantur, ordinem ac compoſitionem: haec quanquam ad unum orationis corpus efficiendum coeant, nullatenus ſunt confundenda: nam & nitida verborum collocatione, ſelectisque loquendi formulis male cogitata atque inconcinne digeſta poſſunt exponi; & res praeclariſſimas magno argumentorum pondere firmatas ſtylus quod ad dictionem ſordidus atque impolitus complectatur: hoc a prudentia ſcribentis atque indole generoſa pendet; illud ad curam Grammatices aut ſollicitam veterum exemplarium imitationem pertinet.

De Pauli autem ſtylo, ſi voces ſolas phraſiumque & orationis juncturam ſpectes, inficias ire non poſſum, illum a caſtigata Graecorum eloquentia multum diſcedere, nec talem eſſe, qui purus dici poſſit atque elimatus: quod qui pertendunt, & Paulum hoc etiam in genere cum Platone volunt collatum, nullis unquam rationibus profecto conſequentur, ut opinioni tam inficetae Graeci ſermonis callentes ſubſcribant: quid enim manifeſtius eſt, quid plurimis indiciis teſtatius, quam Apoſtolum ſecutum, imo ſequi debuiſſe illam Graecae Linguae formam, quae a Judaeis Graecienſibus fuerat invecta? pone Paulum non Graecarum, ſed Atticarum Venerum, fuiſſe longe peritiſſimum: hanc tamen ipſam ſcriptionis indolem jure merito praelatam adhibuiſſet: cum enim ad Judaeos, quo-

quorum erat in accipienda ſalutis doctrina quaedam praerogativa, ſaepiſſime locutus eſt ac literas miſit; tum religio Chriſtiana cum rebus Hebraeorum, & antiqui Foederis, quod Graecis erat literis expoſitum, neceſſitudinem habebat proximam & conjunctiſſimam; ſic ut trita Judaeorum uſu Graeca vocabula loquendique formulae apte ac poteſtate, qua valuerant, parum immutata ad declarandam Chriſti doctrinam accommodari poſſent. Quod ſi a ſtylo, ſalutiferi nuclei ſolo putamine, diſcedamus, animusque ad ipſum orationis Paulinae contextum adducatur, jam nihil ejus cogitatis & argumentorum nervis ſublimius eſſe & incitatius fatendum eſt. Haec igitur eloquentia, quae non in floſculis verborum, & orationis calamiſtratae pigmentis, ſed in indolis excelſae notis, ſed in pondere rerum graviſſime pronuntiatarum eſſet poſita, ſi cuiquam, Paulo certe maximo merito adſignabitur: quum enim magna eſſet in eo animi vis, & divina quaedam meditate cogitandi facultas, mentis imaginem ſcribendo expreſſit: hinc in Ejus Epiſtolis nullae non extant Oratorum figurae, non illae quidem e Rhetorum loculis ac myrothecio depromtae, aut ad orationem expoliendam arte compoſitae: procul aberat Paulo tam operoſa culti ſermonis & in ſuos reducti numeros ambitio: verum affectus animi coeleſti ardore inflammatus haec ſcriptionis lumina ſponte

te ſub manum venientia progignebat; itaque ſe Paulus conformabat, ut ad omnes dicendi vias, rationesque omnes mirifica quadam ingenii temperatione foret paratiſſimus: nam quis, dummodo ſenſum humanitatis non exuerit, tam durus, tamque ferreus, ut petenti neget, hortanti non auscultet, reprehendenti ſuccenſeat, jubenti non pareat? Ergo, ut paucis dicam, haud vereor adſeverare, non fuiſſe diſertiorem Demoſthenem in illa venuſtatis Atticae copia, in iſto virtutis oratoriae regno, quam fuerit in his humilis & vulgatae dictionis, ſi lubet, ſordibus Paulus, veriſſimum religionis Chriſtianae fulmen.

T I.

Digitized by Google

TI. HEMSTERHVSII
O R A T I O
DE LINGVAE GRAECAE PRAESTANTIA, EX INGENIO GRAECORVM ET MORIBVS PROBATA.

[*Dicta Franeq.* CIƆIƆCCXX.]

Prima maximarum rerum & dubiae plurimum ſpei rudimenta, cum publicam ad lucem tacito divini numinis conſilio maturuerunt, ut eniteſcant & ad perfectionem educantur, mirifico concurſu atque acerrimis homines ſtudiis concelebrant. Blanda quidem gratae novitatis commendatio nonnihil habet in animis ad mutuas operas conſociandis momenti; verum aſperrima, quae teneris rerum initiis natura circumdedit, impedimenta majores admovent ſtimulos, atque irritatam animi vim exacuunt; qui, dum praeclarae laudis praemium videt, ipſa difficultatum pericula in lucro ponit; nam quo gravioribus ingenium humanum premitur incommodis & in arctum coercetur, eo certiorem viribus explicatis habet victoriae praerogativam. Hic profecto generoſus hominum ardor & ad respublicas tum ſanctitate morum ac legibus tum belli gloria fundandas, & ad ornandam pulcerrimis praeſidiis vitam valuit:

ſed ubi virtus repulſis obſtaculis ſeſe expedivit, ac res firmatas in tuto collocavit, veluti cote fortitudinis ſuperandi contentione ſublata, intenti laboris hebeſcit acies, & remiſſus animorum vigor per ignobilem ſocordiam elangueſcit: qua re fieri non poteſt, quin, poſteris partas a majoribus utilitates male retinentibus, priſtina decora honeſtiſſimaeque artes ſummo cum humani generis detrimento collabantur atque obſoleſcant. Tam gravis enimvero vitii contagione, cujus per omnes rerum humanarum ordines late venenum ſerpit, non tantum potentiſſimorum vires imperiorum ſunt labefactatae, quod illuſtribus omnis memoriae documentis conſtat, ſed & egregia doctrinae ſtudia, ſi non afflicta jacent, contabeſcunt certe & ruinam meditantur. Ne temerarius videar vanae opinionis auctor, revocanda eſt paulisper infauſti temporis, quo Faſtis annalibus peſſime fuit conſultum, recordatio, quum foeda barbariei peſtis terris incubabat, & ſepultis omnibus divinae rationis igniculis homini ſui nominis honorem detraxerat; quum ſquallore & incultu deformi ſterilis verae Eruditionis fundus horrebat; religionisque in exilium pulſae ſpoliis impune ferox inſcientia, unica ſuperſtitionum nutricula, graſſabatur; quum denique, ſi quod ingenium non ſiniſtra finxiſſet natura, ſeculi ſui tenebris obrutum & tanquam in communi bonae mentis naufragio ſuffocatum interibat.

ibat. Vereor equidem A. O. quoniam longius aetatis intervallum obſcuram neſandae corruptionis ſpeciem attenuavit ac tantum non extinxit, ne minus haec Vos commoveant: verum ſi oculos in hanc pereuntem ſeculorum memoriam inſeratis, non dubito, quin divina quadam emendatricis dextrae opus fuiſſe virtute fateamini, quae generis humani pravitatem corrigeret, & animos intemperantiſſimis addictos dominis ſervili nexu ſolveret. Adfuit deſperatis rebus divinitus exorta literarum lux, dubia quidem primum, & quae tenui radio dimota diuturnae noctis caligine ad paucos permanaret; mox tamen clarior & ſecundis omnium ſtudiis exculta ceteras etiam diſciplinas ab inquinatiſſimis ſordibus luſtratas novo ſplendore honeſtavit. Fuit autem in his renaſcentis doctrinae primordiis inaeſtimabilis quaedam ad expoliendam Eruditionem voluntatum conſpiratio: Principes enim Viri atque Optimates ab ſua perſona non abeſſe arbitrabantur, ſi tum ipſi publicas occupationes literarum oblectamento diſpungerent, tum Doctiſſimos homines, quorum ſua ſponte excitatiſſima erant ſtudia, gratia, favore, praemiis accenderent: qua cura quum cuncti nihil eſſe honeſtius, nihil ad memoriam priſtini dedecoris obliterandam accommodatius exiſtimarent, mirabilis ad omnem excellentiam brevi tempore facta fuit progreſſio. Sed ad primos illos inſtauratae

humanitatis recuperatores & antiſtites animum ut attendatis, operae pretium eſt, in quibus veras rationes & rectam ſtudiorum viam quo minus aemulari in proclivi, tanto magis admiramur: etenim laudabili quadam animi magnitudine quum ampliſſimos eruditionis limites mente deſignaſſent, ſic tamen ad ſingulas partes inveſtigandas ſeſe comparaverunt, ut nihil ipſis ad praeclaram rerum & accuratiſſimam cognitionem defuiſſe videatur: nam quid illi vel ad ornanda veterum monumenta, ſine quibus omnis ad eminentem doctrinam aditus eſt praecluſus, vel, quod ego palmarium duco, ad alendas hoc tam ſalubri ſucco ingenii vires firmandumque judicandi robur praetermiſerunt? quam ob rem haud paucis ſane contigit, ut, quum antiquos multiplici ſcientiarum varietate viciſſent, ab eorumdem elegantia & ſcribendi venuſtate proxime diſtarent. Equidem temperare non poſſum, quo minus iſtius aetatis fortunas praedicem & ſuſpiciam, cum qua ſi haec noſtra tempora contenderis tam turpem ignominiae notam ſuſcipient, quam longe a certiſſimis priorum veſtigiis deflectunt: poſtquam enim depulſo barbariei metu avitae virtutis calor refrixit, tantum inertiae poſteri largimur, quaſi partis opibus indormire ampliſſimam habeat laudem, ut paratiſſimum illud ab omni eruditionis inſtrumento doctrinarum patrimonium dilabi patiamur, & intercidere: parum

rum fuit, contractiſſimis ſpatiis ſtudiorum fines circumſcribi & arctari, quod ipſum, ſi ingentis eruditionis damnum accuratiore diligentia penſaret, haud inique foret ferendum, niſi nobilis ingeniorum vigor in illas concluderetur anguſtias, ut voculis exigendis & literarum apicibus debilitatus magis magisque conſeneſcat, ac tanquam viribus effoetis omnem aliquid ex ſeſe genuinum & ad veterum formulam elimatum progignendi fiduciam depoſuiſſe videatur. Et de ſtudiis humanitatis evileſcentibus ac deſpectis conquerimur identidem atque indignamur, cujus ipſi cultores, dum praelucentem majorum induſtriam procul habemus, & in nugis magnifica jactatione dominamur, publici contemtus cauſam agimus. Haud equidem diffiteor, elegantioris doctrinae dignitatem non ab uno hominum genere vel per inſidias appeti ac delibari, vel palam & apertis odiis oppugnari: ſunt enim non pauci numero, qui, cum ipſi literarum fructu aequo animo careant, & pannoſo Scholaſticae vanitatis choragio ſubnixi in altiorem ſeſe ordinem evectos ſomnient, humanitatis curam leviſſime duntaxat ſuſcipiendam, quin potius omittendam penitus inculcant, atque inſignes pigritiae patroni facilem ex aliena ſocordia quaeſtum ſibi comparare glorioſum ducunt. Sed importunos horum incurſus ipſae per ſe literae nullo negotio refutarent, niſi graviorem imponeret plagam

gam Nobilium ſane Virorum expromta contemtio, in quibus quo majus eſt auctoritatis pondus, hoc periculoſius adfert praejudicium; quorum hi quidem felici indole & rerum uſu, magiſtro minime inepto, confiſi, illi, ſuperbum ignorantiae faſtidium praetendentes, ſtulte dictitant & ſine fructu, quae naturae beneficio atque in hominum luce perfectius addiſcantur, inter obſcura Muſarum latibula quaeri. Profecto vehementius hujus acerbitatis dolore conturbarer, niſi labantem animum & tanto vulnere perculſum recrearet auſpicatiſſimus Academiae noſtrae Patrum, Virorum Ampliſſimorum, conſpectus, qui cum & generis & animi vera nobilitate ornatiſſimi ſummis in rebus adminiſtrandis divina quadam atque immortali virtute floreant, hanc tamen egregiae laudis particulam a ſe non aſpernantur, ut bonarum artium ſtudia & illuſtri exemplo & prudentiſſima tutela defendant ac cohoneſtent.

Quamvis autem hae calamitates ab extraneis hoſtibus literis interveniant pernicioſiſſimae, ſedari atque averti poſſe viderentur, niſi domeſticum ſocordiae malum priſtinam laudem praefloraſſet: quid enim aliud multas easque praeclariſſimas eruditionis partes, quae more majorum inſtitutoque celebrari ſolebant, intervertit atque ab uſu communi removit? cujus argumenti materia multo copioſiſſima ne juſtae quidem orationis cancellis includi poteſt,

ne-

nedum hoc tam brevi ambitu contineri. Verum, ut cetera praetermittam, inveteratus jam ſermonis Graeci Graecarumque literarum neglectus ſatis ſuperque dictis fidem adſtruit: in qua ſtudiorum parte cum priſci illi heröes eruditionis velut arcem & caput collocarunt, utile quidem poſteris, ſed ſpretum & abjectum, quod illi omen deſpuebant, exemplum prodiderunt: nunc in eum Graeca literatura locum recidit ac prolapſa eſt, ut, qui omnium eſſe primi in humaniore doctrina videri volunt, ſi ad has in Muſarum republica tabulas acceſſerint, pro capite cenſis referri debeant. Huic autem ingraveſcenti vitio ut pro virili parte obſiſtam tum injuncti mihi muneris ratio poſtulat, tum rectae diſciplinae praeditaeque bona ſpe juventutis intereſt: quamobrem nihil ab hac provincia, quam mihi prolixa Virorum Ampliſſimorum voluntas impoſuit, alienum videor facturus, ſi cauſas a primis fontibus ipſoque adeo Graecorum depromtas ingenio curatius exponam, quae Graecum ſermonem ad perfectiſſimam illam, qua jure merito cenſetur, praeſtantiam eduxerunt. Atque utinam illa eſſet in me dicendi facultas, quae rerum reſponderet dignitati, & paene intermortuum Graecae Linguae amorem gratioſa commendatione ſuſcitaret, fructus, A. O. veſtrae celebritatis uberrimos perciperem: nunc vero cum prorſus intelligam, quam nihil a me perpoli-

tum, nihil exquiſitius ornatum proficiſci poſſit, quod meae audientiam faciat orationi, id unum ſupereſt praeſidium, ut benevolentiam, cujus aura curſum meum dirigatis, a Vobis deprecer: qui ad Vos nulla mei fiducia proceſſi, ſed mori Majorum obſecutus, cum laudem mereri nequeam, ſatis operae pretium retulero, ſi culpam Veſtro judicio vitaverim: qua poſſum ſola, malignam ingenii venam orationis brevitate compenſabo, Veſtrique in me ſtudii propenſionem remunerabor.

Id enimvero non mediocriter me commovet, quod in gravem videar eamque non unam nonnullorum reprehenſionem incurſurus, qui, licet ornatiſſime pertractetur, tenui certe ac ſaepius in recocto argumento inanem operam, cujus ad perpaucos utilitas ſit permanatura, mihi perire dictitabunt: nam quid Linguae Graecae cauſa vel diligentiſſime dicta ad ſummam rei proficias, ubi hominum id eſt ingenium, ut, ad quam quemque ſtudiorum rationem ſive congruentis naturae lenocinium applicuerit, ſive caecus impetus amicorumve conſilium detulerit, illam in deliciis habere, illam admirari ceteris omnibus poſthabitis in haud minima ponat officii parte: quotus enim quisque quod ſibi ſemel, ut contemneret, imperavit, non ſemper eſſe contemnendum ſententiae ſuae fiducia decernit, aut ſui judicii praerogativam veritati ſerius intellectae donat?

ſi

ſi quis igitur ab hac eruditionis ſpreta regione longe refugerit, ſuaeque curſum disciplinae procul abducere conſtituerit, is nunc ad dignitatem Graeci Sermonis agnoſcendam poſtliminio ſcilicet revocetur, errroremque, ſi forte, jam conſuetae familiaritatis uſu in ſinu habitantem exturbari aequo animo patiatur? nam illi profecto multo majore, quam in rem literarum ſit, numero, quorum animus omnis humanitatis contemtor ſpecioſum cujuslibet doctrinae titulum alto ſupercilio deſpicit, ut a celſo ſuae majeſtatis faſtigio ad has tam humiles & abjectas nugas levi declamatiuncula devocentur, quis ſperandi locus eſt? Verum ad veteris exempli formulam, quorum in animis temere ſusceptae opiniones & tractandi voluptate dicam an pertinacia corroboratae ſic obhaereſcunt, ut arte nulla, nullis rationum machinis, revelli queant, illos huic cauſae judices iniquos ejuro; nec utcumque exiſtimaturi ſunt, in magno ponam diſcrimine: iſtos mihi disceptatores & cognitores non tantum non recuſo, ſed ultro deposco, qui nullis addicti vanae perſuaſionis ludibriis juſto examine rerum momenta conſiderate perpendunt, & intra veritatis intellectum judicandi libertatem coercent: horum ſi tulero ſuffragia, nihil eſt, quod eruditioni Graecae inimicos ſummopere pertimescam. Quin ex eo fiducia mihi creſcit, quod in ſplendido Graviſſimorum Hominum

confeſſu dicere de Graecae Linguae praeſtantia ingrediar, qui, quicquid ad omnis doctrinae commendationem ac decus in medium ex hoc loco fuerit allatum, pronis auribus & prolixa voluntate ſint accepturi.

Quemadmodum autem porro, multos operam ante me hac in palaeſtra diligentiſſimam occupaſſe, non diffiteor, ita vehementer doleo, ampliſſimas eorum laudes adeo Graecae Linguae non profuiſſe, ut, quae omnium cupiditates commovere debuerant atque inflammare, immoderati praeconii crimine fuerint oppreſſae: in hanc enim invidiam honeſtiſſimum illud animi grati teſtimonium, quo Summi Viri Linguam Graecam, ex cujus inſtrumento firmatis mirum in modum eruditionis copiis publicam in exiſtimationem abiiſſent, ſunt remunerati, maligni obtrectatores adducere non dubitarunt. Id tamen me non absterrebit, quominus in eodem ſtadio, quamvis immutato paulum itineris flexu, decurrendum mihi ſumam; non, quin utiliſſime hoc in argumento priores elaborarint, ſed quia, cum tota fere hujus diſceptationis ſumma fuerit exemplorum loquendique formularum, quibus certe Graecus Sermo exquiſitiſſimis affluit, finibus adhuc incluſa, quod in hac cauſa vel praecipue fuit obtinendum, haud immerito praetermiſſum videri poteſt: peritis enim judicibus, quos ſua ſponte ſtudiorum experimen-

tum

tum ad has partes adjungit, etſi prorſus fuerit ſatisfactum, minus tamen hujus cauſae menſuram impleveris, niſi & imperiti horumque ſacrorum expertes liquidis rerum teſtimoniis evincantur, iis Linguam Graecam radicibus eſſe nixam, ex quibus ad pulcherrimam perfectionem adolescere potuerit. Quoniam igitur omnis ratiocinandi vis, ſi legem ab ipſa natura latam ſequamur, a certis principiis deducta, atque argumentorum neceſſaria colligatione conferta, ut peraeque omnium in animos illabatur, ad planum quoddam atque expeditum diſputandi genus referri debet, idcirco aliam mihi viam & huic loco hominumque ſtudiis accommodatiorem eſſe communiendam duxi, quae ab ipſis Graecorum moribus & ingenio profecta curſu orationis perpetuo ad eumdem finem pertineret. Nec dubito, quin a nonnullis Auditoribus gratiam minime vulgarem ſim initurus, qui, cum ad grave barbararum vocum onus praeparatis auribus ſuſcipiendum huc acceſſerint, illam ſe moleſtiam & cruciatum lucrifeciſſe laetabuntur.

Atque hic, quid mihi Graecae Linguae veneres intenta cura perveſtiganti, a quo ſtudii genere nullum aetatis meae tempus abhorruiſſe lubens profiteor, ſaepius ad animum acciderit, commemorare non gravabor. Non poteram ſane, quo minus, quantum proficerem, me poenitebat, quin immenſam Graeci Sermo-

monis amplitudinem cultiſſimasque virtutes magis magisque admirarer: primum enim unus ad omnem orationis formam appoſitiſſimus & laeta verborum copia, & amabili ſtructurae varietate, & ad unguem facta conglutinatarum vocum junctura diſſipatas ceterarum linguarum ac multum diverſas dotes ambitu ſuo complecti videbatur; tum deinde, cum nihil ſit difficilius, & penuria cujuscumque linguae teſtatius, quam cogitatis retruſa meditatione percultis & a communi rerum uſu reductis parem orationis vim ac lucem induere, homini Graeco ſuos vernaculus ſermo de facili colores ſubminiſtrabit, quibus animi ſenſus quantumlibet perreconditos ac ſubtiliſſima cogitatione informatos enucleate demonſtret: his tertium illud per ſane quam luculentum accedit, quod, quicquid abditae cognitionis e naturae penetralibus humana protulerit ſolertia, non modo recentibus vocabulorum notis ad res novas veluti publica moneta ſignandas Graeca Lingua non deſtituatur, ſed & verecunde fingentem atque aucta ſe verborum ſubole ditantem commode ferat, atque ultro magnae laudis praemio invitet. Quae cuncta cum animo recenſerem, vix mirifica dictionis ſuavitate nonnullam invidiae commotionem a me Lingua Graeca redimebat, quippe qui oculo iniquiore tantam hujus Sermonis ubertatem intuerer, eandemque laudem cum aliis etiam linguis eſſe commu-

ni-

nicatam cuperem. Quid enim? tam cumulatae ſint in hac unica Lingua virtutes, tanta fundi proprii felicitas, ut huic uni fasces reliquae ſubmittere cogantur, & receptis in civitatis jus Graecorum vocabulorum infinitis propemodum coloniis egeſtatem ſuam tanquam ſervitutis auctoramentum profiteri? Quid porro? cum omnis ſermonis uſus hortatu ipſius naturae atque auſpiciis ad continendam hominum & adſtringendam ſocietatem ſit directus, & cunctae fere ſimiliter e verbis tanquam rerum animique ſenſuum indiciis linguae contexantur, hoccine tam excellens atque invidioſum uni Graeciae populo privilegium donare fas ſit? nonne animum inepto Graecorum ſtudio corruptum & occaecatum prodit, ſi quis huic praecipue nationi tribuere non vereatur, aptius atque aliae gentes ut inventa rerum vocabula diſpenſarint, commodioribus orationem ligamentis vinxerint, mentis denique cogitata facilius ac dilucidius explanarint? Verum enim vero hunc animi Graecae Linguae majeſtati reluctantis aeſtum ſedavit tandem & ad tranquillum compoſuit explorata veritatis ratio: nam re diligentius inſpecta pronum erat animadvertere, ſumma Graecos induſtria acerrimaque laboris contentione haec ſibi culti ſermonis praeſidia comparaſſe, nec fieri non potuiſſe, quin e divite optimorum ingeniorum vena late manans lingua in multiplices elegantiſſimi nitoris formas diffun-

funderetur, & ceteris ſtudioſius exercita palmam praeriperet. Quapropter eo alacrius ad hujus cauſae patrocinium accingor; quod & judicium mihi meum ſit tuendum, & indignum videatur atque illiberale, ſi, qui maximarum ad poſteros utilitatum auctores extiterunt, non ſolum neglecti, ſed praeterea pravis ignavorum ſententiis confixi jaceant. Neque ego non ſubvereor, qui palam Graecorum me cauſae patronum praebeam ac defenſorem, ne ipſe magnum in invidiae diſcrimen apud Auditores meos deveniam; id enim eâdem opera non pauci fortaſſis agere me ſuſpicabuntur, ut ſummam per injuriam omnia doctrinae atque ingenii ornamenta, quae ſane ſint praeclariſſima, aetati noſtrae detractum eam, quo pro ſpoliis opimis Antiquitatis in templo figantur. Sed nec Veterum tam immodeſtus ſum laudator, ut, quicquid humana natura praecellens atque egregium continet, illis fuiſſe ſolis mancipatum mihi perſuadeam; neque eximias hujus ſeculi virtutes prolatis mirum in modum ſcientiarum pomoeriis florentiſſimas tam maligne interpretor; nec denique tantam rerum molem nuda de Graecae Linguae nobilitate diſputatio ſecum trahit: haudquaquam enim, quod illi, qui conterendo vetuſtatis honorem ſibi principalis ingenii famam eblandiuntur, prae ſe ferunt, meritae Graecorum laudes cum noſtri temporis dedecore ac contumelia ſunt

con-

conjunctae. Quam ob rem eo majore ſtudio A. O. etſi veſtrae prudentiae ſpectataeque animi moderationi minime diffidam, Vos rogo atque obteſtor, ne quid inorata cauſa ſecius in utramvis partem ſtatuatis, neve liberiora profeſſum immaturi praejudicii ſignificatione retundatis.

In hoc autem genere cum plurima ſint, eaque non unius ordinis, quae noſtris rationibus egregiè conducant; tamen quicquid ab inſtituto longius remotum, quantumvis ad rem praeſentem opportunum videri poſſet, praecidere conſultum putavi, ne curae nimis ſollicitae & cuncta cum pulviſculo corradenti faſtidium adhaereret. Romanos igitur in hoc forum teſtes non adducam, etiamſi graviſſimi Graecae diſciplinae praedicatores priſtinae ruſticitatis depulſionem omnemque eruditionis atque elegantiae ſenſum huic ſoli referant acceptum: non quod eorum judicio, cui nihil inſulſum, nihil decora ſpecie fucatum verba dare potuit, parum ſit tribuendum; ſed ne pluris in hac lite diſceptanda ſummae auctoritatis pondus, quam rationum momenta, fuiſſe videatur. Nec porro nullum ab infinita ſingularium verborum copia praeſidium eſt ad dotes Graeci Sermonis extollendas; praeſertim ſi indolem ipſius Linguae tum creandis vocibus tum duplicandis facilem, ſi curam cultumque eruditiorum hominum addideris: quippe certum videtur atque ex-

extra dubitationem poſitum, tantum ab hoc multiplici vocabulorum inſtrumento poſſe unam ante alias linguam eſſe paratiorem, quantum ſolers cujusdam gentis induſtria fuerit in majore rerum varietate verſata: ſed quoniam ſine longo exemplorum apparatu collatisque plurium linguarum divitiis illa res obtineri nequeat, & ad liquidum deduci, gratiam hujus faſtidii meis Auditoribus haud invitus facio.

Quam ob cauſam ad illam nos partem potius convertamus, cujus omnem ditionem formator orationis animus occupavit: etenim haud obſcurum eſt, quantacumque demum in ulla lingua vocabulorum ſit ubertas, exiguam in iis veluti divulſis ac disjectis membris fore utilitatem, niſi apte collocata & concinnum in ordinem digeſta ratio animaverit ac nervis intendat: minime igitur mirum eſt, ſi, quae fuit animi cogitantis meditatisque ſuis verba fingentis ſpecies, eadem certis veluti notis in ſermone ſtylove expreſſa videatur; rationis enim ab imperio quaſique nutu omnis ſermonis ſcribendique vigor ac poteſtas ut pendeat, rationis dominae juſſis fidiſſimus internuncius ut morigeretur, aequum eſt & naturae conſentaneum. Quare niſi, quibus legibus cogitationum ſermonisque conciliata ſit atque adjuncta ſocietas, fuerit perſpectum, intelligi non poteſt, quemadmodum & linguarum cultus a rudibus initiis ad decoram perfectionem evehatur,

tur, & cunctae orationis compoſitae virtutes ex ingenii praeſtantia & nobilitate aptae ſint ac connexae: itaque operae pretium facturus mihi videor, ſi mentis in oratione informanda progreſſum diverſasque vires diligentius, & quantum ad inſtituti rationem ſatis erit, exponere aggrediar.

Loquendi ſane cogitationesque verborum indiciis ſignandi facultatem tam arcto nexu neceſſitudinisque vinculo cum ratione Deus colligavit, ut ab hac principe proximos occupet honores, & ſecundum ſit humanae naturae documentum: quum igitur homines ad ineundam animorum omnisque vitae conjunctionem ſummum Numen condidiſſet, illam naturalem menti implicuit vim, quae rerum imaginibus & appulſu excitata brevi laboris compendio in pulcherrimum ſermonis uſum incideret; neque enim tum ſocietatis inter humanum genus adjungendae neceſſitas deſtinatusque finis, tum ad variandos ſonos oris atque linguae apta conformatio ferebant, ut praeclariſſimum ad ſtabiliendam hominum vitam adjumentum longa inventionis mora ſepultum premeretur. Etſi vero mirificam haec res virtutem habeat & conſpicuum originis divinae pignus, nihilominus perpetuo atque ab ultima pueritia prodito conſuetudinis uſu obſolefacta vix ad animum revocatur: ſcilicet humanitati nativum illud obhaereſcit vitium, ut, quum in auguſtiſſimo nos

 mi-

miraculorum theatro naturae creator & arbiter collocaverit, haec tanta prodigia quotidiana veluti contrectatione vulgata tantum non eviluſcant, nedum in admirationem nos ac ſtuporem rapiant: verum ſi quis hanc indecorae labis caliginem removeat, illi promtum erit animadvertere, quam admirabile ſit, quamque magnificum omnes mentis agitationes, at immenſa naturae intercapedine ab indole corporum ac motu dijunctas, loquaci pictura delineare, circumſcripta ſoni forma conveſtire, in diverſum, ut ita dicam, mundi genus transmittere, ac denique per undantis aëris intervallum articulatim & diſtincte propagatas auribus aliorum atque animis inſinuare.

Quae autem inveniendi ab utilitate generis humani profecta fuit cauſa, eadem amplificandi eſt ſermonis & exornandi: nam quid omnino illarum artium, quibus ſenſim & per gradus expolitis recta vivendi via continetur ac perficitur, tradi diſcive potuiſſet ſine hac orationis ſupellectile locupletata & luculenter inſtructa? etenim ipſo uſu cogitandique meditatione, quum variis ac multiplicibus rerum formis ditatae mentis facultates incrementum capiunt & ſplendeſcunt, ad amoliendam ſermonis inopiam ultro ac naturali quodam ſtudio fertur, nec ante conquieſcit, quam repertis vocibus orationem cogitatis congruentem inſtituerit: propterea quo ſeſe longius a barbarie at-

atque ignorantia, quam praeſtantiſſima quaeque indoles maxime fugiendam ducit, homines ſegregaverunt, atque ad utilem plurimarum rerum & neceſſariam cognitionem animum adjunxere, eo limatius ſermonis nitor excultus eſt, & egregie dotatus ad poſteros pervenit: quod ſi contra peſtifera quâdam ſeculi calamitate honeſtiſſimarum artium ſtudia concuſſa pesſum iverint, eadem dictionis elegantiam ruina labefecit.

Tam arcta vero ſermonis eſt cum toto animorum habitu cognatio, tam flexilis & artifici rationi obediens natura, ut non tantum ſolas rerum mente conceptarum formas ſuis quasque notis ſignet, ſed & morem cogitandi viasque omnes, &, quam facili in meditando progreſſione animus inceſſerit, aperte prodat; idem ſcilicet clarae non minus & apte continuatae cogitationis, quam obſcurae ſeſeque vix expedientis index. Siquidem ergo in ſermone expreſſa ſit cogitationum, quas imo mens receſſu conformat ac percenſet, effigies, perinde atque meditandi modum inſtituerit, tota orationis complexio procedet; nam qui conturbate & impedita rerum ſerie cogitaverit, ut dilucidos & ordine compoſito diſtinctos animi ſenſus proferat, nullo pacto fieri poteſt: verum ſi quis vel naturali quadam ingenii felicitate, vel exercitata commeditatione planum fuerit atque expeditum cogitandi iter ingreſſus,

 quod-

quodcumque cum aliis communicaverit, tanquam certo limite deſcriptum, facilem ſervabit tenorem.

Porro infinita quadam vultus humanos, ex iisdem utique coagmentatos partibus, inter ſe differentia diſcedere videmus ac dignoſci; quorum ſi lineamenta ad juſtam emendatae ſtructurae legem reſpondeant, faciei decus, gratiam, venuſtatemque, ſin turpi figurae perverſitate diſſentiant, deformitatem & ingratam ſpeciem oculis judicibus exponunt: haud aliter in hominum animis, quamvis eadem omnes cogitandi facultate polleant, diverſiſſimi tamen ſunt, quibus a perito ſpectatore facile diſtinguantur, ductus, & conformatae artificioſiſſima dextra veluti lineae, quarum itidem imaginem & clara veſtigia ſermo ſpeculi more repraeſentat. Hinc qui celſa quadam atque inſigni animi magnitudine praeditus eſt, orationem ſuae virtutis luminibus illuſtrabit: contra, cujus humiles & abjectae cogitationes tanquam in luto volutantur, & nihil generoſum ſapiunt, nihil defaecatum, ſordidam is idem ingenioque ſuo convenientem ſectabitur elocutionem; quemadmodum enim animi virtute Therſites, ſic & orationis gravitate a magnis heroïbus prudenti Poëtae conſilio vincitur.

Illud autem inprimis videtur animadvertendum, ipſos animi motus & immutatam converſamque repente mentis formam celerrime pari-

rique gradu ſermonem, vùltus adjumento totiusque corporis geſtu ſuffultum, conſequi ac demonſtrare: neque affectus ſolum commotiores, ſed habitus etiam animorum occultos ac longe abditos oratio ſaepe ſignificat; nequaquam enim artificioſa vaferrimae ſimulationis perſona tam caute celari poſſunt atque obduci, quin mox pelluceant & impetu vehementiore prorumpant: in quibus cum detegendis, tum tempeſtive explicandis quo quis majore fuerit ingenii ſagacitate, hoc ornatius ad ſuas rationes dicendi vim attemperabit.

Quum vero admirabilis ille mentis corporisque nodus ſenſuum concilio adſtrictus perennem cogitandi fontem ſuppeditet, quantum ad perficiendas omnes animi agitationes & illuminandas, aequabilis bene concreti corporis temperatio conducat, neminem, qui quidem acrem in rerum naturam aciem intenderit, praeterire arbitror. Quamobrem concinna cerebri, ceterarumque, quibus praecipuum in proferendis rerum externarum ſpeciebus eſt munus, partium ſtructura ad vim animi adjuvandam apte cadente, qui veloci fuerit ingenio, & in omnes contemplandi formas facili ac verſuto, is & ſua meditatis verba ſponte inveniet, & orationi poliendae curam non invitus adhibebit; nam quo vividius objecta rei forma mentem ferit, & in ejus quaſi ſinum demittitur, eo magis, ſi verbis ſit declaran-

 da,

da, ſenſibus animi convenientem & in quadrum redactam orationem eliciet. Ex qua cauſa nonnullis ineſt in hominibus quaedam cogitandi nobilitas ſingulari lumine & mentis perſpicacia colluſtrata, cujus etſi primi fomites a beatiſſima naturae vena depromantur, rerum tamen uſu ſuſcitati & corroborati, quum ſeſe explicuerint, audientes in admirationem rapiunt.

Hic autem naturalis dicendi nitor vario perfectionis gradu ad ingeniorum habitum accommodatus, quum hominum animos mirum in modum vel impelleret, vel dulci lenocinio devinciret, eloquentiae cultum & artem peperit; cujus, ſimul atque in humana vita quantum poſſet intellectum fuit, omnes ſtatim rationes ſunt deſcriptae; tantoque facilius in ea conſtituenda ad ſummum eſt perventum, quod intra rerum humanarum & actionum fines tota conſiſteret, atque iis niteretur principiis, quae ad prima hominum molimina, firmandumque mutuae communionis vinculum proxime pertinerent. Quanquam vero fingendae dictionis cura ingenito motu fuerit excitata, hi tamen profectus atque ornati ſermonis opportunitates contractis fuiſſent terminis incluſae, niſi ſcribendi miniſterium, quo praeſtantiſſimorum hominum cogitationes victuris notis illigatae, tum ad poſteritatis eruditionem, tum judicium permanarent, divinitus inventum

tum opem tuliſſet: quum enim cogitandi ſubſequentisque vocis celeritate, & pronus ſit in errorem lapſus, & difficilis ad meliora regreſſus, cenſor ſtylus, quicquid ex hoc vitio maculae fuerit contractum, conſiderate emendat, & ad ſeveram ſollicitae meditationis normam exigit: etenim dum cuncta, quae mens dinumeravit ac recenſuit, certis notis perſcripta conſervat, ad eademque crebro revertendi poteſtatem facit, fieri non poteſt, quin ſaepius repetitos animi ſenſus & ad examen identidem revocatos dilucidius expoliat. Quapropter exercitatum ſcribendi ſtudium cum facilitati meditationis efficiendae mirifice inſervit, tum orationem reddit dignitatis plenam, & ad expingendam mentis vim idonee compoſitam; cujus ſi quis curam vilem habeat, aut quaſi ſupervacaneam aſpernetur, idem ſe fateatur ad omnem pulchri ſenſum barbariae vitio occalluiſſe.

Quo plures igitur ad nitidum ſcriptionis genus, memoriamque rerum literis conſignandam adſpirant, eo felicioribus incrementis cujuscumque populi lingua perficietur: poſtquam enim Deus incredibili ſermonis discordia genus humanum ſecrevit ac diſſociavit, quid aliud exiſtimemus in cauſa fuiſſe, cur plerarumque gentium linguae magna verborum in paupertate ac ſordibus jacerent, quam quod his praeſidiis & interpolante artificum dextra caruerint? verum quando homines ingenioſi & elu-

cubrandis in poſterorum utilitatem monumentis addicti, orationem rebus adtemperare neceſſe habent, tum demum lingua ſubigendo & tractando molleſcit, novisque acceſſionibus exaedificata ad conſpicuum perfectionis faſtigium educitur. Nec ſolum, quae praeclare a ſummis viris ac prudenter ſcriptis ſunt tradita, ſed ipſi etiam errores & incomtae orationis naevi, acri judicio, & quid placeat, quid inſipidum ſit, probe deguſtanti facem praelucent; ut merito dubitari poſſit, utrum majorem adferat utilitatis fructum: ſic enim ingenii noſtri ratio eſt comparata, ut, quae commiſſa nonnullam reprehenſionis ac dedecoris notam importare videantur, cupidius & magis ſollicite fugiamus, quam ut, tametſi acerrimos ſummae laudis ſtimulos habeat, magnorum exemplorum eminentiam imitando conſequi laboremus.

Haec cuncta, quamvis leviter a nobis percurſa, nec, quod propoſiti fines non ferebant, in luce collocata, id tamen, ut opinor, efficient, ut Vobis A. O. perſuaſum ſit, omnem ſuccum, qui ad perfectam maturitatem quamlibet linguam promoveat, ab ingenio populi naturalique ſingulorum ac praeſtanti indole, ſtudiis, moribus, inſtitutisque demanare. Quare, quum ſermonis cum animi natura & vi tanta ſit conjunctio, in dubium vocari minime poteſt, quin quae ad amplificandas ingenii virtutes adjumenta ſunt accommodata, eadem in di-

ditanda lingua, multisque modis exornanda, mirifice valeant.

Non equidem conabor latiſſimam illam regionem peragrare, ſingulasque radices, e quibus plurimi ad excolendum ſermonem fructus enascuntur, diligentius exquirere; has enim diffuſae orationis ambages, qua Vobis obſtrictus ſum A. O. verecundia repellit: verum teneri non poſſum, quominus, ut omnem hujus argumenti vim perſentiscatis, nonnullos fontes digito demonſtrem: in quibus ſi primas libertati adſignavero, nihil a vero alienum, nihil ab omnium communi & alte inuſto ſenſu discrepans facere mihi videar: ejus enim ad ingenerandam animis nobilitatem, augendas ingenii vires, & accendenda bonarum artium ſtudia, quin poteſtas ſit efficaciſſima, nemo inficias ibit, niſi qui praeſtantiſſimae, in quam editus eſt, conditionis exuto ſenſu, naturam libertatis capacem ipſe ejuraverit. Haeret profecto in hominum animis infixa quaedam libertatis vis, ſuique privilegii conscia, quae rationi ſubſerviens, quo minus ab externis repagulis coercetur, & in anguſto conſtricta latet, eo ſplendidius per omnes mentis actiones lumen diffundit: haec generoſae & bene natae indolis aſſidua comes magnas virtutes, nullo fuco illitas, nulla tectas perſona, naturalis decoris praerogativo commendat omine, gratioſisque inſignibus exornat: quicquid putidum, illibe-

rale, atque ineptum eſt, haec eadem longe longeque refugit. Quis itaque miretur, ſi iſtis imbuti principiis homines vehementi quodam civilis etiam libertatis amore ducantur; quae certe tam potentibus illecebris omnium devinxit animos, ut, tametſi, quae natura humano generi inolevit ſemina, conſuetudine ſaepius & educationis pravitate obſcurentur atque intereant, hanc ſibi tamen vel re vel nomine ſaltem vindicandam putent, eandemque per vim ſcelerata manu attentari, aut de medio tolli aegerrime ferant. Haec igitur, dum liberos animi motus & nativi juris fiducia explicatos benigne prolectat, vera eſt & genuina magnorum ingeniorum nutrix; haec ad alendos & confirmandos egregiae mentis ſpiritus aptiſſima; haec adurgendis & inflammandis mutuae contentionis atque aemulationis honeſtae ſtudiis inprimis accommodata; ut veriſſime dixerit Homerus, minime ineptus rerum humanarum aeſtimator, ſervilem conditionem dimidia innatae virtutis parte hominem multare. Quod ſi libertatis flos improba dominatione fuerit imminutus aut praeciſus, tum quoque ingenii atque altae indolis nervi concidunt, & in mollem atque effeminatam remiſſionem ſolvuntur: quamobrem in populis ſervituti obnoxiis enervata, ad omnem aſſentationis vilitatem abjecta, & Aſiatico faſtu tumens oratio in honore fuit ac pretio: verum ubicumque li-

ber-

bertas viguit, naturalem quandam ſermonis & eloquentiae, ſanoque colore ac robuſto ſucco plenam pulchritudinem peperit, quae nullis inuſta ſervitutis notis celſam animi vim ſpiraret: etenim non tam ſubtiliter detornata, & argutis ingenii floſculis diſtincta oratio, quae quidem ad demulcendos homines plurimum poteſt, quam tacita ſublimioris atque erectae mentis veſtigia animos aliorum feriunt & admiratione defigunt.

Itaque quin ex pura libertatis vena praeclari ad fovendam eloquentiam & animandam fructus redundent, dubitare non licet: haec autem, amica mutui auxilii conſpiratione, & linguam, in qua verſatur, mirum in modum emollit ac perficit, & ipſa tanto eſt conſummatior, quanto perfectioris linguae miniſterio utitur. Quum vero excellentiſſima linguae forma duabus maxime rebus abſolvatur, concinna omnis generis verborum ac multiplici proprietate, & deinceps uberrima translatae atque eleganter inflexae dictionis copia, illam pertinax & curioſa plurimarum rerum inveſtigatio, hanc ingenium ſolers, acutum, ad percipiendos & excitandos animorum motus, omnemque humanarum actionum ordinem, perſpicax comparat: ex quo intelligi poteſt, cur a principibus viris & civilium rerum uſu atque adminiſtratione claris potiſſimum enutrita, & ad legitimum juſti corporis robur educta ſit eloquentia:

quum

quum enim cives ſuos, penes quos ſummae erat rei arbitrium, oratione temperare ſuiſque conſiliis adjungere opus haberent, nihil aeque ſibi elaborandum exiſtimarunt, quam ut lene ac blandum eloquentiae tormentum ad animos, quocumque incubuiſſent, impellendos admoverent: poſtquam vero, qua erant ingenii admirabili ſagacitate, omnes animorum reciprocatos aeſtus diverſosque fluctus accurata obſervatione perſpectos haberent, omnes, ut ſic dicam, mentis commotae venas & pulſus pertentaſſent, hauſtam ab ipſis naturae fontibus cognitionem ad formandum eloquentiae decus contulerunt.

Quod ſi ſtimulos ambitionis, ſi regnum fori, ſi honorum praemia in hunc cenſum adſcribamus, quis non intelligit, quam brevi tempore iſtis incitatus adjumentis diſertae orationis cultus celerrimo curſu ad ſummum contendere debuerit: nam hoc certe liberalius haberi ſolet eloquentia, quo ſumtus ſuos largius exercet: quae, ſtatim atque ad praepilatas ſophiſtarum declamationes eſt retracta, & a luce fori ac rerum uſu divulſa, veluti ſolidum corpus in nebulas ac fumos diſſolutum penitus elanguit.

Sed vereor, ne jam dudum nimis ambitioſe videar hoc in argumento verſari, atque adeo me percunctetur aliquis, quorſum haec ſpectet oratio, & quo tandem flexu ad Graecos ſit perventura? Scilicet, hoc aditu patefacto, eo nunc

nunc defluximus, ut pro conſtituto haberi poſſit, in quo populo praeclarum fuerit ingenii acumen, excellens ad omne ſcientiarum genus indoles, publico favore adjutum eloquentiae ſtudium, mores mirifica comitate & elegantia conditi, ejus linguam tanto fore perfectiorem ceterisque limatiorem, quanto plerasque gentes ipſe cunctis animi dotibus anteceſſerit. Quod ſi Graecos gentem vetuſtiſſimam nobiliſſimamque, vel fama rerum geſtarum, vel ſingulari humanitatis doctrinarumque commendatione, iſtis tum naturae donis, tum induſtriae praeſidiis ſummopere floruiſſe, ad certum fuerit redactum, nihil videbor admirabile, nihil nimis magnificum dixiſſe, qui ſermonem Graecum ornatiſſimum & omnibus eſſe numeris abſolutum adfirmavi. Haud equidem ignoro, quam inique ad tantum onus pro dignitate ſuſtinendum tenues & ingenii & orationis vires ſint comparatae: quis enim, ſi vel Graecae ſit eloquentiae facultate praeditus, ſummas florentiſſimi populi laudes ſic commemoret & perſequatur, ut materiae gravitatem dicendo ſeſe exaequaturum non diffidat? veruntamen, quum in hunc me locum per ſanequam difficilem propoſiti ratio detulerit, veſtra fretus A. O. aequitate, vadimonium non deſeram, nec, quantum in me eſt, committam, ut, tametſi Graecorum memoriam debito in lumine collocare nequeo, vano ac futili verborum praeconio eos affeciſſe videar. In

In hac autem tabella Graeciam, non, quod Geographi ſolent, arctiſſimis circumſcriptam limitibus propono: apud quoscumque Graeci ſermonis uſus viguit, quicumque Graeco ſanguine orti, coloniis in diverſiſſimas orbis terrarum partes deductis, diſſeminatam ſuae gentis eruditionem propagarunt, eos univerſos complector: nam qui patriae ſedibus demigravêre Graeci non tantum coelo mutato genus aut mores non mutarunt, aut a parentum inſtitutis degenerarunt, ſed Barbaris inſuper gentibus reverentiam Graeci cultus & cupiditatem inſeverunt. Si quidem ſolam, quae hoc proprio cenſetur nomine, parvumque Europae locum tenet, Graeciam deſcriberem, benignas tempeſtatum vices, feliciſſimam aëris temperiem, laetam, vel ſponte ſua, vel terrae vitio labore & cultura penſato, ſoli feracitatem commemorare liceret; quo in genere, ad aptandam congruenter ingeniorum velocitati corporum texturam, haud minimum eſſe momenti poſitum naturae conſulti fatentur: ſed, his ſemotis, potius erit rebusque noſtris convenientius, ut a prima origine cum publicae rei ſtatum, tum domeſticae vitae conſuetudinem percenſeamus, quo pateat, quemadmodum a teneris initiis imbuti & inſtituti ad ſummam gloriam ſuccreverint.

Antiquiſſimis temporibus, etſi veteris memoriae perobscura ſuperſint veſtigia, conſtat

pri-

primos Graeciae incolas mutuis vexatos latrociniis variisque bellorum aeſtibus jactatos nullis certis in ſedibus manſiſſe: quum enim foecunda ſubole genus humanum ſeſe per omnes terrarum oras diffunderet, novi advenae laeta locorum fertilitate illecti veteres colonos expellebant: itaque ad vim aliorum arcendam poſtquam uſus eos exacuiſſet, in bellica laude, rudi quidem & nullis diſciplinae militaris legibus exacta, ac robore corporis, ſpei ſummam habebant poſitam: quamobrem hos etiam ſibi duces deligere moris erat, quos decora magni corporis & validis robuſti membris ſpecies ante alios commendabat. Vetuſtos igitur heroas fictis virtutibus ornantis fabulae mendacium, veritatis tamen, quamvis adulteratae, veſtigiis inſiſtit. Verum ſimul atque compertum fuit, quantum in adminiſtrandis rebus animi virtus valeret, ſtatim in his ipſis infantis aevi incunabulis conſilio & prudentiae praecipuos honores attribuerunt: quis Homericum Neſtorem non admiratur, cujus melle dulciorem orationem, dum Regum iras componit, praeliorumque tempora prudenter diſpenſat,erociſſimi homines ſuſpiciunt: in Ulyxe non potuiſſet ſummus vates callidiſſimae exemplar ſapientiae proponere, niſi, inprimis ab hac ingenii ſolertia laudatus, ad poſterorum memoriam perveniſſet.

In his autem Graecorum initiis, ubi ipſa neceſſitas praecipuum bellicis artibus pretium ſta-

ſtatuerat, quantumlibet turbidis & inquietis, futurae magnitudinis jacta ſunt fundamenta: nam etſi belli ſtudia ſint a vera hominum ratione longiſſime remota, & priſtinae feritatis ſemina conſervent atque irritent, minime tamen in dubium vocari poteſt, quin praeclariſſimae adoreae, publicaeque admirationis invitamento, magnis in animis generoſos ſpiritus accendant, eosque ad egregia facinora commoveant.

Deinde poſt tantas agitationes, & illatas acceptasque clades, compoſitae conſtitutaeque per communis utilitatis ſenſum Graecorum res, tanquam in pacatiore portu ſteterunt: cum tota fuit Graecia, quod ipſa regionis opportunitas ſuadebat, in parvas quasdam diviſa respublicas, quae, ſuis ſingulae legibus, inſtitutis, & moribus fundatae non exiguo discrimine inter ſe differebant: haec ſcilicet antiqui temporis erat conditio, quando primum nationes in urbium ſocietatem coaluerunt, ut civitatis finibus non amplius eſſet imperium, eosque legitimos haberent aut magiſtratus, aut moderatos reges, quos ſibi communi conſenſu populus creaſſet: haec imperii bene comparati forma ut aliis in gentibus, creſcente audacia, tum effraenata principum ambitione, & malis artibus, tum civium vecordia, cito evanuit, atque in regiae poteſtatis dominium eſt converſa, ſic inter Graecos ingenuae libertatis amantiſſimos ſollicito ſtudio permunita diutiſſime conſtitit, donec

pri-

primum Philippi Macedonis Alexandrique viribus fracti, deinde a populo Romano devicti, in eamdem, quam totus terrarum orbis, dominationem conceſſerunt.

Hae vero pleraeque Graeciae civitates ſuos habuere legislatores virtute & rerum humanarum peritia clariſſimos, quorum conſiliis informati & ſapientiſſimis legibus adſtricti Graeci dignam libertate virtutem & honeſti curam animis conceperunt; quibus innutriti principiis & bello fuere fortiſſimi, & in excolendis pacis artibus ac commodis mirificam operam navarunt.

Exinde, rebus domi tranquilla concordia firmatis, promti ad agendum & alacres, dum languidam inertis otii deſidiam repudiant, quodam quaſi vitae bivio diverſi inceſſerunt: pars enim, quia plurimarum urbium ſitus erat ad mercaturam exercendam opportuniſſimus, maritimo quaeſtu & longis erroribus, qui diligentis domini votis prolixe reſpondere ſolent, divitias accumulare, alienarumque regionum opibus ſuos populares augere ſtuduit: unde nihil apud alias gentes vel artificio inſigne, vel ſolerti ingenio elaboratum, vel ad juvandam communem utilitatem inventum extitit, quod ex remotiſſimis terrarum oris, quas quidem iſtius aetatis nondum adulta navigatio potuit tenere, in Graeciam, veluti quendam totius orbis mercatum, non fuerit advectum: pars, ut impreſſam a natura, atque inſatiabilem ſciendi volup-

tatem expleret, ad ſapientiae ſtudium animum applicuit, &, dum remis velisque, quod in humanis rebus eſt praeſtantiſſimum, conſectatur, graviſſimos labores & certa peregrinationum pericula fortiter contemſit. Quum igitur earum nationum, quae magna ſapientiae fama florebant, doctrinas ſuos in uſus corrogaſſent, peregrinis ſubnixi auxiliis innatam animi vim felicius explicuerunt; adeoque foris ad ſe translata percolere atque admaturare illis curae fuit, ut in proprio fundo ſponte proveniſſe viderentur: &, quamvis haud poenitenda ſcientiarum elementa aliis accepta retuliſſe non gravate concedam, ipſi tamen multo plura domeſticae ſolertiae inventa, longe majorem disciplinarum cultum poſteris expenſum tulerunt. Nec ſolum amor veri, magnumque per ſe laboris praemium ſciendi voluptas animos acuebat, verum etiam ſecunda civium exiſtimatio, qui ſuis fortunis optime conſultum putabant, ſi ſapientiſſimorum hominum conſiliis patriae curam & incolumitatem permiſiſſent.

Primum autem collectam per mores hominum exploratos ac perſpectos, longoque rerum uſu, prudentiam ſummo in loco poſuerunt, cujus praecepta brevibus ſententiis argute concluſa, tanquam totidem vitae regendae leges, veluti tabulis in publico fixis, omnium memoriae commendabantur. Atque hic operae pretium eſt modeſtam illorum hominum ſimplicitatem admi-

ra-

tari, qui, dum quisque ſuo ſe modulo metitur & pede, nec ſemina bonae indolis arrogantiſſimae ſuperbiae ſpinis corrumpit; communi conſenſione Septem Viros, egregios ſane, omnique laudum genere cumulatiſſimos; ſplendido Sapientum titulo condecorarunt. Felicem illam aetatem ac praedicandam! quandoquidem apertis & antiquis moribus ſine ulla invidia aut obtrectatione aliorum virtuti concedebant.

Quoniam vero, quae mentibus addita eſt, immenſam cognoſcendi cupiditatem hujus univerſi adſpectus mirum in modum elicit atque invitat, non diu ſe continuerunt, quin, ſuperatis civilis prudentiae finibus, ad inſpiciendam rerum naturam animos ſumerent: quae ſcientia, quum ob initiorum difficultatem parvo cultorum numero premeretur, mox vulgatis in plures ſtudiis luculentius enituit.

Deinceps in lucem prodiit divina Pythagorae Philoſophia, quae hanc auctori ſuo nominis modeſtiam debens disjunctas hactenus morum naturaliumque rerum doctrinas copulavit, in eodemque conſtituit domicilio: poſtquam enim expendiſſet Pythagoras, quantum ad erigendum ingenii vigorem temperata & in ordinem concinnum redacta vitae ratio conduceret, inculcatis quotidiana conſuetudine morum praeceptis, & impreſſa quinquennalis ſilentii verecundia, ad virtutem & animi magnitudinem ſuos diſcipulos compoſuit: neque enim Pythagorae

diſciplinae majeſtas fabularum vanitate, quibus omnis antiquitas circumvelari ſolet & involvi, aeſtimanda eſt; ſed animus attendendus ad inſignes Imperatores & Legiſlatores, quos haec ſchola benigna, maſculae virtutis mater, aluit & eduxit: magno e numero unum ſi habeam eximium Epaminondam, fama rerum geſtarum celeberrimum, ne mihi vitio vertatur, minime vereor, qui, patria Boeotus, Pythagorea Lyſidis doctrina inſtructus atque inflammatus, Lacedaemoniorum opes, qui Graeciae cervicibus imminebant, concuſſit & infregit.

Ex hoc Pythagorae quaſi ſeminio cunctae Philoſophorum familiae late ſunt diffuſae, & incredibili curſu per totam Graeciam propagatae: quae ſemina tanto laetius effloruerunt, quod ſubtiliſſima gens in hoc ſcientiarum genere foecundum reperiret & inexhauſtum induſtriae ſuae pabulum.

Quod ſi a Philoſophis ad illas artes digrediamur, quibus humanae vitae commoda mirum in modum & adjuvantur & eniteſcunt, jam nihil inveniemus, quod ſummis Graecorum ingeniis non fuerit elaboratum: quibus, magnis profecto beneficiis obligati, ingratas foediſſimo veterum contemtu vices rependimus. Quid exactam rei militaris diſciplinam, quid innumerabilia machinarum bellicarum inventa, quid artificioſiſſimam navium ſtructuram, quid varios aedificandi modos certis deformatos lineis; quid

quid picturae denique ſtudium, cujus inimitabilem perfectionem inſano tabularum pretio inferior aetas eſt confeſſa, commemorem? quae cuncta ſi longo verborum circuitu exponere ſatagam, ineptus ſim, & Vobis A. O. diffidere videar, qui, modo in veteris aevi memoriam redire libuerit, haec antiquae Graeciae decora levi negotio ad animum revocabitis.

Porro, qui apud Graecos, ubi haec pervulgata viguerunt ſtudia, ad rei publicae gubernacula acceſſere, ut ſuis civibus prudentiae inſignis fructu, ſic poſteris exemplorum documento profuerunt: etenim & ingenio valentes, & egregiis artibus innutriti, quicquid per humanarum rerum peritiam vis animi ſagax odorari potuit & conſequi, ad amovendos & eludendos hoſtes, aut patriae commoda curanda, adhibuerunt: quare Graecorum hiſtoriae illuſtribus & utiliſſimis ad omnes rei publicae adminiſtrandae partes ſunt feraciſſimae.

Hos autem publicos univerſae Graeciae mores domeſticus vitae privatae cultus tum confirmavit & promovit, tum expreſſit: quid enim ad rem communem ſtabiliendam magis eſt appoſitum, quam caſtigata victus parſimonia, attenta rei familiaris diligentia, luxuriae modus legibus, quarum intactam majeſtatem cives reverebantur, circumſcriptus: pueri ſeveris rudimentis imbuti, juvenes apud philoſophos, in ſtudiis eloquentiae, in palaeſtra, ad ſpem pa-

 triae

triae adoleſcebant: ſic enim haud immerito arbitrabantur, ingenii juxta corporisque viribus eſſe inſerviendum, quo tum domi, in obeundis civilibus negotiis, ſaluberrimis conſiliis abundarent; tum foris manu & fortitudine rem publicam tutarentur. Praeterea, quod acerrimos virtutis habebat ſtimulos, in ſuaviſſimo libertatis educati gremio, praecoces excelſae mentis fructus mature percipiebant, & ſpecioſis honorum praemiis ad ſuſcipiendam patriae curam invitabantur. Hoc autem inſigne libertatis Palladium Graeci tanto intentiore cura ſibi conſervandum exiſtimarunt, quo ſaepius a ſubdolis hominibus & dominandi cupidis ſacrilega manu appeteretur; quum enim, ut in ingenioſa & ſtrenua gente, nunquam deeſſent turbulenti & projectae audaciae viri, qui ſuae libidini potius, quam legibus parere praeoptarent, &c, conculcato liberae civitatis jure, perpetuam dominationem affectarent, hoc ſe firmiſſimo munimento cinxerunt, ut in Tyrannicidis, quod honeſtiſſimum inter Graecos nomen, omnibusque titulis anteferendum, libertatis patriaeque caritatem publicis praemiis, atque immortali gloria, remunerarentur. Demaratus igitur Lacedaemonius apud Xerxem, Graecis jugum minitantem, pro patriae gentis indole, argute, veritatis quamvis inviſae auctor, Graecorum naturam ac mores expoſuiſſe fertur; Graeciam quidem paupertatis ſemper

fuiſſe

fuiſſe alumnam, ſed virtute, quam ſapientia ratumque legis imperium formaverint, contineri, cujus uſu conſtantiſſimo graves & paupertatis & injuſti dominatus aerumnas amoliretur ac longe arceret.

Quanquam vero inter Graecos principem obtinuerunt locum Lacedaemonii & Athenienſes, ingenio tamen, legibus, & inſtitutis mirifice diſſenſerunt: Spartani, palaeſtrae proluſione verisque militiae laboribus durata gens, verborum parci, rebus geſtis magnifici, qui fortunae dona genuinae virtuti poſtponerent, divitias inſuper habentes, quicquid animi magnitudinem imminueret, aſpernati, ſola patriae libertatisque auſpicia ſequebantur; qua re factum eſt, ut cultae eruditionis literarumque, quas effeminandis animis idoneas arbitrabantur, contemtum, exemplorum gravitate penſarint.

Hanc autem avitam gentis indolem fovit & firmavit callidiſſimus ingenii humani ſpectator Lycurgus, qui ut, quam mente conceperat, rei publicae formam civibus approbaret, mendaci fictae religionis vinculo ſuperſtitioſos animos illigare, ſuisque legibus obſtringere non dubitavit: hic, quum perſpexiſſet, quam penitus praeceptorum, quibus facile tenerae mentes imbuuntur, color inſideat, atque in imas medullas permanet, ſapienter ſeveris pueritiae laſciviam inſtitutis coërcuit, eumque in mo-

dum praeparavit, ut ad disciplinae virilis rigorem ultro deflueret.

Contra Athenienſes hominum erant genus callidum, perſpicax, arguta & urbana dicacitate venuſtum, eruditis auribus, acerrimus inepte dictorum judex, quod malos oratores faſtidio caſtigaret, bonos plauſu atque honorificis acclamationibus excitaret, in foro & concionibus aſſiduum, moribus gratia conditis lepidum ac feſtivum, ad omnem denique elegantiarum concentum ab ipſa natura factum. Quum vero penes Populum, cujus animi eloquentiae lenociniis gubernantur, ſumma rerum eſſet poteſtas, admirabili progreſſu oratoria laus inter eruditos cives crevit: nemo enim ad eminentem in Republica locum adſpirabat, quin ſibi praecipuum ab orationis diſertae facultate praeſidium peteret: quo in genere unum omnium inſtar, ut alios ſilentio praeteream, Periclem Olympium quis ignorat? cujus in labris Suadam Deam ſeſſitaviſſe Eupolis ſcripſit: hic tanta fuiſſe dicendi vi perhibetur, ut aculeos in animis auditorum relinqueret infixos, &, tonitrubus atque orationis fulmine permotis Athenienſibus, univerſam Graeciam concuteret: quam ob rem minime mirandum eſt, ſi ſubtiliter & comte dicendi nitor apud Athenienſes & natus, & educatus, atque ad pulcherrimum robur perductus videatur. Theopompus igitur, quoniam humanitatis ſtudiis ſupra

ſupra omnem invidiam Athenienſes florebant, a ſua maledicendi libidine impetravit, ut illas doctrinarum inventrices Athenas Graeciae Prytaneum appellaret. Sed is mihi de Athenienſibus optime videtur judicaſſe, qui potentiam eorum afflixit, Philippus Macedo; quum enim amici ſuaderent, ut Athenas, quae Philippi conſiliis fortiſſime reſtitiſſent, funditus everteret, ſcite reſpondit; inepte ſe facturum, qui per tot bellorum diſcrimina ad gloriam niteretur, ſi Gloriae Theatrum deleret. Athenienſes enim haud iniqui alienae laudis aeſtimatores res fortiter ac ſtrenue a Philippo geſtas durabili praeconio ad aeternam erant poſteritatis memoriam transmiſſuri.

Haec autem cum ingenii tum ſtudiorum felicitas Linguam Graecam mire perpolivit, & ad omnes animorum rerumque ſpecies enodandas accommodavit. Primum quidem ſoli totam ſcribendi ditionem ſibi vindicarunt Poëtae, Deorumque fabulas & utilia vitae degendae monita carminibus ſunt complexi: qua in re ſane mirabile quiddam ineſt, & quod a naturali linguae uſurpandae lege videatur diſcrepare: quis enim orationem verſuum numeris revinctam antiquitatis titulum praeferre, & in celeberrimo fuiſſe uſu crederet, quum vel nemo vel pauci ſoluta lege ſcriberent? quin vetuſtiores Philoſophi, ut ingenii monumenta ſcriptis mandarent, Muſas in conſilium adhibuerunt. Verum

ex hac ipſa veterum conſuetudine quis non animadvertit ampliſſimas Graecum ſermonem divitias lucrifeciſſe? Poëſeos enim vinculis adſtricti operam in eo diligentiſſimam ponere debebant, ut apta verborum collocatio & grata novitas ad varietatem rerum & pondus exquiſite congrueret. Poſteaquam vero certatim a praeſtantiſſimis ingeniis ad res veteres memoriae tradendas, & omnem diſciplinarum ambitum literis explicandum eſt concurſum, ſuperioris aetatis inopiam immenſa voluminum mole compenſarunt. Quanto autem opere, ubi ſemel in hanc curam incumbi coeptum eſt, lima ſcriptis debuerit adhiberi, id omnium luculentiſſime declarat, quod mox orationis ſeveri judices extiterint ac cenſores; qui, ſi quid minus compoſite dictum, parum concinne ſtructum, inepta volubilitate oneratum exiiſſet, veluti pronunciata de tribunali ſententia condemnabant; horum inter primos acutiſſime Democritum, at quem virum! orationis expoliendae regulas condidiſſe accepimus.

Quum vero diverſa regionum populorumque natura magnum faceret pronunciandi, propriarumque loquendi formularum, diſcrimen, in varias Lingua Graeca ſermonis formas, veluti diviſis ex uno trunco ramis, abiit: unaquaeque quidem dialectus praecipuis enituit elegantiae dotibus, eximiorumque ſcriptorum laude; ſed Athenienſium venuſtas, quae omnium Graeco-

rum

rum admirationem demerebatur, pervicit, ut Attica dialectus pro rectiſſima dicendi norma haberetur: tantoque facilius ad hoc dignitatis faſtigium eſt evecta, quod curioſa gens maritimis opibus praepollens auctoritate plurimum valeret, publicisque universae Graeciae rebus ſeſe immisceret. Poſtquam itaque ceterae dialecti ab uſu communi remotae in oblivionem fere ceciderunt, Attica conſtitit, & ſola ſophiſtarum judicio probata perennavit: neque injuria; fuerat enim doctiſſimorum hominum ſcriptis in omni ſcientiarum genere ſic perculta, ut nihil amplius ad conſummatam perfectionem deſiderari poſſet. Platonem, quaeſo, recognoscite, qui mellitum Socraticae disciplinae leporem Pythagorea gravitate temperavit; a Patribus etiam Chriſtianis laudatus, ſummoque habitus in honore; quod, cum ſupra teterrimas paganae caliginis nebulas evolaſſet, & illuſtres rerum divinarum imagines ſublimi mente concepiſſet, unus omnium Philoſophorum ad verae religionis myſteria proxime videretur acceſſiſſe: ſcribendi mirificus artifex, qui puriſſimos caloris poëtici flores, numeroſamque ſolutae orationis dignitatem, felici junxit connubio: quapropter veteres Jovem, ſi de coelo deſcenderet, ejus ore fuiſſe locuturum, eleganter finxerunt. Ariſtotelem Vobis proponite, ſumma virum ſagacitate, quando in ſpatiis ad modulum ingenii humani defini-

finitis prudentiſſime verſatur: quid enim miramur, in cauſis rerum naturalium enodandis iſtius aetatis erroribus jactatum identidem cespitaſſe, ubi nunc vix tandem ſperare licet, ut, poſt longa tot inſomniorum ludibria, poſt ſparſas hinc inde veritatis umbras, qua fas eſt, & humanae menti pervium, enitamur: ſed hoc eodem Ariſtotele quis omnes regendae civitatis formas accuratius digeſſit, ſuisque quaſi numeris deſignavit? quis peritior ſcriptorum judex ad praeſcriptas a ratione leges ſtyli modum melius exigit? quis in praeceptis poëticae virtutis illius ſubtilitatem ſuperavit?

Quod ſi, qui cum his comparari poſſunt, Virorum excellentium longum ordinem contexere, & ſuis quemque notis inſignire conater, exitum oratio non inveniret: verum iſtis enumerandis ſuperſedere mihi integrum eſt, quoniam, ut opinor, A. O. jam oculis & manibus tantum non contrectatis inſignem illam Graecae Linguae praeſtantiam, cujus in opibus apparandis tantum ſtudii, curae, laboris ingenioſiſſimi homines poſuerunt.

Equidem non diffiteor, occidente Graeciae libertate, decus eloquentiae maximopere fuiſſe imminutum: poſtquam enim libertas delibata ſervituti, quantumvis ſpecioſae ac tolerabili, locum fecit, Graecorumque oculi in excelſa imperii Romani dignitate obſtupefacti haeſerunt, defloruit ille erectae indolis ſpiritus, &, quum

quum omnis ingeniorum vigor ad ſubdolam blandae atque adulatricis orationis verſutiam converteretur, ſecum masculae ac robuſtae eloquentiae ruinam traxit: quo tamen in caſu, quae gravem hanc impoſuit plagam, Romae calamitas Graeciae eſt ſolatio: quid enim ille victor & dominus orbis terrarum populus? quid Senatus ſingulorum Regum ſpeciem praeferens? quam brevi temporis articulo ſub Caeſarum dominatu ab alto majeſtatis faſtigio ſponte defluxit an dejectus eſt. Graeci nihilominus in hac obnoxia rerum ſuarum conditione priſtinae memoriam gloriae ſaepe revocarunt, & quam ſcribendi virtutem, avitae indolis haud capaces, magni & liberi animi notis inſignire non poterant, arguta ſubtilitate tutabantur: hi quidem recentiores neutiquam ad veteres illos & vere genuinos ſunt comparandi; attamen tanto meliores, quo propius eos vel nativa ingenii bonitas, vel contentum optimos imitandi ſtudium ad perfectiſſimum antiquorum exemplar admovit.

Poteram in hoc orationis conquiescere termino, niſi futuros exiſtimarem, qui dicta ſecus interpretati, quicquid a me Graecorum laudibus accumulatum eſt, aetatis noſtrae gloriae detractum putabunt: cum quibus ut in gratiam redeam, opera mihi ſtudiumque paucis navandum videtur. Etenim ſic animum induxi, disciplinarum, quae maximos in hominum vita fru-

fructus, praecipuamque habent celebritatem, rationem eſſe bipartitam: quarum hae noſtris ingeniis accommodatae, & ex cognitis fontibus profluentes, humanarum actionum finibus circumſcribuntur: aliae, perfractis humanae conditionis clauſtris, naturam rerum abditasque cauſas perſcrutantur, nec, niſi poſt longas inanium opinionum experimentorumque ambages, exiguam ſperatae veritatis particulam adipiſci poſſunt: nam iſta, ut videtur, lex nobis eſt poſita, ut per multiplices errorum labyrinthos ad planam veritatis & expeditam viam prorepamus; quare veterum erga nos haud contemnendum conſtat beneficium, qui, plurimis erroribus exhauſtis, ſolutoque humanae imbecillitatis debito, eorum nobis gratiam fecerunt.

Equidem ut in hac poſteriore ſcientiarum parte multum nos Veteribus antecellere concedo, & ultro profiteor, ſic in prima viciſſim antiquos palmam nobis praeripere, fidenter affeverare non dubito: illi enim, & naſcendi felicitate, & uberrima ingenii vena, & animi magnitudine, & rerum uſu, & honorum ſtimulis adjuti, humanitatis ſtudia ſic expoliverunt, ut aliquam iſtius perfectionis partem attigiſſe in ſumma laude poni debeat. Quantum igitur ab hujus ſeculi, praeſtantiſſimarumque, quibus floret, ſcientiarum contemptu abſum, tantum vetuſtatis honori juſtisque titulis faveo: quod ſi quis praeclaras utrorumque doctrinas

con-

conſociare ſtudeat, is mihi demum ad veram ſolidamque eruditionem recta via contendere videtur. Nunc perorata Graecae Linguae cauſa, ſi Vobis, Perilluſtres ac Nobiliſſimi Optimates, Patriae & Academiae Patres, quibus quam maxime debeo, pronum in literas animum approbaverim, ſatis operae pretium retuli: Vos in hunc celeberrimum bonarum artium mercatum, Graviſſimi Proceres, me produxiſtis; quod ut amplum mihi eſt, & per ſane quam honorificum, ſic perinde arduum eſſe ac difficile probe intelligo: quum enim clariſſimi Viri, LAMBERTI BOS, cujus excellens Graecarum literarum cognitio egregiis ingenii monumentis immortalitati eſt conſecrata, vices ſuſcipiam, video, quanta mihi ſit diligentia elaborandum, ut aliquam iſtius laudis partem conſequar. Veſtram vero ſtudiorum erga me propenſionem, ſi vel Graecae orationis veneres & copiae mihi praeſto eſſent, quo verborum genere, quibus dicendi luminibus exaequarem? Hanc tamen, non Graecam, ſed Romanam, ſed Belgicam fidem Vobis obſtringo, me omnibus induſtriae nervis adniſurum, ut Vobis veſtri in me beneficii conſtet ratio; & ne Vos, Illuſtriſſimi Proceres, prolixi de me judicii poeniteat, me, quanta fuerim in obeundo munere cura verſatus, ſemper poenitebit.

Vos autem, Celeberrimi atque Eruditiſſimi Pro-

Profeſſores, qua quisque doctrinarum laude cenſemini, me propiore jam neceſſitudinis vinculo Vobis adjunctum in collegium lubentes & in amicitiae non fucatae ſocietatem adſciscite: Veſtra hominum ſumma eruditionis gloria cumulatiſſimorum exempla mihi ſemper in animo & oculis erunt, atque, ut Themiſtoclem Miltiadis tropaea, ad promovendam Academiae dignitatem exſtimulabunt. Eum me praestabo, quocum facilis, &, ut ſpero, non ingrati convictus rationes haud illibenter deducatis: humanitatis officia non appendere Vobis, ſed adnumerare conabor; quod, ne ambitioſo verborum apparatu promiſſis fidem minuam, re ipſa potius repraeſentabo.

Vos denique, Lectiſſima Muſarumque ſacris dedita Iuventus, pro eo ac veſtris commodis quam optime conſultum cupio, non poſſum non adhortari, & clara vociferatione inſtigare, earum literarum amorem animis ut ſuscipiatis, quae ſingulare decus & adjumentum, in quacunque ſtudiorum parte elaborandum vobis ſtatueritis, veſtris rationibus adjungent. Ad vos autem praecipue, qui Deo & Eccleſiae veſtros labores conſecraſtis, haec cura pertinet; nec vos lucubrationis vigiliarumque poenitebit: magnae curae magna merces eſt: me vobis in hoc literarum curſu & ducem praebeo & comitem.

T. H.

TI. HEMSTERHVSII

ORATIO

DE LITERARVM HVMANIORVM STVDIIS AD MORES EMENDANDOS VIRTVTISQVE CVLTVM CONFERENDIS.

[*Dicta Lugduni*, CIƆIƆCCXL.]

Saepenumero mecum ſum admiratus priſcos illos artium diſciplinarumque apud Graecos conditores ac magiſtros, qui rudem hominum incultamque turbam primi ex tenebris in lucem evocarunt, eam vitae conſtituendae rationem ſolertiſſima mente fuiſſe complexos, quae commune mutuorum officiorum vinculo humanum genus conſociaret, cognitionemque rerum, quantumvis tenuem & inbecillam, cum moribus virtutisque cultu legitimo modo connecteret. Naturam videlicet ſecuti ducem, nihil exiſtimabant magno opere ad formandos animos & honeſti ſenſu inbuendos valere, niſi quod optima rationis & officii ſtudia ſimul contineret. Praeclarae & in publicum utiliſſimae ſententiae ſectatores ipſa nobis fabula non ſemper mendax ſuppeditat: Orpheum enim haud temere proponit Muſae filium non modulatiſſimo ſolum cantus lenocinio feras animantes mitigaſ-

ſe, ſed & mortales, infeſtis inter ſe odiis diffidentes, traditis myſteriis in unum congregaſſe corpus, & ad modeſtiorem ordinatamque vivendi legem redegiſſe. Quid potentiſſima Amphionis & admirabilis illa lyra? ſuaviſſima ſonorum dulcedine ſuspenſas aures detinuiſſe non contenta, Thebarum muros erexit. Idem inſtitutum, quo propius ab ornandae vitae repertoribus aberant, eo diligentius coluerunt. Reſpice mihi Septem illos Graeciae Sapientes, quod in illis conſpicuum nomen obtrectationis & invidiae fuit expers: nonne praecepta morum argute brevibus incluſa ſententiis, quaſi totidem vitae gubernandae leges, tanquam tabulis in publico fixis, omnium memoriae commendarunt?

Ab iisdem profectus initiis Pythagoras, callidiſſimus indolis humanae ſpectator, morum naturaliumque rerum doctrinas ita copulavit, ut in pari gradu eodemque collocaret domicilio: quum enim perſpexiſſet, quantum momenti ad excitandum ingenii vigorem temperata & ordine concinno compoſita vitae ratio adferret, inculcatis quotidiana conſuetudine recte vivendi praeceptis, & injuncta quinquennalis ſilentii verecundia, ad amorem virtutis ingenuum elatamque animi magnitudinem discipulos ſuos evexit, eorumque pectoribus tam alte radices honeſtatis inſeruit, ut nulla unquam veterum Philoſophorum familia eminentioribus

bus egregiae virtutis officiorumque exactiſſime cultorum exemplis abundaverit.

Optandum fuerat, ut, quae naturae auſpiciis & arcta neceſſitudine ſunt conjunctiſſima, nunquam humani ingenii vitio fuiſſent divulſa; melius certe cum veris doctrinarum ornamentis, melius cum tota vitae adminiſtrandae ratione actum foret. Nunc, poſtquam pedetentim pomoeria ſcientiarum ſunt prolata, tantus ardor ad ſolam diſcendi contemplandique delectationem omnium animos rapuit, ut interea morum virtutisque cura primum langueſceret, deinde velut interjecto muro a rerum intelligentia ſecluderetur. Ita factum eſt, ut curioſa cognitionis amplificandae cupiditas adtentam bene vivendi rationem oppreſſerit, ſplendoremque doctrinarum, qui perpetuo lumine hominum actionibus adfulgere debuerat, mirum in modum obfuſcaverit.

Neminem autem fore arbitror, quin fateatur, illud in eruditis diſciplinarum ſtudiis eſſe praecipuum, illud in primis omni ope conſectandum, ut, quicquid ad conſtabiliendam vitae rationem temperandosque mores inde hauriri ſuppeditarique poteſt, ſollicite colligatur, & fingendis ad omnem honeſtatis cultum animis inſerviat.

Equidem ut libenter conceſſerim nullum eſſe doctrinae genus tam ſterile, tam ab uſu vitae communi ſeductum, quin plurima recondat,

quae, ſi a perita manu excuſſa proliciantur, augendis recti honeſtique rationibus eximie conducant; ſic adfirmare non vereor, vix ullam ab his praeſidiis & vitae ex aequo degendae adjumentis ita eſſe inſtructam, ut Literis Humanioribus aut plane praeferri, aut cum iis comparari poſſe mereatur: quo magis eſt dolendum, ſponte ſua ſundum feracem, &, ſi induſtria benigni cultoris acceſſerit, uberrimos fructus laturum, vulgo negligi & horridum ſqualere.

Pro mea quidem parte non committam, quo minus agri noſtri, quem verſandum ſubigendumque habemus, laeta fertilitas omnibus ſit teſtatiſſima: atque adeo, *de Literarum Humaniorum ſtudiis ad mores emendandos virtutisque cultum conferendis*, hodie vobiscum diſſerere conſtitui, brevique oratione oſtendere, vel potius adumbrare, quam limpidis fontibus Humanior Doctrina ſcateat ad irrigandum ſaluberrimo rore humanae vitae decus. Vos, AUDITORES SPECTATISSIMI, ſi cauſam plauſibilem ſuſcepi, & cum utilitate publica conjunctam, aequis auribus animisque mihi dicenti favete.

Prius vero, quam in hunc campum deſcendam, parva mihi tabella delineandi ſunt & proponendi Philologiae Literarumque Humaniorum latiſſime porrecti fines: quae res tametſi ſane ſit ſatis expedita, neminique fere paululum modó peritiori obscura, praetermitti tamen

men hoc loco non debet, ut, cognitis, quas ingenti ambitu complectitur, regionibus, tanto facilius ſedes deſignentur, ex quibus idonea virtutibus excitandis adminicula ſumere conveniat.

Quicquid igitur eruditae linguae ſinu ſuo vel expromtum & in aperto poſitum, vel profundius abditum gerunt, quicquid memoriae veteris politiorumque populorum monumentis vetuſtis continetur, quicquid a primis ingenii humani incunabulis Sapientes diverſiſſimaeque philoſophorum ſectae literis comprehenderunt, quicquid denique ad priscos Scriptores, quorum in theſauris nativa omnis aevi indoles gratiſſima colorum varietate depicta patet, qua declarandos, qua mundiſſimo nitori, quem longae aetatis ſitus junctaque inscitiae negligentia detriverant, reſtituendos pertinet, Philologia ſibi proprium vindicat, ſub ſuamque vocat ditionem.

Quin porro, ſimiliter ac ſi nimis arcte tam immenſis in ſpatiis habitaret, ſublimiore volatu ſeſe extollit, & ſeveri judicis perſonam induit: ergo advocata Critice, inque juris dicundi ſocietatem adscita non tantum improba ſecernit a genuinis, cenſoriaque nota configit, aut in erroribus tum detegendis tum eliminandis verſatur; ſed inſuper, quid elimate caſtigateque dictum ſit, ſcriptumve, quid contra languidum & abhorrens, rectaeque rationis

cultu deſtitutum, examine librato decernit.

Quanquam vero ſuis opibus pollens domeſticam dignitatem ſatis tuetur, ceteris tamen disciplinis, etiam gravioribus, facillimam ſe vel adminiſtram praebet, vel ſociam & comitem, neque depromtis ex propria penu ſubſidiis eas ſuffulcire detrectat.

Videtis, AVDITORES ORNATISSIMI, ſpatium quoddam ampliſſimum, nullisque fere terminis circumſcribendum, in quo Literatorum induſtria exercere ſe, liberrimoque curſu vagari poſſit.

Habet quidem ipſa per ſe tot tantarumque rerum cognitio praemium inpenſi laboris luculentiſſimum: nam, ne dicam ingenii vires ſaluberrimo totius antiquitatis ſucco nutriri & efflorescere, recte judicandi facultatem uſu quotidiano corroborari, quae profecto permagna ſunt & in primis expetenda: conſiderate, quaeſo, perſpectus perque intervalla ſua diſtinctus ſeculorum ordo, populorum origines & fata, hominum ingenia cogitandique viae cognitae, & quae plurima vix enumerare licet, quantam animi delectationem & continuo renovatam voluptatem pariant. Verumtamen eam qui ſolam fuerit ſectatus, is mihi in literis excolendis Epicurum aliquem agere videtur, ſibi uni ſuisque commodis ſerviens. Quid autem turpius, quid homine nato magis eſt indignum, quam, qui moribus & tuis & aliorum caſtigandis proſint,

egre-

egregios Philologiae fructus temere praetervidere? quorum ſane in Humanitatis ſtudiorum pratis tanta eſt ubertas, ut ne infima quidem ejus pars utilitate praeclara vacet.

Spectemus enim, ut inde incipiam, unde Philologiae principia ducuntur, Linguas, quarum ſibi non mediocrem peritiam adquirere Philologi munus eſt. In harum latiſſimo campo, quocumque oculos circumferas, per totum terrarum orbem nulla omnino vel nunc viget, vel viguit olim, quin conſummatiſſimi ordinis a Deo inſtituti mentibusque velut infuſi teſtis ſit ſimul & magiſtra; quandoquidem omnes earum partes incredibili quadam analogiae & congruentisſima lege inter ſe conſpirent, hominibusque ſuggerant cum facultatem tum copiam inexhauſtam cogitationes ſuas intus foecunda mente conceptas commode diſerteque enuntiandi, in aliorumque & aures & mentes transmittendi: quod claris utique documentis demonſtrat, Summum naturae Conditorem, ut ordinis ipſe eſt fons & auctor, ita homines quoque ad amorem ordinis vel hoc ipſo praeclaro ſermonis dono conſtantiſſime adligaſſe, & ne latum quidem unguem inde diſcedere voluiſſe: eſt enim ut naturae ipſius totiusque univerſitatis arctiſſimum vinculum ſic virtutis fundamentum.

Hanc ut fixerit Arbiter univerſi normam in linguis, quarum ſoni aëre verberato conficiuntur, in morum virtutisque judicio extare noluerit!

luerit! ô perverſam rationem, ſi quis eo dela batur! Verum haec res, quanquam exilis videatur parvique ponderis, quoniam ſubtiliore disputatione indiget, levi tantum digito fuit attingenda.

Ad hiſtoriam, quae majorem nobis campum aperit, illam temporum veritatisque teſtem progrediamur, quam Cicero non abſurde neque injuria *vitae magiſtram* adpellavit: quanta ibi ſeges inſtruendae non nudis tantummodo praeceptis, ſed veris rerum geſtarum argumentis hominum vitae: non hinc ſubſidia componendis moribus umbratico acumine quaeſita, ſpinoſisque quaeſtionibus involuta, ſed ab eventuum geſtorumque fide petuntur. Quod ſi nihil ad animos movendos & imitandi aemulatione ſuscitandos eſt potentius illuſtribus exemplis, unde niſi ab hiſtoria ſubminiſtrabuntur?

Quis autem adeo abjectus, adeo mentis contractae, quin, ubi omnis exempli documenta in conſpicuo poſita monumento contuetur, & vitia cunctis ſeculorum ſuffragiis condemnata fortius refugiat, & nativum ab adtenta boni honeſtique in ſummorum hominum actionibus enitentis contemplatione ducat colorem, quibusque alios ad res magnas excitatos videt, iisdem ipſe igniculis incaleſcat: qua quidem hiſtoriae doce Patria noſtra, nondum duobus abhinc ſeculis ex dira ſervitute in libertatem adſerta, tanto opere praefulget, ut cum omnium paene

po-

populorum monumentis jure contendere poſſit: vix enim, ac ne vix quidem, ullam gentem inveneris, quae Majorum noſtrorum in conſiliis prudentiam, admirabilem in periculis conſtantiam, nullis adverſae fortunae ictibus dejectum libertatis amorem, conſtituendae conglutinandaeque ex diverſiſſimis membris Reipublicae ſolertiam vel ſuperavit vel aequavit. Eorum itaque res geſtas & rationes ſi quis exegerit atque animo ſequatur, quaſi formulam aliquam reperiet ſalutis publicae cuſtodiendae poſteris commendatam, quam ne unquam deſeramus, aut eripi nobis patiamur, ſtudio virtutis ex hiſtoriae radiis accenſo enitendum eſt.

Haec commoda multoque plura quum ex rerum geſtarum monumentis deriventur, cavendum eſt, ne ſoli properatae lectionis voluptati, tanquam ſcopulo, mens adhaereſcat: adſueſaciendus eſt animus lentaque meditatione ſubigendus, ut ex illo vitae humanae ſpeculo expreſſas virtutum, quas in aliis probat & admiratur, imagines in ſe recipiat: ſic illud in cognitione rerum maxime frugiferum conſequetur, quod eum & ipſum reddat meliorem, & civibus utiliorem.

Nunc porro ad Veterum Philoſophiam, quae nominis ejus modeſtiam Pythagorae debet, & ſcripta Philoſophorum accedo; a quibus ſapientiae ſtudium, & morum emendationem profesſis fieri ſane nequit, ut donorum vacui dimitta-

mur & inanes: neque obeſſe debet, aut, ne praeceptis eorum utamur, intercedere, quod ſanae religionis, & ad unum Deum generis humani Soſpitatorem converſae, fuerint expertes. Nemo certe negaverit quin virtutis omnis geminus ſit ſtatuendus fons: alter, qui naturae venis profluit, ejusque finibus includitur; alterum coeleſtis gratiae benignus ros foecundat: quos tamen quum geminos dixi, nemo non ultro animadvertit, gradibus eſſe potius, quam vero diſcrimine disjungendos, quippe utrosque ab auctore Deo manantes: etenim naturam divina gratia non permutat, ſed corrigit, & vires, quae fuerant per ſummum dedecus amiſſae, denuo inſtaurat. Quum igitur veterum Philoſophiam ut virtutis magiſtram & ſedulam adjutricem & conſidero & commendo, vel me tacente facile quivis percipit, illam me obligationem reſpicere naturalem, qua omnes omnino homines ad aequi, juſti, atque honeſti curam & cultum religioſiſſime devinciuntur, & vel infractis naturae facultatibus infectaque per peccandi libidinem mente obſtricti tenentur.

Hanc obligationem, hanc hominum mentibus profunde inſertam legem praeſtantiſſimae illae Philoſophorum veterum doctrinae omni pagina ſpirant, & pleno lumine conſpiciendam nobis praebent; quam mihi nunc in praeſentia diſtrictam paedagogam adpellare liceat, quae non patiatur, hominem a virtutis cultu & obſervatio-

tione omnis honeſtatis vel minimum deflectere, quin continuo adverſus ſemet ipſe & teſtis ſurgere cogatur violatae normae naturalis, & judex ſedere.

Sed expectationi veſtrae A. O. minime ſatisfactum reor, ſi generali tantum Philoſophorum commemoratione defungar: deſcendendum mihi ſentio in illas vetuſtorum Sapientum Scholas, quae praecipuo colendae virtutis ſtudio nobilitatae ſummam poſteris admirationem reliquerunt.

Primam Pythagorae nunc aperire mihi lubet, & viri auctoritate & gravitate diſciplinae inter omnes maxime commendabilem. Hujus Philoſophia, ab inani futilium ſubtilitatum turba ſemet avocans, virtuti in hominibus generandae, enutriendae, & veris decoribus ornandae ſe totam addixit: neque enim Pythagoreae diſciplinae majeſtas fabularum vanitate, quibus omnis antiquitas circumvelari ſolet & involvi, aeſtimanda eſt: ſed animus attendendus ad tot inſignes Legumlatores & Imperatores, quos haec Schola, benigna maſculae virtutis mater, aluit atque eduxit. Magno e numero ſi eximium habeam Epaminondam, egregium illum contemtae patriae ſtatorem ac vindicem, ne vitio mihi vertatur minime vereor; qui, Pythagorea Lyſidis doctrina inſtructus atque inflammatus, Lacedaemoniorum potentiſſimas opes, qui Graeciae cervicibus imminebant,

con-

concuſſit & infregit: quantum autem in uno viro fuerit momenti, ex eo colligere licet, quod, ſimul atque ille occubuerat, Thebae in priſtinam conditionem ſtatim relaberentur.

Simillima ratio Socraticae ſcholae, Pythagoreis opibus auctae, quam ego nunc ſecundo loco recludo: auctor Socrates, unicum illud Athenarum decus, fertur primus in Graecia Philoſophiam ſiderum curſibus metiendis occupatam e coelo devocaſſe, & in terris collocaſſe: hic quidem adeo totus in formandos mores incubuit, ut omnem aliam curam paene ſupervacuam duceret, nullamque operam utilius eſſe collocatam arbitraretur, quam quae vitiis extirpandis vacaret. Hujus nobilis ille diſcipulus & aemulus Plato, iisdem magni magiſtri veſtigiis inſiſtens, in hunc quoque ſcopum perpetuo collineandum ſibi putavit. Quanquam vero Socratem potiſſimum ſuae ſententiae interpretem adhibeat, mellitum tamen Socraticae diſciplinae leporem Pythagorea gravitate temperavit; a Patribus etiam Chriſtianis mirum in modum laudatus, ſummoque habitus in honore, quod, cum ſupra teterrimas paganae caliginis nebulas evolaſſet, & illuſtres rerum divinarum imagines ſublimi mente concepiſſet, unus omnium philoſophorum ad verae religionis myſteria proxime videretur acceſſiſſe; mirus ſcribendi artifex, qui puriſſimos caloris poetici flores, numeroſamque ſolutae orationis digni-

dignitatem felici junxit connubio: quapropter veteres Iovem, ſi de coelo deſcenderet, ejus ore fuiſſe locuturum eleganter finxerunt.

Tertiam ingredior Stoam, luculentiſſimam illam omnis virtutis commendatricem, & forte nimis ſuperbam, quippe quae, nonnunquam ipſius naturae oblita, legitimos fines in multis ſuperſcandere videatur; Sapientemque ſuum coelo aequat; facile tamen in ordinem cogenda ab iis, qui verborum jactantiam a veritate disciplinae diſcernere valent: in quod tamen illi vitium nunquam fuiſſent prolapſi, niſi majorem animo auguſtioremque virtutis ſpeciem concepiſſent, quam contracti naturae humanae fines capere poſſint. Quid ergo? quum tot anſas expurgandae vitae veterum Philoſophia nobis porrigat, an ſcribendi venuſtate & voculis ad examen vocatis contenti veras utilitates, quae ſolidis ornamentis animum mactant, aſpernabimur? nemo dixerit ſanus.

Ab his veteris Philoſophiae principiis profecti ejusque ſucco enutriti omnes Graeci Latinique Scriptores, qui in famam miſſi, donec orbis terrarum Humanioresque literae ſtabunt, ſuo pretio aeſtimabuntur, ea paſſim & lumina ſapientiae, & praeſidia juſtitiae, & fortitudinis ornamenta, & decora temperantiae praeferunt, & tanquam in lucidiſſimo vitae humanae ſpeculo contemplanda proponunt, ut plane fieri

fieri nequeat, quin is, qui mentis ſuae culturam non negligit, atque ultro abjicit, illis radiis colluſtratus ad virtutis amorem accendatur, ejusque aculeis ad imitationem praeclarorum facinorum ſtimuletur. Haec autem virtutum ſemina qui discipulis ſuis, qui ſcriptis inſeruerunt, iidem mihi potentiſſimi videntur doctores extitiſſe libertatis, non illius, quae disciplinae jugum ferocius excutit, omnisque fraeni impatiens petulanter evagatur, & ſacra profanis miscet, ſed quae modeſta & manſueta uni ſervit rationi, ejusque ſe legibus adſtringi & contineri geſtit. Hanc ego libertatem altis radicibus cum natura noſtra connexam praecipuum eſſe mentis humanae privilegium duco, verarum virtutum eandem & nutricem benignam & politricem, quam, quo quis ratione magis pollet, eo vehementius velut Palladium aliquod & originis ſuae pignus amplexatur.

Atque haec quidem libertas ingenua veterum inſtitutis exculta mirificum quendam excellentium virorum dictis factisque ſplendorem circumfundit. Quum igitur tanta ſint in Literis Humanioribus ad inflammandum virtutis honeſtique amorem praeſidia, quid tandem erit cauſae, cur, ceteris ejus partibus minime ſepoſitis, hanc tamen & nobis & communi vitae longe utiliſſimam non ſtudioſiſſime percolamus. Ipſa Philologia, ſi vocem ſumat, cultores ſuos

ad-

admoneat & obteſtetur, ne divitiarum ſuarum decus, tanquam theſaurum defoſſum, nulloque in lucro poſitum, ſitu obſolescere permittant.

[*hic ſpatium unius pag. in autographo fuit relictum.*]

Ego quidem ut pulcerrimum hocce connubium Literarum Humaniorum cum vera virtute, altioribus nunc Chriſtianae religionis principiis animata, inviolabili vinculo in Academiis floreat, ſtudioſaeque Iuventuti commendatum inculcetur, omnibus ſemper votis optavi, & optare nunquam deſinam: eandem vobis, ILLVSTRISSIMI PROCERES, qui ad clavum celeberrimi hujus Lycéi ſedetis, & votorum & curarum & laborum Academiae commodis inpenſorum eſſe ſummam ſanctiſſime mihi perſuaſum habeo; eoque nunc nomine vos venerari, atque in publico compellare liceat. Si minus expectationi veſtrae, VIRI NOBILISSIMI, reſponderim, at materiae ſaltem dignitate, & animi ad Humaniores Literas juxta & virtutem promovendas propenſi ſignificatione me non diſplicuiſſe confido. Vos me, diuturna trium & viginti annorum conſuètudine Friſiacae glebae jam paene adfixum, in hunc ampliorem doctrinarum omnium mercatum excivistis; in hoc me ſuggeſtu collocaſtis: qua Veſtrorum erga me animorum prona voluntate ut mirifice me adfici non diffiteor, ſic idem vehe-

vehementer me conturbari ſentio, ſimul atque oculos reflecto tum ad arduae provinciae, quam Veſtra mihi auctoritas inpoſuit, munus, tum ad excellentem Virorum Doctiſſimorum qui hanc ſpartam ornarunt, praeſtantiam, quorum induſtriam, eruditionem, & merita immortalitati conſecrata paſſibus exaequare longe difficillimum eſſe, & ſupra meam mediocritatem poſitum video. Solatur tamen ac reficit me favor veſter, GENEROSISSIMI VIRI, quo me complexi eſtis ſingularis, & bene in poſterum augurari jubet: illa enim ſumma veſtra benignitas, qua me Vobis etſi totum mancipatum profitear, vix tamen minimam officii mei partem confecutus videbor, currentem magis magisque exſtimulabit, nullos ut mihi labores, nullas vigilias eſſe moleſtas ducam, ex quibus aliqua ad Lyceum hocce clariſſimum videatur utilitas redundatura. Adnitar omnibus induſtriae nervis, ut Vobis veſtri in me beneficii conſtet ratio, & ne vos, SPLENDIDISSIMI OPTIMATES, prolixi de me judicii poeniteat; me, quantacumque fuerim in obeundo munere cura verſatus, ſemper poenitebit.

Vos vero, Viri omnis generis doctrinarum laude florentiſſimi, oro atque obteſtor, ut me libentes libentem non in Collegium modo Veſtrum, quod mihi perquam eſſe honorificum agnosco, ſed multo magis in familiaritatis non fuca-

fucatae neceſſitudinem adſciscatis. Ego omni alia re a vobis me ſuperari non moleſte patiar, quam officiorum cultu & obſervantia. Vos integerrimorum illorum pectorum, quae Franequerae discedens reliqui, vicem mihi praeſtate, damnum penſate. Candorem animi, vere Batavum illum & apertum, non ore extremisque labris promtum geram, ſed re ipſa repraeſentabo.

Quantum mihi praeſidium ad partes mihi commiſſas dextre peragendas ſit ſitum in Veſtra ſingulari eruditione, fide, conſiliis, ut ipſe probe perſpectum habeo, ſic vos nunquam ope veſtra mihi defuturos ex certiſſimo egregiae humanitatis Veſtrae augurio laetus colligo.

Hoc autem in ſplendido conſeſſu quum te conſpicor, SCHVLTENSI cariſſime, & nunc iterum nove collega, inſolita quadam laetitia geſtit animus. Ne quicquam a me non opportunum, non utriusque noſtrum perſonae conſentaneum Tibi metuas: pudori tuo vim non faciam, nec tuas tibi laudes, ut ut meritiſſimas & maximas, in os ingeram: novi teneram tuae frontis verecundiam. Hoc dicere mihi publiceque profiteri licebit, amicitiam noſtram, naturae quadam ac ſtudiorum ſimilitudine a prima usque adolescentia conglutinatam, & mutuis officiis ſummaque voluntatum concordia perpetuo cultam tam ſancte conſti-

tiſſe, ut nunquam nobis in gratiam redire fuerit neceſſe.

Vos denique, florentiſſima ſtudioſae Iuventutis corona, dicata ſtudiis pectora, quin verbo compellem, praeterire non poſſum. Equidem pro eo ac veſtris commodis optime conſultum cupio vos adhortor, & continuis vocibus inſtigare non deſinam, Humaniorum Literarum amorem ut animo ſuſcipiatis, quae ſingulare decus & adjumentum, in quacunque doctrinarum parte laborandum ſtatueritis, rationibus veſtris accedent. Verum hoc Vobis inprimis ſtatutum ſit fixumque, ſtudiorum omnium eſſe florem ac decus virtutis cultum; cujus incitamenta ſi ex Humaniore Doctrina probe combiberitis, magnae curae magnam mercedem reportabitis. Ego me ſic comparabo, ut in Literarum curſu me ducem Vobis praebeam & comitem; in virtutis morumque praeceptis ex veteribus hauriendis indefeſſum monitorem & impulſorem.

TI. HEMSTERHVSII

ORATIO

DE MATHEMATVM ET PHILOSOPHIAE STVDIO CVM LITERIS HVMANIORIBVS CONIVNGENDO.

Priusquam hujus diei, qui me mori majorum obſecundantem in hunc ſuggeſtum evocavit, ſolenni ritu defungar, in Ornatiſſimorum Virorum conſeſſu pro concione mihi verba eſſe facienda video: quam ego provinciam cupidius expetitam ſi ſponte mea ſuſcepiſſem, abeſſe non poteram, quin ita me compararem, ut fiduciae dicendi & expectationi veſtrae facultas orationis elimatae & ad aures mulcendas compoſitae reſponderet.

Nunc quum nec meae me voluntatis arbitrium, neque ulla gloriae reportandae cupido huc evexerit, ſed ſola muneris annui deponendi ratio paene protraxerit, ea conditione per ſanequam difficili, qua tenentur qui operas oratorias publice promittunt, me ſolutum eſſe laetor. Satis ad me lucri ſuperque redituтum eſt, ſi faſtidium Auditorum meorum, horula dicendo conſumta, cujus tantilli temporis jacturam haud aegerrime vos eſſe laturos auguror, effugere mihi contigerit. Hoc au-

tem ut pro virili parte conſequar, de tali quodam argumento hodie diſputare, cumque vobis agere decrevi, quod nec perſonae, quam ſuſtineo, non conveniat, & pronam dignitatis literarum augendae ac promovendae voluntatem teſtetur.

Quum enim Humanioris doctrinae cultu nullum unquam aetatis meae tempus vacaſſe libenter confitear, nemo mihi vitio vertet, ſi aliquid adjumenti, quantumcumque id erit, conferre coner ad extendendas eas literas ornandasque, quae mihi plurimum & voluptatis adtulerunt, & nonnihil fructus. Quandoquidem vero multae ſunt, eaeque diverſiſſimae viae, quibus ad iſtum finem eniti licet, a duobus tamen quaſi capitibus pendere potiſſimum, quicquid honori literarum commodisque conducat, animadvertere mihi videor: nam priſcorum inventis adſtrui poſſunt atque adcumulari nova; itinera poſſunt adhuc inuſitata, per quae facilius & breviore gyro ad Muſarum aedem penetretur, aperiri; tum impedimenta extrinſecus objecta, quae varii generis currentibus obſiſtunt, & impetum ingeniorum hebetare ſolent, docta manu amoveri atque e medio tolli.

Talis eſt vel rerum ipſarum obſcuritas, vel mentis humanae imbecillitas, ut omnibus in disciplinis difficultates adhaereant ſpinoſiſſimae, quibus ſuperandis atque evellendis quantum-

cum-

cumque laboris atque operae fuerit impenſum, ſemper tamen adfatim reſtabit, in quo poſterorum induſtria deſudet, viresque ſuas exerceat. Muſſitanda nobis eſt & aequo animo perpetienda haec ab ipſa natura mortalibus impoſita conditio: illud demum acerbe ferendum videtur, ſi doctrinarum Antiſtites impedimenta concilient atque admoliantur, quibus planus ad omnem excellentiam curſus retardetur, ac propemodum ſufflaminetur. Sane vix quemquam paulo peritiorem fugit, in omni eruditionis genere viros ſubinde extitiſſe; qui, legitimae libertatis expertes, adfixi deſerviebant iis opinionibus, quae niſi melioribus auſpiciis, quam ante fuerant invectae, tandem ejicerentur, ruinam erant ipſarum disciplinarum tracturae.

Eadem illa calamitas ſaepe alias fundum noſtrum literarium adflixit, atque etiamnum adfligit: ſunt plura, & non unius generis haec mala, quibus enumerandis nunc quidem ſuperſedere lubet: illud intactum in praeſentia praeterire & reticere nequeo, quod inter Muſarum ſacerdotes reperiantur haud pauci, iique celebritate nominis ac fama minime vulgares, qui ſibi perſuadent, atque aliis etiam maximo opere perſuadere contendunt; nihil ab officio Philologi longius abeſſe, quam ut rerum Naturalium ſcientiam, Mathematum cognitionem, Philoſophiam denique, praepoſtera & peſſime collocata cura conſectetur: ſi quid forte luminis ad philoſophum ex diſertae ora-

tionis & literarum ornamentis inſtructae copia redundet, (hoc enim illi non gravate concedunt) at nihil emolumenti, utilitatis nihil, ad Philologum ex iſto tam tetrico & ſevero ſtudiorum genere redire: quin multo citius igneam illam ingeniorum vim & alacritatem, quae omni Proteo mutabilior rationis exactae vinculis adſtringi ſe non patiatur, meditando, resque procul a communi vitae uſu reductas intuendo, retundi non tantum & exolescere, verum etiam extingui: quid enim ad vetuſtos Scriptores, quid ad hiſtoriam rerum olim geſtarum, quid ad priscae memoriae ritus antiquos, quid denique ad divinam Poëſin, quae concita Deoque plena furorem mentitur, illa truculenta mobilisque ingenii inimica rerum Naturalium doctrina faciat? Ergo nihil aliud eorum judicio eſt reliquum, quam, ſimul atque Philologus aliquis in Philoſophiae caſtra ſe contulerit, ſtatim amoenos illos Muſarum hortos deſerat, iisque in perpetuum valedicat, niſi potius foras protrudi velit, & tanquam inutile membrum recidi. His profecto ſpectatoribus ſi ſub praecone de cataſta Philoſophia veneat, nummo ſibi addici recuſent. Haec perſuaſio, pedetentim invalescens, ſi latius ſerpat, inque juvenum animos ſeſe inſinuet, equidem praevideo fore, ut veris ſolidisque literarum Humaniorum incrementis periculoſus obex opponatur: aderit extemplo deſidia laboris fugiens, lentaeque & per legiti-

mos

mos ratiocinandi gradus deductae cogitationis impatiens, quae ſuffragetur ſententiae tam blandae ſuisque commodis indulgenti: atque ita tandem ex nobili faſtigio, in quo laudanda majorum ſedulitas eam collocaverat, ad literarum apices, comtulos loquendi modos, inconditam quandam hiſtoriarum farraginem, detracta Philologia ſuis decoribus ſpoliabitur, & ſpem prolatandorum finium abjiciet.

Equidem non intercedo, quo minus naturae quisque ſuae genium ſequatur, neque reprehendendum arbitror, qui neglecta, quam forte quadam ingenii refugit, Philoſophia ſolis in literis Humanioribus habitare conſtituit, modo ne carpat, nec injuſta ſententia condemnet ea, quae velut a rationibus ſuis aliena pro derelictis habuit.

Ad me quod adtinet, ſic exiſtimo haec utraque ſtudiorum genera, Philoſophiam inquam, & literas Humaniores, ſi dextras jungant & amico foedere conſocientur, mutuis opibus atque auxiliis incredibilem in modum ſibi invicem profutura: atque adeo me non poenitet publice profiteri, quantum ab eorum judicio, qui has disciplinas adverſis fere frontibus inter ſe pugnare contendunt, diſſideam. Vos A A. O O. ſi cauſae favetis, mihi cauſam eam breviter acturo animis linguisque favete.

Non eſt, cur in eo multum laborem & fixis veluti punctis definiam, quae ſit Philoſophia,

quas partes complectatur, quantam habeat amplitudinem: quae deinde Literarum, quibus ſplendidum ab humanitate nomen acceſſit, ſint ſpatia, quis modus: haec ſane forent enucleate pertractanda, ſi multum haberent ad ſententiam de controverſia ferendam momenti: nunc nihil eorum, quatenus ad hanc cauſam pertinent, vos praeterit; nihil in animis veſtris non haeret, uſuque paene quotidiano perſpectum eſt. Hoc tantum dicam, Philoſophiam intelligere me, non vanam illam & umbratilem, quae nugis & vitiligationibus ſcholaſticis ſqualet, & ingeniis hominum tum torquendis, tum pulſa omni ingenua libertate ſervili jugo premendis inſervit; aut quae, velut Minervam Jupiter, ex capite mundum procreat, ſed veram, ſed expurgatam, quae liberam erectamque mentem, nullis opinationum temere conceptis nebulis involutam, in rerum naturam immittit, experimentorum momenta ponderat, & ad normam Mathematicam exigit, nihil admiſſura, pro certo nihil venditatura, niſi quod ipſa rerum indoles perſpicuo documento fidelibus oculis concrediderit: eam denique, quae noſtra aetate Summorum virorum cura deterſis ſordibus emicuit; cujus ſingulae partes novo decore, continuo recentibus inventis, adcurato expeditoque membrorum ordine, quotidie magis magisque expoliri geſtiunt. Haec illa nimirum eſt Philoſophia, quam Philologo, ſi non

pla-

plane neceſſariam, at certe perutilem eſſe contendo; quod quo facilius in animos illabatur, primum perpendite mecum, quaeſo, omnium eſſe disciplinarum atque artium, quae ab hominibus excolantur, eam conditionem ac naturam, ut communibus quaſi vinculis adſtrictae arctiſſima cognatione contineantur, mutuasque ſibi invicem operas praeſtent: hoc ſcitum adeo naturae congruit primisque principiis, ut jam olim a viris ſapientiſſimis & animadverſum fuerit & inculcatum. Quanquam pro ea, in qua verſabantur, ſciendi obscuritate ac velut infantia, non penitus inſpexerint, quousque pertineat, quamque late porrigatur ejus effati veritas; tamen illam artium omnium neceſſitudinem mutuam tam liquido cognoverunt, ut poſteris regulam certiſſimam commendarint. Et jure quidem ſummo poterant: quid enim? unde nascuntur & originem ducunt doctrinarum rationes? nonne ab hominum ingenio repertae ſolertique meditandi ſtudio conſtitutae prodierunt? quid porro? quo tendunt? quem ſibi finem habent propoſitum? eo utique diriguntur cunctae, certe ſunt dirigendae, ut homines veris utilitatibus mactent: quid autem hoc aliud eſt, quam mentis cultum & perfectionem expolire, quam vitam moresque ſolidis in fundamentis collocare? Jam fieri vix poteſt, ut, quae finibus iſtis comprehenduntur, mutuis inter ſe nexibus non cohaereant.

 Haud

Haud equidem inficior, plurium disciplinarum terminos tanto intervallo disparatos videri ac ſejunctos, ut omnis foederis ſocietas penitus intercluſa videatur: ſed ea difficultas, quae olim, & non ita longe altero abhinc tertiove ſeculo ſpecioſe poterat moveri, cum tempore mollita eſt, & tantum non diſſipata.

Ortae primum, vel ex barbarie renaſcentis iterum, ſcientiae principia ſunt informia, & tanquam in parvulo ſemine multifariam involutae: luctandum eſt, multumque ſudoris exhauriendum, antequam proliciantur & explicentur: ſed ſimul atque in lucem emerſerunt, non tantum majus ſtatim robur adcreſcit, ſed etiam qui contractiſſimi fuerant primum fines late proferuntur, eum in modum, ut mox proximas diſciplinas, deinde longe diſſitas, mixtis paene confiniis adtingant. Quis Veſtrum ignorat, ante literas exortas, Iurisprudentiae in barbariem immerſae foedum ſqualorem & illuviem? enituit elegantioris doctrinae lumen, mirifico hominum ſtudio celebratum; quid contigit? ſic coaluerunt, ut, quicunque divellere conetur, utrique letalem plagam ſit illaturus. Quo autem ſubtilius artes elimantur, atque ad altius culmen educuntur, eo magis pateſcunt multiplices uſus, qui inde ad alias diſciplinas propagari poſſunt.

Verum audire mihi videor, qui dicat; jam teneo atque ultro etiam largior, eſſe quoddam

com-

commune disciplinarum omnium commercium ac mutuam ſocietatem, qua ſtrictius nonnullae, aliae laxius atque e longinquo ad ſe pertineant: quid autem? an inde tu conficies, eas eſſe Philologiae & Philoſophiae rationes, tamque conjunctas, ut hanc addiſcere Philologo ſit neceſſe? quid vetustis Scriptoribus, eorumque explicationi adcuratae, quid gentium antiquarum moribus, quid ceteris humanioris doctrinae partibus cum rerum Naturalium inveſtigatione, & Matheſeos principiis eſt negotii?

Si quis ita ſecum exiſtimet, hanc ſolam Philologo tribuendam eſſe provinciam, ut voculas & phraſes Graecae Latinaeque Linguae aucupetur, in literarum apicibus exigendis habitet, exeſis carie codicibus fixis oculis adſideat, diverſas quae vocantur lectiones, velut maximi res ponderis, critica lance libret, pro hac tanquam pro aris & focis depugnet, illam triſti nota configat, atque in perpetuum exilium abire jubeat, nihil ago, fruſtra contendo: lis decreta eſt.

Verum ſi contra Philologo illud quoque muneris incumbere ſtatuas, ut rerum veritatisque cognitioni ſtudeat, minoribus imbutus myſteriis majora adſpiret, variam denique ſupellectilem ex vetuſtis monumentis colligat & commode diſponat, qua auguſtam illam doctrinarum aedem exornet, jam cauſam ſuſceptam haud difficulter obtinere mihi poſſe videor.

Ea-

Eamus in rem praeſentem, & per partes, quis fructus ad literas Humaniores ex Philoſophia diligenter exculta ſit perventurus, oſtendamus: ante tamen, quam eo deſcendam, monere oportunum fuerit, nullum eſſe diſciplinae genus, quod ordinem elegantem & juſtum non requirat, ex poſitis principiis quae proxime conſequantur deducat, veri ac probabilis terminos recte diſcernat. Jam ſi via reperiri poſſit, quae mentem ipſa cogitandi conſuetudine liberrimis legibus adſuefaciat, eam tu non ingrediendam putabis? non omni ſtudio perſequendam? atqui Philoſophiae partes, quae in proportionibus rerum inter ſe comparatis verſantur, hoc agunt, eo collineant, ut juncturis ad unguem factis quae longiſſime videbantur diſtare conglutinent, ſub eandem formulam innumera redigant, ab eodemque principio ſuſpendant.

Haec qui ita pertractaverit, ut vires mentis agendique formam proprio ſenſu exploratam ad alias doctrinas ſimilem in modum traducat, nae is, mihi crede, domeſtico documento experietur, quantos fructus Philoſophiae cultus ipſi ſit adlaturus, ſi modo cum illo cogitandi ordine definitiſque ſpatiis familiaritatem paulo majorem contraxerit: ipſa mens, quae haud ſecus ac corpus exercitio atque uſu firmatur, condiſcet ſponte ſine ullo jam labore in eas ſe cogitandi formas induere, quae rebus percipien-

dis

dis maxime congruent. Binas noſtro corpori manus addidit natura commodiſſimas omnium operum adminiſtras: mentem Deus auctor infinitis velut articulis & admirabili agilitate praeditis inſtruxit, quibus imagines rerum ad ſe delatarum comprehendat, verſet, retineat.

Nunc ad Philologiam propius accedamus. Prima quidem Philologi materies eſt, in qua ſtudioſiſſime occupetur, Graeci Latinique ſermonis haud mediocris notitia: utriusque indolem & naturam perſcrutari, elegantias habere in numerato, virtutem ac ſignificandi poteſtatem ſcite poſſe interpretari, ad Philologi perſonam haud dubie pertinet: quum autem jam dudum ab uſu hominum vernaculo certaque ſede remotus exoleverit, illa nobis, quae perniciosum barbariei naufragium evaſerunt, Scripta veterum conſulenda ſunt, legenda, penſitanda. Quorſum vero, & qua ſpe? ut nimirum veteris memoriae res geſtas, priscorum hominum reperta, ſeculorum ordinem intueamur: homines nos natura finxit, eamque animis curioſam diligentiam inſevit, ut nihil a nobis humani alienum putemus.

Ipſum quidem illud callere Linguam, ſi per ſe ſolum ſpectes, neque majorem utilitatem intendas, magno opere jejunum mihi videtur, atque inanitatis plenum: quid enim proficias, ubi voces loquendique formulas in cerebrum conſtipatas ingeſſeris? Verum ſi quis ita calleat,

leat, ut Philoſophiae lumine admoto rimetur, qua via mentis humanae agitatio, ſocietatis ineundae blandimento invitata, in condendis formandisque linguis proceſſerit; quas leges, quasve proportiones cogitationibus explicandis obſervarit, quibus adminiculis ſenſus diſſipatos ſuſtentaverit, ac velut quadam compagine revinxerit, quid omnibus commune, quid ſingulis privum & peculiare, quae ſint earum in primis incunabulis ſordes atque aſperitates, quid quomodo easdem expoliverit aetas maturior, & ad leniorem nitidioremque tum ſonum tum mentis explanandae facilitatem elimaverit: haec, inquam, ſi quis fuerit rimatus, ille mihi demum videtur non nuda Linguae cognitione contentus uſum ejus perſpectae ad humanum ingenium intelligendum conferre. Vt autem Philoſophicae meditationis expers de tali rerum genere ne cogitabit quidem, ſic contra qui rectis praeſidiis firmatus illa detexerit, pleniſſimam inde mercedem Philoſophiae perſolvet. Rebus igitur minime contemnendis, earumque veritati, quantum licet, agnoscendae omnis Linguarum ſcientia par & aequum eſt ut inſerviat.

Verum ſicut illa quidem clavis, qua penetralia veteris ſapientiae recluduntur, ita viciſſim veras iſtius clavis dotes atque inſignem praeſtantiam minime perſpexeris, niſi res ipſas, ad quas aditum patefacit, mente fueris complexus.

Sed

Sed aliud eſt in ipſo Linguarum fundo, quod Philoſophicae curam diligentiae vel maxime poſtulet: de fontibus vocabulorum loquor primis, verborumque notationibus, quas quae veſtigat, artem Etymologicam adpellant. Id quidem in aperto eſt poſitum, ſi origo vocis fuerit enucleata, ſi prima ſignificandi virtus eruta, non tantum derivatas inde vires atque elegantibus figuris alio deflexas multo facilius intelligi, ſed etiam ſignificationes in iisdem vocabulis paene contrarias eum in modum conciliari, ut ab uno tamen capite pendere perſpicuum evadat. Res ſupra quam credi poteſt difficilis atque impedita: ſi Graecorum adeas Grammaticos, nusquam magis inepti & ridiculi reperientur, quam ubi vernaculae Linguae origines indagare ſatagunt: quid Grammaticos accuſo, quum Plato haud ſane melius rem geſſerit in Cratylo, niſi tamen venia ſit Philoſopho danda, qui contemta linguae ſuae norma etymologias, quas ipſe veras non crediderit, ideo fuit fabricatus, ut rebus explicandis & diſciplinae morali inſervirent; ſimili propemodum ratione, qua verborum proprietates & ſignificationes Iurisconſulti Romani Stoicos imitati tradiderunt. Nec Romanis in hac arena felicior ſucceſſus: Varronem, illum Romuli nepotum doctiſſimum, ab hac opera ſi ſpectaveris, vix erit, ut tituli laudem tueatur: quin noſtra aetate qui eadem in palaeſtra fuerunt de in-

duſtria

duſtria verſati, ſi unum exceperis, & item alterum, haud minus fortaſſe quam veteres in tenebris micarunt.

Quae tandem fluctuationis tantae cauſa? quid viros egregios & omni laude cumulatiſſimos ita transverſos egit? ſcilicet normam Philoſophicam, quae poterat eos ſola in viam deducere, omnino nullam adhibuerunt: quod ſi proportiones derivandi certas fuiſſent dimenſi, aequabilem linguarum rationem perpendiſſent, ex principiis notis, & rata lege conſtitutis, ad ignotiora & recondita penetraſſent, non eſt ſane dubitandum, quin pleroſque ſcopulos erroribus infames evitare potuiſſent: quo quidem in genere nihil eſt, quod majorem lucem adferat, quam plurium inter ſe Linguarum comparatio. Sed nimis diu hunc locum urgemus.

Progrediamur ad hiſtoriam, quam qui lucem veritatis nominat, vero praeconio Cicero adfecit. Illa vero quibus quaſi columnis binis innititur? animo jam occupaſtis AA. rectam temporum ordinandorum menſuram, & regionum locorumque certis finibus circumſcriptam definitionem: Chronologiae Geographiaeque faces ſimul abjicies, hiſtoriae lumen extinxeris. Hic autem neminem expecto, qui pertendere ſuſtineat, ſubtilius aut aeque ſubtiliter ſine ullo Matheſeos adjumento utramque poſſe adminiſtrari. Multis errorum exemplis viri alioquin doctiſſimi teſtatum fecerunt, quam

non

non tutum ſit ab his auxiliis imparatum temerariis manibus iſta ſacra contrectare. Si longam in hae cauſa ſeriem argumentorum contexerem, eſſet cur mihi ſuccenſeretis A A. quod in re cunctorum oculis expoſita veſtro acumini diffiderem. Eo vos vocare melius eſt, ut hiſtoriam non ſolum intueamini tanquam rerum in hoc orbe geſtarum fidam teſtem, verum ex ea parte ſpectandam vobis proponatis, quae ingenii humani per omnes aetates curſum, incrementa, fata, mirabilesque mutationes complectitur, & in lucidiſſima veluti tabella praepingit. Animadvertitis, opinor, quantus hic campus Philoſopho pateat, unde ſubſidia petantur ad aeſtimandas humanae mentis vires: hinc cum ſingulorum hominum indoles & agendi conſilia, tum ſeculorum praeſes, ut ita dicam, & moderator genius perſpicitur, qui, nunc adflatu ſecundo & ſalubriore, alias peſtifero & valde noxio, genus mortalium univerſum contingit.

Haec autem tota res quandoquidem in multos eſt ramos diffuſa, illum tantummodo decerpam, qui ad Philoſophiam veterumque Philoſophorum ſententias ſpectat. Hic conſiderare licebit rationis humanae incunabula, primaque veritatis ſed ſaepius obfuscatae ſemina; aeſtus animorum & contentiones ad recludendas latentis naturae venas: quid in rebus divinis, in naturalibus quid involutum, diffi-

cile, impervium fuerit: hinc colligitur, quibus progreſſibus vel erecta fuerit, vel iterum collapſa variisque fluctibus ac tanquam aeſtu quodam vexata Philoſophia, antequam in aetatis noſtrae portum decurreret, & in ſtabili gradu collocaretur: quarum rerum enodata cognitio tantum mihi videtur habere dignitatis, ut vel ſola veteres Scriptores excutiendi deſiderium commovere poſſit. Verum cedo mihi nunc aliquem prorſus alienum ab omni Philoſophiae peritia: is ſcilicet diverſiſſimarum opinionum rationes expediet, ſingularum compagem quandam apte conſtructam effinget: quid quaeque Philoſophorum ſectae ſenſerint, enucleabit: errorum fontes alte retruſos, mirificas humanae mentis praeſtigias ac ludibria deteget.

Haec qui praeſtiterit ſine Philoſophiae non perſunctoria ſcientia, is per me vel lunam digito tangat. Nec tamen Philoſophus viciſſim in hanc regionem delatus multum operae pretium faciet, niſi Literarum atque inprimis Critices opem imploraverit.

Admonet autem me percommode Critice commemorata, ne ſe intactam praeteream. Haec quidem, maximis ſtudiis agitata atque in coelum paene evecta, ſuis pollet viribus, nullumque ſibi auxilium externum deſiderat. Equidem is non ſum, qui veris Critices laudibus invideam, aut quicquam detractum velim: ſed veterum uſus & conſuetudo loquendi mentis

illam

illam nobiliſſimam ſubtiliter ſentiendi & judicandi facultatem nomine Critices ſignatam ad literas Humaniores deduxit: quo jure, quave injuria nunc non diſputo: illud quidem certiſſimum in modum liquet, vim illam mentis & ſagacitatem, naturae dono tributam, in diverſis hominibus longe diſparem, in omnibus omnino disciplinis peraeque valere: is optimus eſſe mihi videtur, quamlibet artem tractet, Criticus, qui acutiſſime judicat, & ad verum a tenuibus initiis profectus collineat. Serviamus tamen recepto loquendi mori, Criticumque dicamus, qui de veterum ſcriptis penſiculate judicium fert, in iisque purgandis atque emendandis operam collocat. Multum ſane abeſt, ut huic nihil utilitatis accedere putem a Philoſophiae cura. Quid enim? non jam patuit, quantum Philoſophia ſibi vindicet in discernendis hominum ingeniis, animi dotibus, ſtyli formis? hac ſcientia enucleate percepta carere poterit, qui pretium Scriptoribus antiquis ſtatuet, virtutum gradus in ſingulis & discrimina determinabit?

Sed ad vitia certe labesque e Graecis Latinisque libris eluendas nihil certe conducet Philoſophia: imo vero nonnihil A A. optandum erat, ut ex inſtructiſſimo ſapientiae aerario depromtas leges normamque ſibi adsciviſſent Critici, non quibus libera vis ingenii & ictus ille mentis divinatorius implicaretur, ſed quae, ju-

ſta cogitandi trutina, certa ab incertis, firma a probabilibus, arguta & ingenioſa a veris diſtinguere docerent: nam in ipſis illis, quae magnam prae ſe ferunt probabilitatis ſpeciem, diverſiſſimi ſunt gradus & ab utroque fine variis intervallis remoti. Vtinam hanc viam praeclari viri fuiſſent ingreſſi, non tot futilibus commentis ac conjecturis onerata foret res Literaria, foedati corruptique tot Scriptores.

Rationibus adhuc pugnatum: ſed forte nobis adverſatur antiquitas illudque poſteris impoſuit jus, quod illarum artium, quas ego copulandas eſſe jam dudum diſputo, fines in perpetuum confundi vetet. Conturbarer equidem in hac agenda cauſa, ſi me tantae auctoritatis, quam non minima Philologorum turba haud ſecus ac Pythii tripodem veneratur, pondere preſſum intelligerem. Nunc tantum abeſt, ut periculi quidquam ab ea parte ſit metuendum, ut ultro illis, qui mecum diſſentiunt, viros veteris aevi maximos feram judices. Saepe apud animum meum miratus ſum perverſum eorum inſtitutum & inconſideratum, qui proſcriptam Philoſophiam extra Literarum Humaniorum limites ejiciunt, haud aliter atque ingeniorum ſuffocatricem: ſaltem aemularentur Platonem, qui Homerum Poëtarum Principem e republica quidem ſua faceſſere juſſit, ſed, ut religionem viri cunctis incuteret, oleo delibutum, ac laneis vittis circumdatum. Agite ergo videamus,

an-

antiquitatis judicio quam bene ſuis rationibus conſulant, qui Philoſophiam eliminatam cupiunt.

Primum in dubium vocare nullus poteſt, quin, qui Principes Humanioris ſcientiae fundamenta jecerint, iidem fuerint & Philoſophi: teſtantur librorum, quos poſteris reliquerunt, indices; ex quibus docemur, neminem unum fere eſſe antiquorum Philoſophorum, qui non partem aliquam Humanioris doctrinae ſibi ſumſerit illuſtrandam, eaque opera ad poſteritatem commendari voluerit. Rhetorices praecepta modumque quis conſtituit? quis divinae Poëſios leges deſcripſit, atque in ordinem redegit? nimirum Ariſtoteles. Tantorum igitur nominum reverentia, & beneficiorum ab iis acceptorum memoria, non exorabit, ut aliquis etiam locus in ampliſſima Philologiae regione ſtudio ſapientiae concedatur?

Jam porro, quales ſunt illi Scriptores, qui Philologiae proram & puppim conſtituunt? vel Philoſophi, vel Philoſophis addictiſſimi: adeo ſibi perſuaſerant olim, eruditionem omnem ſordere, niſi Philoſophiae lumine fuiſſet colluſtrata. Platonem nominatim citabo: ejus volumina, divina quadam ſcribendi gravitate, & eloquentiae paene poëticae floribus inſignia, num ſpernet Philologus, adſiduaque manu evolvere refugiet? non opinor: quamquam eo jam res redierit, quod Majores noſtri Literarum ſtatores abominabantur, ut id genus auctores cla-

 riſſimi

riſſimi de manibus excuſſi fere jaceant, & vix ac ne vix quidem lectorem inveniant. Legent itaque: at quomodo? ut orationis lumina quaedam decerpant, nudas voces verborumque figuras conſectentur; mentem interea, Philoſophandi vias, doctrinae corpus non curent? dixerit aliquis audacior, haec ad ſe nihil pertinere; plures tamen, credo, pudor retinebit, ne temerariae ſententiae ſubſcribant, ſubſcribere ſaltem ſe profiteantur. Jam ſi acies in haec ſine dubio praecipua fuerit intendenda, unde ſibi ad intelligendum certiſſima praeſidia comparabit Philologus? nempe a Philoſophiae cultu: ne nunc dicam, multa magni Platonis ſine Matheſios adjumento ne capi quidem omnino poſſe: nedum ut errorum, quos vir excellens, & homo, & illa aetate vivens, admiſit, convincantur. Mitto alios, in quibus, quod de Platone tantum quod diximus, eodem pacto valet. At quem poſſim Cicerone priorem in hac cauſa mihi patronum adſciſcere? cujus auctoritas apud Philologos tantum habet pondus, ut, eam ſi quis deſugiat, piaculum committere videatur. Hoſpes ille fuerit in Tullii ſcriptis, quem praetereunt ampliſſimae laudes, quibus Philoſophiam & condecorat, & popularibus ſuis enixe commendat: ejus autem Latinis literis expoſitae, cumque civibus communicatae, gloriam, patriae ex improborum faucibus ereptae & conſervatae vel parem, vel proximam ponit:

nit. Meminerint itaque Philoſophiae oſores, cum Cicerone ſibi rem eſſe, &, ſi minus noſtris rationibus, tanti viri auctoritate vinci ſe patiantur.

Quam vero vellem, Praeſtantiſſimi juvenes; vos adpello, quos nobilior & erectior indoles fauſtis avibus ad Muſas & digna vobis ſacra excitavit, quorum pectus de meliore luto conflatum eſt; quam vellem haec mea Philoſophiae literis adjungendae commendatio non auribus ſolum, ſed animis accepta foret benignis: ſubvereor equidem, ne veſtrum nonnulli molem ſtudiorum improbam humeris ſuis imponi graventur. Pellite vanos metus, quaeſo, & ſimul ſocordiam, grande illud profectuum impedimentum, procul excutite: nec vos percellat odioſum illud, ſed inexpertis ſolis, Matheſeos nomen: ut vos mihi conciliem, querelasque veſtras leniam, dicam paucis. Sic habetote; nihil utilius eſſe, nihil opportunius, quam ut in latiſſimis eruditionis humanae campis certos, quos ſtudioſe colat, quisque ſibi fines deſignet, neque tamen intra limites ſemel fixos ita ſe tanquam glebae adscriptus contineat, ut eos transire religioni ducat, & ceteras doctrinae regiones non ſecus ac triſte bidental contactum fulmine devitet: aliud nos monent mutua, de quibus dixi, disciplinarum commercia, quae liberaliter communicatis opibus ſeſe ſuſtentant: verumtamen, quicquid in alieno decerpis, di-

 ligen-

ligenter inſpectum & conſideratum in uſus tuae illius, quam ſelegiſti, doctrinae recondito. Idem ego ſevere vobis, ſi quid auctoritati meae tribuitis, interdico, ne proterva ingenii deſultorii levitate, ſive potius libidine, huc illuc temere vagemini, quae primis modo labris deguſtaveritis ſtatim, ſi diſplicuerint, faſtidioſe relinquentes: peſtis haec eſt & pernicies eruditionis ſolidae. De Matheſi quoque, ſi quaeritis, verbo reſpondebo: gratulor vobis ſeculi, quod vivitis, felicitatem; haec laborem illum ingentem, quem ſcilicet horrebatis, mirifice compendifecit: dummodo quis ingenio nunc ſit praeditus haud abſurdo, intra breve trium, ne minus quam par eſt dicam, annorum ſpatium plura certioribusque fundamentis nixa cognoſcet & animo complectetur, quam, non totis duobus abhinc ſeculis, homini vel acutiſſimo per omnem vitam ſperandum erat. Scaligerum miramur, & merito quidem, qui immenſo labore primus temporum ordinem inſtauravit. Quam vili nunc vaenire creditis, quam parvo tempore comparanda, ſiquidem vera quis principia combiberit, quae plurimis annis & incredibili labore Viro incomparabili conſtiterunt. Ecquid terrorem, qui animos perceperat, ſedavi aliquantulum, aut potius diſpuli? ſic opinor; quod bene vertat. Vos ita ſtudiis incumbite, ut ego vobis optime volo. DIXI.

T I.

TI. HEMSTERHVSII

ORATIO (†) *FVNEBRIS*,

IN EXEQVIIS

VIRI ET THEOLOGI SVMMI,

CAMPEGII VITRINGAE *Filii*.

[*Dicta Franequerae* CIƆIƆCCXXIII.]

Ecquid exhorruiſtis A. ad immenſam luctuoſiſſimi caſus acerbitatem? ecquid intimis ſenſibus obſtupefacti perſentitis altiſſimum vulnus, quod per geminatam funeſtae domus cladem Academiae noſtrae vitalia petit atque attentat? ecquid illam animis magnitudinem luctus induere potuiſtis, quae huic tantae, quam familia, quam noſtri ordinis dignitas, quam ſanctiſſimum verae Eruditionis decus fecerunt, jacturae non dico reſpondeat, ſed vel ullam ejus partem adtingat?

Equidem, niſi me fallunt vultus conturbati omni-

(†) Haec Oratio, typis vulgata, proſtat praefixa hujus Theologi Diſſertationibus Sacris, editis Franequerae CIƆIƆCCXXXI. ſed a perpaucis certe eorum, qui *Hemſterhuſii* ſcripta alibi terrarum cum admiratione legunt, in libro harum regionum Theologico, quamvis in ſuo genere minime vulgari, fuit quaeſita.

omnique doloris habitu inſignes, plane perſpicio, & recenti plaga, & ad vivum exulcerata nuperrimae calamitatis memoria, cunctorum mentes defixas ac veluti faſcinatas obriguiſſe. Scilicet multiplici quodam & in varias partes diſtracto moeroris genere obruti confundimur, qui non tantum florentiſſimum Profeſſorem, rebusque omnibus ornatiſſimum, verum etiam unicum amiſſi Patris ſolatium perdidimus: recrudeſcit hoc novo atque inopinato ictu male obducta tanti vulneris cicatrix, & vehementius exaſperatur.

Meminiſtis, nam quod temporis intervallum triſtiſſimam infauſtae lucis recordationem obliterare poteſt? meminiſtis, quo ſqualore, qua animorum commotione, quo damni publici ſenſu CAMPEGIVM Patrem, Clariſſimum illud hujus Lycei, quin terrarum orbis lumen, novem abhinc menſibus fuerimus proſecuti: quamvis enim & aetate mala, & aſſiduis lucubrationibus, & corporis flagitanti jam debitum naturae oppignorati infirmitate ſenſim confectus, ſuae nos ruinae dudum admonuiſſet, neminem tamen hic venientis mali proſpectus retinuit, quo minus inflicti vulneris obhaerentem imis medullis ſenſum omnibus modis proderet ac teſtificaretur. Nam quis inaeſtimabilem familiae cladem; quis deplorandam ſacris operatae juventutis orbitatem; quis firmiſſimum huic Athenaeo columen ſubductum; quis dejectos

&

& fletu madentes tot tantorumque amicorum vultus; quis irreparabile doctrinae coeleſtis in hoc ſanctiſſimo capite detrimentum, ſine ingenti quadam perturbatione, animo recenſere poterat?

Vnicum tamen erat funeſtiſſimae conditionis remedium, unicum allevamentum, quod late graſſantis doloris aculeos, ſi non hebetaret, at molliret certe, &, tum maturo magnarum virtutum fructu, tum majore futuri ſpe mitigaret, CAMPEGIVS FILIVS: Filius, inquam, Patrem ſpondens: Patrem, ut nomine, ſic ſummis animi doctrinaeque dotibus, reddens: Patrem, quo nihil ad ejus laudem amplius aut majus dici poteſt, niſi fati neceſſitas interveniſſet, ſuperaturus. Hunc omnium oculi circumſpectabant, integrae juventae flore viridem ac robuſtum: Hunc, quicquid in magno Parente intercidiſſe videbatur, cum largo foenore repraeſentaturum, omnes ominabantur: Huic longaevam aetatem, & explicandis ingenii doctrinaeque facultatibus ſuffecturam, cuncti votis heu! ſucceſſu carituris deſtinabant.

Fuerat olim terno maſculae prolis numero felix domus, ac paterni nominis & decoris hereditatem non uno ramo ad ſeros nepotes videbatur propagatura: verum maximam optatae fortunae partem inexorabilis fatorum lex, cum maximo Parentum luctu, jam pridem interceperat, omnemque poſterorum ſpem ad unum

unum CAMPEGIVM noſtrum redegerat: Tu nimirum eras, CAMPEGI, cujus ſuaviſſimo conſpectu mater, immenſo moerore labefactata, funeſtum ademti mariti deſiderium ſuſtentabat ac moderabatur: qui lectiſſimae conjugi Patris aviaeque, quam haud aliter ac matrem in oculis ferebat, recentia parvoque temporis intervallo disjuncta damna ſolus penſabas: quem deníque nos univerſi, veluti Phoenicem de paternis cineribus emicantem, venerabamur ac ſuſpiciebamus. O ſpes rationesque noſtrae funditus everſae! O vana votorum ludibria. Talis Tu tantusque, magni Patris germana proles, fuiſti: genti Tuae, cujus omnis ſpes Tuos in humeros unice recumbebat; nobis, qui Tui deſiderio contabescimus, amicis; huic, ablato Te, in ruinam pronae Academiae; Orbi literato, qui nihil non egregium ac ſupra vulgus eminens de Te ſibi promittebat, ereptus es.

Felicem vero Te & beatum, ſancte Parens CAMPEGI, qui tanto vulneri ſuperſtes non vixiſti; huic enim funeri, quanquam admirabili quadam & vere Chriſtiana conſtantia pectus tuum erat communitum, quo tamen tenerrimo ferebaris in Filium affectu, extremum ſpiritum impendiſſes: in hoc deſtitutae Tuae ac penitus interfectae ſpei cruciatu, animam infida dudum ſocietate corpori vix haerentem expiraſſes.

Quid autem Nos A. Triſtiſſimi? huicne dolori, quem nullo temporis ſpatio ſatis dilui, ne-

nedum exhauriri poſſe video, ſic usque indulgebimus, ut omnis in eo animorum vis debilitetur atque hebescat? nihilne ad Praeſtantiſſimi Viri tumulum, niſi lacrimas, & gemitus, & vultus aegritudine foedatos adferemus?

Quin revocandus eſt paulisper ab hoc afflictationis impetu animus, &, quam nunc ſolam admittit medicinam, virtutum ejus commemoratione leniendus: iſtum enim in modum vixit Noſter, ſic inſtrumento omnigenae eruditionis colligendo, ſic ſuae ſtationi ornandae totus incubuit, ut & noſtra & poſteritatis interſit, tam Illuſtri exemplo, cujus ad ſimilitudinem erecta ingenia componantur, minime defraudari.

Non utique ſolo planctu muliebribusque lamentis, quae tamen in gravibus aerumnis vel pertinaciſſimae conſtantiae pietas extorquet, ſed admiratione potiſſimum & aemulandi contentione memoria Magnorum Virorum eſt condecoranda.

Hujus autem materiae dignitas cum copioſiſſimam Oratoris ſumme diſerti facundiam exercere poſſit, ſentio, quam arduam impar viribus in me provinciam ſusceperim: longe mihi ſatius fuiſſet & utilius, huic gementium turbae immixtum tacita communis damni deploratione defungi, quam fracta mente, & confuſo atque interciſo vocis murmure, ad Vos verba facere: neque unquam in hunc tam diffici-

ficilem locum adduci me fuiſſem paſſus, niſi juſto afflictae Viduae deſiderio, cujus voluntatem adſpernari religio fuit, niſi Ampliſſimi Senatus auctoritati mea in Defunctum pietas ſubſcripſiſſet: hanc Vobis etiam A. O. approbare conabor: hanc ut aequis animis ſuffulciatis, mihique vitam CAMPEGII VITRINGAE FILII ſtudiorumque viam, quo poſſum dicendi genere, enarranti adſpiretis, per cariſſimam VITRINGANI nominis memoriam Vos rogo atque obteſtor.

Orationis autem, ut aequabili ſerie cum nativo rerum ordine decurrat, ab eo loco initium ſumam, ubi primam fragilis Vitae uſuram auſpicatus eſt Noſter.

Solum igitur natale CAMPEGIO fuit Franequera, genito ad eruditionis ſpem infanti peropportuna, hujusque inprimis, ut leviora praetermittam, Athenaei ſplendore celeberrima: adeo ut in ipſo prope Academiae, quam exornaturus erat, ſinu natus videatur ac ſusceptus. Hoc autem quicquid eſt commodi cum extrinſecus accedat, nec ad proprias virtutes pertineat, ineptus ſim, ſi operoſa verborum ambitione ad conciliandum CAMPEGIO Noſtro decus adhibere contendam: tanta enim in eo enituit excellentia, tam exaggeratae ingenii dotes, ut multo luculentiorem gloriam urbi Natali, huic Lyceo, Patriae denique ſuae expenſam tulerit, quam acceptam retuliſſe videri queat.

Pa-

Patrem habuit cognominem, CAMPEGIUM VITRINGAM; ſi virtutem ſpectes, & auguſtam coeleſtis originis cognationem, nobiliſſimum; ſi doctrinae copiam, non ſolis macilentae cujusdam atque enervis Theologiae limitibus circumſcriptam, ſed per omne ſtudiorum genus late diffuſam, &, quicquid aliunde opis conquiri poterat, in ſanctiſſimo religionis noſtrae ſacrario dedicantem, Eruditiſſimum, & longe ſupra noſtra praeconia ſubvectum; ſi genus & proavos, quae tamen laus a ſapientibus viris jure merito in ultimis habetur, loco natum honeſtiſſimo.

Nam Patre ortus eſt HORATIO VITRINGA, Viro Spectatiſſimo, qui & Supremae Friſiorum Curiae fuit a Secretis, & Scabini gradum Leovardiae magna cum dignitate obtinuit: ſed egregium inprimis, quamvis plurima negotii publici moles hujus operae diligentiam excuſare potuiſſet, paternae curae liberis impertitae exemplum: a teneris enim eos ipſe per ſe ſollicite fingebat, ac, tametſi ne primorum quidem elementorum traditionem refugeret, ad honeſtatis praecipue, veraeque religionis cultum, cum ſalubribus praeceptis, tum recta vitae ſuae imagine conformabat.

Huic, Noſtri CAMPEGII Avo, primis juncta nuptiis ALBERTINA DE HAEN, rari exempli femina, CAMPEGIUM Patrem ſecundo partu edidit: ipſa, poſtquam quatuor filiorum

pro-

progenie domum auxiſſet, in quinto Filiae puerperio expiravit, maritumque ſuam moeſtitiam altero ſed breviore matrimonio ſolaturum reliquit.

Maternum Avum VITRINGA Noſter habuit SIMONEM HELLIUM, virum peregregium; qui, divinorum oraculorum interpres, Eccleſiae Harlemenſis affectus, qua facundis & eruditis orationibus, qua morum ſanctiſſimaeque vitae integritate, mirifice ſibi devinxit. Is, cum hanc ſibi conditionem divino veluti ductu CAMPEGIVS Pater quaereret, Filiam ornatiſſimam, omnibus ingenii naturaeque dotibus affluentem, WILHELMINAM HELLIAM juveni, jam tum praeclaram omnium expectationem vincenti, lubens volensque in manus dedit; nec vulgare ſuae familiae decus ac nomen auſpicatiſſimis nuptiis additum eſſe arbitratus eſt.

Felix fortunatumque admirabili animorum conſpiratione, (virtus enim amabileſque mutui amoris nexus contraxerant,) matrimonium, virilis etiam ſtirpis, quae generis honorem ſeris nepotibus traditura videbatur, numeroſo proventu non caruit. Princeps familiam fundavit SIMON; HORATII duo ſucceſſerunt: quarto partu editus eſt Noſter CAMPEGIVS, cujus immaturum obitum cum maxime lugubres atratique deploramus: unica tandem matris imaginem tulit JOHANNA MARGARETA.

SI-

SIMON magnis elegantis ingenii ſagaciſſimaeque naturae donis lubricam & praecipitem adoleſcentiae libertatem excuſare non potuit, plurimamque affectus paterni partem, cum ad expectationem & calidiſſima vota minus reſponderet, in fratrem CAMPEGIVM tranſſcripſit: tandem vero poſt varios errores ſibi patriiſque penatibus redditus, cum priſtinae vitae rationes certa poenitentia expunxiſſet, inter Parentum lacrimas & preces Deo commendatus, ad plures abiit.

Prior HORATIVS, breve parentibus gaudium, biennio vix exacto disceſſit. Alter & formoſiſſima corporis ſpecie, & mirifica virtutis indole, & feliciſſimo ſtudiorum curſu inſignis, quo certiorem praecocis maturitatis ſpem concitaverat, eo graviorem nulloque medicamine leniendam obitu ſuo, annum agens octavum & decimum, plagam impoſuit. IOHANNA MARGARETA, abſolutum maternae virtutis ſpecimen, optimam habuit conditionem WILHELMVM KVITSIVM, cognatum ſuum, naturae fortunaeque bonis, dum fuit, egregie ditatum, cujus, paulo ante Socerum defuncti, acerbiſſimam amiſſionem jucundo filioli ſuperſtitis adſpectu triſtiſſima Vidua ſuſtentat.

Videtis A. O. ad quantam nunc ſolitudinem & viduitatem redacta ſit familia, tot olim propaginibus innixa: Videtis, & mecum, ut puto, imo pectore ingemiſcitis. Suſtinet hanc

atrocem fati vim ſancta praeſtantiſſimae matronae virtus, quae tot funeribus ſuperſtes, & luctu languens, ſic marito uxorem, ſic matrem filio praeſtat, ut ſupremi tamen rerum humanarum Arbitri conſilia piis ſuſpiriis revereatur atque adoret; ut ipſa ultro dilectiſſimae nurus conſternatam mentem, tantoque caſu proſtratam, lenibus alloquiis revocet ac refocillet.

Sed triſtiſſima funeſtae lucis ſolennitas ad CAMPEGIVM Noſtrum orationem reflectit; cujus in contracto vitae ſpatio latiſſimos florentis eruditionis limites utinam ſic deſignare Vobis, ac veluti dimetiri poſſim, ut, qui viva docentis voce orbati eſtis, & aeternum deſtituti, certis ſtudiorum Ejus veſtigiis inſiſtere queatis: quam enim Noſter ingreſſus eſt Doctrinae viam, non tantum paterni judicii, cujus auctoritatem defugere nefas eſt, praerogativa, verum etiam praecoces, ſed percoctae maturitatis, fructus, tributumque vixdum juveni Profeſſoriae dignitatis praemium, commendant. Quis, cui generoſus in pectore ſanguis fervet, ſi in hoc tanquam ſpeculum intueatur, atque exemplum inde ſibi ſumat, faces animo admoveri, & decorae ambitionis ſtimulis excitari ſe non ſentit? Cognoscite igitur, & mente, quantum poteſtis, ſequimini pulcherrimum Veſtri Praeceptoris curſum, ut, quam Vobis utilitatem invida mors intervertit, ab Ejus exemplo repetatis.

Ter-

Tertio & nonageſimo ſeculi praecedentis anno, dies Noſtro natalis illuxit nonus Kal. Apr. Parentisque, cui in deliciis erat futurus, luſtrali noſtrae religionis aqua praenomen ipſi fuit dictum. Vt, ſuperato rudioris infantiae clivo, ad linguae tentataeque vocis expeditionem pervenit, jam tum in tenello puero mirabilis quaedam indoles, & pulcherrimi fructus ſemine foeta, enitebat: aetatula, pedetentim progreſſa, haec naturae magna promittentis bona clarius uberiusque explicuit; nec pauca ejus tum dicta tum facta annis majora extiterunt: quae res, facile animadverſa, eo vehementius naturale parentum officium adſtrinxit, ut CAMPEGIVM noſtrum, materiem ingentis publice privatimque decoris, omni cura, ſollicitaque indulgentia foverent atque enutrirent. Quamvis autem omnis egregia virtus naturae inſitaeque indolis radicibus nitatur, quis tamen non intelligit, quantam habeat ad recte proficiendum vim ſevera caſtae domus disciplina; quantum a vitiis, quae facile teneras mentes contingunt, retrahat atque avellat domeſtici exempli reverentia.

Puer admodum in ludum miſſus literarium, ut Latini ſermonis initiis impertiretur, non tantum inter condiscipulos exſplenduit, eosque ſuo ſtudio incitavit, verum etiam magiſtrorum, tanta erat ingenii capacitas, diligentiam exhauſit. Creſcente aetate, cum ad explendam

Ejus ſitim Scholae Franequeranae Rector vix ſufficeret, in Patris muſeum deductus, totosque dies labore conſumens, tanto ſtudio huic palaeſtrae affixus haeſit, ut ab ipſius, quem frequentabat, loci adſpectu novum ardorem, fervidioresque igniculos concipere videretur. Nec puero tam magna minanti opem operamque, quam ipſi poterat navare luculentiſſimam, denegavit Eruditiſſimus Cognatus L. BOS, qui majoribus praeludentem & jam Academiam adſpirantem artifice manu regere ac formare non eſt dedignatus.

Hanc autem puerilis rudimenti commemorationem, ſi quis inutilem ac ſupervacaneam putet, is mihi intelligere minime videtur, quam auſpicatum ſit, quamque amabile ad majora rerum momenta pueritiae feliciter inſtitutae omen.

Nunc latior ſeſe campus aperit, & in ampliorem curſum oratio eſt efferenda, dum VITRINGAM in Academiam remis velisque properantem comitamur. Concipite quaeſo A. O. animisque, ſi fieri poteſt, effingite flagrantiſſima Parentum vota, quibus dilectum pignus, quod tam benigno proventu ſpes eorum aluerat, in hoc nobilius curriculum immittebant.

In civium Academicorum tabulas relatus fuit, cum annum aetatis ageret quintum & decimum, hujus ſeculi octavum, gerente Magiſtratum Academicum Viro Celeberrimo & Collega Conjunctiſſimo P. LATANÉ. Quanquam longe copio-

pioſius inſtructus praeparatusque, quam, qui in hanc palaeſtram descendunt, vulgo ſolent, multum tamen abſuit ab illa prava, quae nunc magno cum ſtudiorum diſpendio invaluit, conſuetudine, ut, neglectis literarum elegantiorum initiis, ad graviora ſanctiſſimae religionis myſteria illotis, quod aiunt, manibus irrumperet, puriſſimosque fontes temere contaminaret: prohibuit prudentiſſimi Parentis auctoritas; prohibuit ipſius CAMPEGII noſtri, jam tum recte ſentientis, indoles, haud levi humanioris doctrinae praeguſtatione illecta atque excitata.

Quid igitur? annum Academici ſtadii primum totus in accipiendis Romanorum Graecorumque, tum linguis, tum disciplinis contrivit: qua quidem in re tanta fuit, & diligentia, & ingenii dexteritate verſatus, ut dubium reliquerit, plusne magiſtris, etſi profectus Ejus ſumma contentione adjuvantibus, an propriae debuerit induſtriae.

Romanas Antiquitates, & omnia veteris memoriae monumenta, quae niſi quis habeat in numerato, eruditae laudis decus fruſtra ſibi ſperet, duce Viro Praeſtantiſſmo G. CORTIER, penitus perluſtravit: a quo cum, poſt exantlatos in hoc ſtadio binos annos, diſcederet, abſtinere non potuit, quin vero gaudio commotus, gratum animum, perceptaeque utilitatis ſenſum lacrimis teſtificaretur.

 Qui

Qui puero non defuerat, adoleſcentem mirifice fovit, ſuisque, quas habebat Graecarum literarum certas & ampliſſimas, copiis laute ditavit Eruditiſſimus Cognatus L. BOS: hujus auſpiciis admirabiles illos Graeciae Veteris Scriptores non delibavit, exiguam enim hoc laudis habet partem, ſed penſiculate lectos in ſuccum & ſanguinem redegit; quae ratio quantum ipſi pepererit utilitatis, poſtmodum non uno ſcriptorum genere clariſſime patefecit.

Cum jam eorum, quae legeret, ipſa facilitate offenderetur, intricatioresque nodos, quibus ſolvendis haud imparem ſeſe fore confidebat, quaereret atque optaret, Pindarus ipſi oblatus eſt, cujus ſublimem volatum & gravidas celſae mentis ſeminibus ſententias quo propius aſſequebatur, quod ipſi propter quandam ingenii ſimilitudinem minime fuit arduum, eo magis in admiratione ac deliciis habebat.

Quid porro de Hebraica CAMPEGII eruditione loquar? cujus intelligentiam prolixius in Eo laudare mihi non poſſe videor, quam ſi Patre uſum fuiſſe Doctore dixero: Is autem, ſeveriſſimus ſtudiorum exactor, quid non in Filium contulerit? quos uberrimae ſuae doctrinae fontes huic non recluſerit? hujus in ſinum non e limpidiſſima vena defuderit?

Ne vero in animum inducatis, ſic CAMPEGIUM noſtrum exiſtimaſſe, hoc ſtudiorum genus, tam diligenter collectum, mox ſeponi poſſe,

poſſe, & velut in angulum abdi, unde poſtea commodo tempore, ſi forte, ad uſus neceſſarios revocetur: minime gentium, A. O. cavendum eſt, ne tam perverſa cogitatio Vobis fraudi ſit: longe fuit ab eorum inſtituto remotus, qui haec ſcilicet juvenilis luſus rudimenta pertaeſi, velut gravem ſarcinam, & ad majora contendentibus offecturam, abjiciunt: nullum enim poſtmodum tempus intermiſit, quin ad iſta verae doctrinae fundamenta identidem reviſeret, in iiſque crescens maturiusque judicium continuo tum experiretur, tum percoleret: nam hoc tanquam optimum divitiarum patrimonium, niſi turpiſſime dilabi velis & intercidere, in foenore collocari debet atque exerceri.

Sic igitur, ut decebat, praemunito pectore, ad alias, ſine quibus conſummatae doctrinae rationes conſtare non poſſunt, disciplinas procliviore aditu delapſus eſt. Omnem Philoſophiae, qua patet, regionem peragravit, non peregrini more, poſt obiter inſpectas quasdam amoenitates, disceſſuri; ſed haud aliter, quam ſi domicilium in iſta disciplina conſtituere ſibi decreviſſet. Nec Matheſim, illam certiſſimarum veritatum titulis praefulgentem, illam reconditiſſimorum naturae ſinuum perscrutatricem, ut inſalutatam praeteriret, ab ingenii ſui felicitate impetrare potuit: quamobrem, quae promta utilitate maxime cenſetur, & a terra dimetienda nomen habet, partem dili-

gentiſſime percoluit, illiusque ſtudii rite navati ut olim fidiſſimum ducem, ſic nunc integerrimum teſtem habet, eximium hujus Lycei decus, Collegam Aeſtimatiſſimum W. G. MVIS.

Praecipue tamen illum rapuit, ſibique potentiſſimo devinxit lenocinio, quae, ſupra rerum adſpectabilium complexum evagata, Dei mentisque naturam inveſtigat, atque omnes boni malique limites deſcribit, Metaphyſica: haec Theologiae praemeditatio quaepiam ſalubris ac commentatio, dum docet, quantis undique tenebris obſepti premamur, mentem minoribus initiis luſtratam ad ſuscipienda rite divinae religionis auguſtiora ſacra componit. Scilicet maxime noſtrum invitabat profunda materiae dignitas, quae, ut ab humilibus ingeniis ne attingi quidem, nedum exhauriri poteſt, ſic excelſas mentes firmo graviſſimae meditationis nutrimento paſcit ac prolectat.

Cum ipſum jam profectuum non poeniteret, publico quoque teſtimonio ſedulitatem ſuam remunerari non noluit: hae itaque lucubrationes protulerunt inſigne boni coloris ſpecimen, Diſſertationem Philoſophicam, qua acutiſſimum in modum diſputavit, poſſintne ab aeternitate exiſtere cauſae efficientes infinito nexu aliae ex aliis aptae: hanc ſeculi hujus anno XI. XV Kal. Iul. Praeſide Celeberr. Coll. R. ANDALA dexterrime refutatis adverſariorum inſultibus ſic defendit, ut feſtivis omnium plauſibus

ex-

exciperetur, & Parentem ſolido mactaret gaudio: quantum autem, quod obiter interponere quid vetat? ex Romanis literis ceperit emolumenti, ſtyli in hoc etiam aſpero Philoſophicae quaeſtionis ſenticeto germanam Latinitatem ſpirantis nitor teſtatur.

Theologicis Inſtitutionibus hactenus abſtinuerat, niſi in quantum caſta ſanctiſſimae familiae diſciplina poſtulabat: quid enim recte ſubigi & pertractari, quid ſalubriter digeri, quid ordine concinno diſponi poteſt, ſi in ipſis ſtudiorum principiis doctrinarum confinia, quod nunc deterrimo more pervulgatum eſt, confuſa miſceantur: is nimirum in tenellis juvenibus eſt vigor, ea mentis firmitudo, ut, modo manus extenderint, haec ſimul cuncta corripere, & ſpatioſo ambitu complecti valeant. Alia fuit CAMPEGIO noſtro mens; longe aliud inſtitutum ſapientiſſimo Patri placuit: poſtquam enim earum, quas enumeravi, artium calore & luce vegetatus fuit ac percoctus, tum demum, hoc ſpectabili comitatu ſtipante, Theologiae majeſtati ſe commendavit.

Vtinam hujus exempli pondus & auctoritas in juvenum animos inſeri poſſet & alte defigi; minus certe multi divinarum rerum cognitionem, quam liberaliter haberi oportet atque omnibus ornamentis apparari, tenui lucello mancipa-rent: equidem, niſi hoc tam illuſtri documento vincantur, & a doloſo tramite revocentur,

non video, quod ad expugnandam eorum pertinaciam validius admoveri queat tormentum.

Quid autem hic memorem vigilatas CAMPEGIO, & ad lucem productas noctes? quid eo acriorem pervicaciſſimi ſtudii curam, quo in majus erat diviniusque ſtadium deductus? quos non Hiſtoriae omnis aevi, qua Sacrae, qua Profanae, angulos perreptavit & excuſſit? quid in nodoſiſſimis quaeſtionibus, quibus ſectarum divortia religionis purae doctrinam implicuerunt, non rimatus eſt, atque exploratum habuit? dies me deficiet, ſi per ſeriem ſingula dinumerare aggrediar.

Nec ſe privato pariete continuit mirificus hic ſtudiorum ardor: latius exſplendeſcere, & ad publicam notitiam pervenire laudabili fiducia geſtiebat: ne velitationes Academicas, ex quibus nunquam non ſecundae exiſtimationis fructum domum retulit, commemorem; perſcripta Diſputatione de uſu & notione Sp. S. in quibusdam S. S. locis, quam larga Divini fontis lympha pectus inundaſſet, manifeſtiſſime probavit: hujus defenſionem cum ſuſcepiſſet volventis ſeculi anno tertio & decimo Non. Octobr. ita ſuas ipſe vires exeruit, ut Vir Excellentiſſimus, HAVTECOVRTIVS Praeſes, nusquam ſeſe interponere, aut reſpondendi vicibusfungi neceſſe habuerit.

Illud intactum praeterire religioni duco, quod, cum ab Arabicarum literarum cultu Noſter minus

eſſet

eſſet paratus, intelligeretque, quantum in iis ad genuinam Sacri Codicis interpretationem ineſſet praeſidii, regreſſum capere ſeque retexere non dubitavit; commodum enim ipſi hanc occaſionem ſuppeditabat, tum tantum quod huc evocatus, Collega Clariſſimus A. SCHULTENS, Vir in iſto eruditionis genere plane ſingularis.

Jam emenſo fere Academici curſus ſpatio, carceres ſpectans, ad Doctoralem lauream prominebat; non quod hoc commendaticio decus Ejus indigeret titulo; quid enim hedera ſuſpenſa ad vinum ſua bonitate vendibile? ſed ut Patris, qui hoc praerogativo Profeſſoriae dignitatis omine Filium condecorari vehementer cupiebat, voluntati morem gereret. Iſtam igitur virtutis adoream ut adipiſceretur, ad legitimum examen praeſto fuit anno hujus ſeculi XVI. VII Kal. Apr. quod quidem ſic ſuſtinuit, ut, per omnes partes firmatus ac probe munitus nuſquam ſe deſereret, ejusque eruditio & explicata reſpondendi facilitas, tam juvenili aetate, prope a miraculo abeſſe videretur.

Hoc virium ſuarum periculo defunctus, quod reliquum erat anni Academici in Athenaeis Lugdunenſi & Trajectino conſumſit. Quam moleſte, cum illud iter eſſet ingreſſurus, a cariſſimae matris complexu divulſum eſſe creditis, quae, ſuaviſſimae oculorum conſuetudine hunc fructum deperire, aegerrime ferebat? Hic

Hic autem, & paterni nominis gloria ſubnixus, & ſuis maxime dotibus commendatiſſimus, praecipuorum hominum, quorum prolixam voluntatem cum ſingulari rarae eruditionis copia, tum politiſſimae conſuetudinis obſequio demeruerat, amicitias contraxit.

Tandem ubi feriae majores morandi cauſam praecidebant, ad domeſticum larem redux, non ſegni inertiae, non inutili otio, ſed locupletandis nova acceſſione doctrinae ſuae theſauris incubuit.

Lucrum ex hac ejus aſſidua diligentia fecit, Diſputatio ſane quam pereruditа, maſculae jam & corroboratae doctrinae ſucco referta, multisque luminibus inſignis, de facie & poſterioribus Dei, quae Patris etiam judicio, iſta duntaxat in cauſa Filio non indulgentis, planiſſime ſatisfecit.

Haec inauguralis, anno XV. hujus ſeculi, x Kal. Iunii., ad ſummos Theologi Doctoris honores illum provexit: cum autem in hac ſolenni celebritate Profeſſorii ordinis Viros nactus fuiſſet adverſarios, ſic ſe geſſit, ut omnes Illum eidem ordini pronae voluntatis ſuffragiis adſcriptum cuperent: nec Nobiliſſimi Viri Friſicae civitatis Optimates, quos Noſter praeſentes in admirationem rapuerat, diſſimularunt, eum eſſe CAMPEGIVM, qui Parentem, cujus humeris haec Academia nixa recumbebat, aetate laboribusque doctis feſſum, fulcire poſſet

at-

atque excipere: neque immerito; jam enim effecerat, ut Pater minimum ſibi ad conciliandum favorem eſſet momentum.

Brevi poſt ſecundae Procerum & velut ominatae exiſtimationi materiam ſubminiſtravit PHILOP. HAVTECOVRTII Viri Clariſſimi deceſſus: is cum ſua morte vacuam Profeſſionis Theologicae ſtationem feciſſet, non anxie ſibi quaerendum duxerunt Nobiliſſimi Academiae noſtrae Maecenates, quem illius in locum ſufficerent: in animis & oculis verſabatur CAMPEGIVS noſter, recenti palma redimitus, & annorum paucitatem florentiſſimis ingenii doctrinaeque virtutibus redimens. Huic ergo iſta provincia, Profeſſoris Extraordinarii titulo, quippe admodum juveni, deſtinatur: nec dubitatum fuit, quin brevi experimento facultates ejus ſpectatae plenum novi honoris cumulum impetrarent: ſed, adgubernante Deo, inexpectata quaedam atque inopina felicitas condictae dignationis titulos citius auxit & abſolvit.

Ejus fama, ſuperatis noſtrae regionis terminis, in Germaniam pervaſerat, & Principum Virorum ſtudia commoverat: nec mirandum eſt, qui ante annos Parentis animum virilesque curas gerebat, illius ſummam doctrinae opinionem per expedita paterni nominis, cui maximum primi diverſarum etiam partium Viri pretium ſtatuerunt, veſtigia proclivi curſu fuiſſe provectam. In hoc itaque rerum articulo Vir plu-

plurimum Rever. & Doctiſſ. Cramerus vita decedens ſucceſſori in Athenaeo Serveſtano locum fecit: quod damnum refecturus Sereniſſimus Princeps Anhaltinus Bernburgenſis, Victor Amedeus, cum prudentiſſimorum hominum exploraſſet conſilia, haud dubiis ſuffragiis in Noſtrum VITRINGAM inclinabant; & nemo unus, tanta eruditionem ejus gloria fuerat ſecuta, repertus eſt, quem ad occupandam hanc perhonorificam ſedem Noſtro anteferrent. Lautiſſimis igitur conditionibus, & octingentorum Carolinorum honorario, quod iis in locis, ubi vilior eſt annona, rem familiarem egregie tutatur, adjectum praecipui honoris invitamentum, perpetui Rectoris Magnifici munus, &, ne quid omitteretur, quod haeſitantem impellere poſſet ac permovere, ſtipendii numerum Sereniſſimus Princeps tam non arcte definivit, ut majoris acceſſionis certam ſpem faceret. Videtis A. O. nihil propius eſſe factum, quam ut hoc immortale lumen, etſi magno cum honore ſuo, & Parentibus, & hujus Athenaei commodis ſubduceretur: quis enim praemiis tam exquiſitis, ſollicitationibus tam accurate inſtructis reſiſteret aut ſeſe negaret? Verum interceſſit provida Summorum Academiae noſtrae Procerum cura, cavitque, ne Lyceum noſtrum, cujus prima incrementa laetiſſime foverat atque aluerat, ejus fructu ad exteros translato defraudaretur: quapropter

ter gratiſſimo Ordinariae in Theologia Profeſſionis vinculo retineri ſe fuit paſſus; cui non ſpernendum acceſſit momentum, annuum mille florenorum honorarium. O rem optabilem! O diem auſpicatiſſimum! qui Patri, quid autem majus in votis eſſe poterat? Filium in ejusdem muneris ac dignationis communionem adjunxiſti: qui matris animo, ut Filium a conſpectu complexuque abeuntem videret, abominantis, omnem metum ac ſollicitudinem deterſiſti; qui denique lectiſſimum pignus huic Academiae vindicaſti. Haec autem Ipſi ſparta fuit demandata x Kal. Apr. anno hujus ſeculi XVI. Inaugurationi conſtitutus demum dies III. Non. Decemb. cujus ſolennitatis ſocium habuit & participem Eruditiſſimum ac Conjunctiſſimum Collegam I. O. WESTENBERGIUM. Orationem dixit de Spiritu & Litera Religionis*, in qua copioſiſſimam ſubacti judicii doctrinaeque facultatem tanto verborum lumine, ea ſententiarum gravitate condivit, ut & ſe, & Auditorum expectationem, quam ſuſtinebat maximam, longe ſuperaret.

Poſtquam vero in poſſeſſionem ampliſſimi ſimul & laborioſiſſimi muneris venit, ſic omnes ſuae provinciae partes obiit, tam ſtrenuam & indefeſſam juvenibus formandis operam adhibuit, ut anteponi nemo, pauci cum eo comparari poſſint.

Nec metuo, ne mihi quis rei oratoria levita

tate in majus auctae dicam ſcribat; nota loquor, quorumque cognitio ad plurimos permanavit: vixit enim in Academiae luce, ſpectabili cinctus ſtudioſae juventutis corona, ſuique nominis laude, & diſcipulorum proventu, quibus apud rectos aeſtimatores tanti Doctoris inſtitutio efficaciſſimae commendationis erat loco, non hanc Friſiam finitimasve, ſed exteras etiam terras, implevit.

Qui docentis ab ore pendebant, ubertatem ingenii, judicii vim, dicendi ardorem, planiſſimam vetera novo more, plurima ſuae domi nata, perſpicue tradendi viam ſuſpiciebant, faterique cogebantur, nullo alio praeeunte aeque ſe in abſtruſiſſima divini ſacrarii penetralia perduci.

Nec domeſticâ tantum diſciplinâ fervor ejus & pronus ad juvandam eruditionem animus fuit circumſcriptus: eximiis etiam ingenii monumentis partum decus, cui deſidem indormire a ſua perſona longe longeque abeſſe arbitrabatur, mirum in modum amplificavit.

Teſtes ad Vos produco ſine controverſia probatiſſimos, & ad longinquam poſteritatem duraturos, binas de Lucta Iacobi cum Angelo Diſſertationes, de Serpente Veteratore tres, totidem de Feſto Tabernaculorum; quarum omnium argumenta ſane nobiliſſima ut ſummo cum judicio ſelegit, ita pari pondere, tamque cogitate pertractavit, ut nihil aliorum induſtriae

re-

reliquum feciſſe videatur. Ex ipſo certe materiae, quam quis ſibi ſubigendam ſumit & exornandam, delectu facile perſpicias, ſitne faſtiditarum centies obſervatiuncularum jejunus & moleſtus recoctor, an ſapidioris condimenti, novarumque deliciarum doctus inſtructor ac promus.

Idcirco gravius dolemus, elimatiſſimae, quam inſtituerat, de genuino D. Pauli Epiſtolae, quam vulgaris inſcriptio ad Epheſios eſſe miſſam praedicat, titulo commentationi ultimam manum non eſſe impoſitam: haec certe vel ſola demonſtrat, quanta fuerit in eo Critices facultas, ex quam remotis & alte demerſis venis latentem diu, & longi temporis errore oppreſſam fere, veritatem in lucem educere fuerit conatus.

Magnis ejus in rem literarum publicam meritis minime vulgaris titulus accedit, Epitome Theologiae naturalis, quam veluti tabellam votivam, grati animi obſidem, Cariſſimi Parentis nomini dedicatam ſuſpendit.

In hac autem conſummatiſſima, etiamſi domeſticos in uſus delineata tantum fuerit, tabula, quid prius miremur & ſuſpiciamus, quid poſterius? feriemne rerum ſuis numeris, certoque ordini illigatam, an dilucide expoſitos altiſſimae meditationis receſſus? nobilemne inveterati erroris extirpandi libertatem, an ſagaciſſimam judicii vim, quae nullis difficulta-

tum impedimentis retardari ſe patitur, quo minus ad veram reconditae naturae rationem pervadat? novae & nunc primum expoſitae ſupellectilis haud poenitendum inſtrumentum, an ſtyli res aequantis gravitatem? Haec profecto lumina ſuis ſingula locis in iſto libello ſic elucent, ut quid praecipuum emineat, oculosque trahat, ad dijudicandum difficile ſit.

Quod ſi quis, ad corticem obhaerens, virtutes iſtas minutis conciſionibus infuscari, ac nimis in receſſum demerſas latere dictitet, is hoc ſibi reſponſum ferat, hanc integri corporis in multiplices particulas diſcidendi neceſſitatem a privatae disciplinae lege fuiſſe impoſitam: nihil enim aliud iſta ratione ſpectavit Noſter, quam ut laſcivas juvenum, & facile divagantes, cogitationes certa limitum & frequenti deſignatione coërceret. Atque utinam ipſi licuiſſet ſublimem materiam ſuoque dignam ingenio perpolire, vividioribusque, quod conſtitutum habebat, depictam coloribus Eruditorum oculis concredere; haberemus certe ſplendidum aliquod nobiliſſimae ſcientiae aedificium, non opera mercenaria, obſolescentibusque aliorum commentis mancipata conſtructum, ſed egregio liberae mentis, ſuisque opibus confiſae, artificio deformatum, ſed in depreſſis ad ſolidum fundamentis collocatum, ſed emendata venuſtaque ſpecie, & commodo membrorum aſpectu inſigne.

Ve-

Verum tempus erat, ut, qui in publicas utilitates adjuvandas tanto opere incubuiſſet, ad ſe tandem familiaeque fundationem reſpiceret: muneris itaque ſui curas & labores quo, ſuaviſſima matrimonii jucunditate, leniret Noſter CAMPEGIVS, atque interpellaret, ad nuptias animum adjecit. Viro autem tum in hac ampla dignitate collocato, tum grata juventute florenti, ſuisque ſe virtutibus commendanti, optata conditio deeſſe non poterat.

Reſpondit ejus votis, in caſtiſſimumque conjugii foedus conſenſit Virgo Lectiſſima, praeclarum feminei ſexus ornamentum, ANNA SOPHIA SIXTI, quae & natalium utriusque generis honore, & ſpecioſiſſima forma, & liberali morum cultu ſumme dotata, felix dulci animorum conſenſione matrimonium ſex admodum ſupra tres annos menſibus tenuit.

Orta fuit Patre Viro Spectatiſſimo GELLIO SIXTI I. V. D. & recenſendis Friſiae copiis militaribus quondam Praefecto: matrem habuit cognominem ANNAM SOPHIAM MATTHAEI, filiam Clariſſimi ac Celeberrimi PHILIPPI MATTHAEI, Honorarii Medicinae & Botanices in hac Academia Profeſſoris, & Friſicae civitatis Archiatri; quae paucos poſt dies, quam cariſſimo partui imperciverat, luce caruit.

Conciliatum mutui amoris lenocinio matrimonium fidiſſima voluntatum concordia fortunavit: ſtirps quoque, ſed brevi gaudio paren-

 tes

tes exhilaratura, fuit ſecuta: primam WILHELMINAM ELISABETHAM paucis, poſtquam nata fuit, menſibus hora fatalis extinxit A. XX Kal. Iun. Alter filiolus hoc eodem anno VI Kal. Ian. ſacram nominis imponendi ſolennitatem morte ſua praevertit. Nunc pignoribus ſuis orbata, viduitatem priſtinis, ac temporis interventu pene deletis, damnis ſuperadditam affli&tiſſimo moerore triſtis matrona deplorat.

Inito autem, ut eo redeamus, conjugio, de intenta laboris Academici cura nihil Noſter remiſit: quin potius, hoc tanquam vitae condimento recreatus, ſemper ſeſe extollens, virtutemque ſuam exaggerans, tum perficiendis, quae affecta magnopere deſiderabamus, tum ad limam revocandis, quae in medium proferre decreverat, novis repertis perpetuus inſudavit. Quis operae tam eleganter poſitae, quis coeptis tam felicibus, & ad publica literarum commoda redundaturis invideat aut intercedat? Nec ab hoc recto tramite Noſter, quippe litium, quae ferinis & vero dudum proverbio notatis odiis exercitae veritatem plerumque elidunt, infeſtus hoſtis, unquam deflexiſſet, niſi pulcherrimum curſum Clariſſimi Weſſelii, in Academia Lugduno Batava Theologiae Profeſſoris, transverſus & inopinatus in Honoratiſſimum Patrem CAMPEGIVM, vix elatum, impetus intercepiſſet ac ſufflaminaſſet. Sci-

Scilicet viginti eoque amplius abhinc annis, Vir Summus de peccati natura vulgatam opinionem, & jam diuturnae poſſeſſionis praeſcriptione ſuperbius incedentem, ſolita ſibi modeſtia, non tam retundere ac refellere, quam quibus impediretur inexplicabilibus difficultatum nodis, quibus Scholaſticis horreret ſpinis, oſtendere ſuſceperat: nec defuit huic curae, liberum hominem, & nulla ex parte obnoxium, profeſſae laus bonorum & gratulatio, quam ſane merebatur ampliſſimam. Poſt tantum temporis ſpatium interpoſitum, calente adhuc Campegii Patris urna, Clariſſimus Weſſelius vindicias ſecundum vulgarem ſententiam poſtulat, Virumque ſumme Reverendum, plurimisque & animi dotibus, & in Eccleſiam meritis inſignem, parum reverenter habuiſſe viſus eſt.

Quid ageret in hoc rei momento Noſter CAMPEGIVS? manus in ſinu otioſus & inermis ſpectator contineret? Iuſtum ſibique debitum paternae cauſae patrocinium deſugeret? Filium denique exueret? Hoc enimvero a proditoris facinore parum abeſſe exiſtimabat. Reſpondit igitur, & ſic prima Diſputatione reſpondit, ut Filii paternam cauſam acerrime agentis pietatem irritatam, & aculeis armatam exarſiſſe facile animadvertas: in ſecunda, ac tertia, cum fervor ab injuria, ſic arbitrabatur, conceptus reſediſſet, & ad animi ſui ſtatum rediiſſet, jam mitior & mollior pedem cum ad-

verſario confert, tantaque ſuae cauſae fiducia inſurgit, ut de victoria ſecurum agnoſcas. Quartam denique, ut omnes commoti temere praelii reliquias perſequeretur ac deleret, Diſputationem immittere decreverat: quae etſi in aciem non fuerit producta, nihil tamen cupide, nihil obnoxie dicere videbor, ſi plurimorum judicio minime fuiſſe dubitatum affirmavero, quin, hoc bello fortuiſſime profligato, inſignem triumphum CAMPEGIVS Noſter deportaverit.

Cum autem in hac quaeſtione creberrimum Manichaeorum crimen reſonaret, atque interponeretur, deductus fuerat Noſter ad perveſtigandam ab ipſis initiis, nondum ſatis intellectam & expeditam, Manichaeae haereſeos rationem, congrediendique morem atque ordinem, quem veteris Eccleſiae Patres tenuerant, mirifico acumine definiverat. Eximiae quidem hujus induſtriae per ſanequam luculentum in his etiam Diſputationibus extat ſpecimen: verumtamen res CAMPEGIO non indigna fuit viſa, quam penitus introſpectam ſingulari ſcripto pertractaret, omnique Virorum Eruditiſſimorum dubitatione atque errore liberaret. Sed haec, & majora alia molientem, proh dolor! vis fatalis oppreſſit.

Iam dudum hunc locum, cum in jucundiore rerum varietate verſabatur, oratio mea reformidabat: nec tamen recepto mori non eſt optem-

temperandum, ut, quo morbi genere cariſſimi capitis vita fuerit extincta, vel verius repentino incurſu dejecta, Vobis, A. O. enarrem: cujus ego quidem acerbiſſimi caſus mentionem ut, ſine maximo meo dolore, movere non poſſum & redintegrare, ſic Vos conſternatis, & letali ictu perculſis, animis accepturos eſſe non dubito.

Pridie ejus diei, quo morbi vis ſe detexit, percommode valuit, tantumque a ſuſpicione imminentis periculi abfuit, ut domeſticis exercitiis, exponebat autem de Decretorum Divinorum Aeternitate, vegetiore etiam, atque excitatiore, quam ſolitus erat, & animo & voce operam daret: facies in hunc diem laeta, nullasque doloſi mali, feralemque plagam impie meditantis, notas praeferens.

Sed ecce v. Id. Ian. tempore matutino fluxio, quae jam ante ſaepius ipſum male affecerat, in fauces deſtillavit; levis tamen, ut videbatur, nulliusque periculi gravioris praenuncia: poſt meridiem cum in pulmones etiam malum invaſiſſet, valetudo ſic in deterius eſt lapſa, ut veſpera venam incidere opus fuerit, quod remedium noctu poſteroque die fuit aliquoties repetitum. Sanguis autem detractus e veſtigio in maſſam ſolidam, omni ſero & humore deſtitutam, cogebatur atque exareſcebat, quod male fauſtum ſignum medentes abominantur. Fomentis tamen ad fauces admotis aeſtus dolo-

ris haud parum eſt mitigatus; nonnihilque purgationibus & clyſtere alvus ducta laxamenti dedit. Contumax interea pulmonum oppreſſio non remittere, ſed novo identidem impetu crudeſcere, ſumma cum reſpirandi anguſtia & difficultate; exinde Catarrho, ſuffocativum Medici vocant, ſaevius incumbente, ſpiritus tantum non interclufus & eliſus haeſit. Interna medicamenta, quod moleſtiſſimus iis ne vix quidem per ſtrangulatas fauces pateret meatus, averſabatur: paucula tamen medicatae potiunculae cochlearia, non ſine lucta & cruciatu exhauſta, paulisper anxietatem levarunt, fallacemque felicis exitus ſpem fecerunt. Sed hora fere tertia nocturna febris acceſſit graviſſima, quae nunquam ſe remittens, denuo vim morbi, ducendique ſpiritus difficultatem vehementer exaſperavit: donec III Id. Ian. circa meridiem ingraveſcenti malo ſuccumberet, tandemque ad horam veſpertinam hunc ſupremum, mortalibus defunctus curis, diem obiret.

Tumulo condidimus A. O. corporis, a prima jam origine ad hanc pereundi ſortem praedamnati, mortales & evanidas exuvias: animus ſepulchri victor in longe nobiliorem coeleſtium familiam eſt adoptatus, atque ab hoc terrenae ſervitutis nexu, quo nos miſelli, qui CAMPEGIVM hinc evolantem lacrimis & luctu proſequimur, hactenus irretiti tenemur, in

aeter-

aeternam adſertus libertatem. Funeri ſuperſtes virtutum ejus, quae numero illum exemerunt, memoria non tantum apud Nos, qui, qua vivum admiratione coluimus, eadem defunctum veneramur, ſancta conſtabit, atque illibata, verum etiam fama, quae Noſtrum inter egregia hujus aetatis exempla numerabit, ad ſeros usque nepotes propagabitur. Quandoquidem autem ab oculis conſpectuque noſtro ſublatus eſt in perpetuum CAMPEGIUS, ut aliquam ſaltem nobiliſſimi exemplaris effigiem, quantumvis rudi descriptam penicillo, Vobis exhibeam, non alienum erit, & corporis & mentis, quae celſior, & coelo delibata, in caducum iſtud domicilium immigraverat, haec tenui Minerva lineamenta duxiſſe atque adumbraſſe.

Statura CAMPEGIO fuit erecta, & decore ſupra mediocrem eminens: os probum, quod rubore non raro verecundiam teſtaretur: firmum tamen idem, ubi res poſtulabat, & interritum: vultus verus, cogitatorumque non fucatus index; ſic tamen, ut non quemvis peregrinum ad hujus indicii conscientiam admitteret; multus in oculis animi praeſtantiam promittens vigor inerat; vox ſonora & penetrabilis, quae mentis ſenſus dilucide expreſſos in Auditorum animos invehebat: cervix, quod in proceris corporibus haud inſolens, leniter inclinata, quam naturalem inflexionem conten-

 tum

tum lucubrandi librisque imminendi ſtudium augebat: tota denique corporis facies elimata, liberrimi motus, & firmae robuſtaeque ſanitatis inſignibus honeſta.

Ingenium in eo fuit felix, perſpicax, acutum, cui ipſa recte ſapiendi vim natura inſeverat: pervicaciſſimae in quaerendo conſtantiae, quod, quo graviores obnitebantur difficultates, eo fortius omnes nervos intendebat: abditos & alte haerentes nodos, quos plerique aut non deprehendunt, aut ſpecioſo pigmento circumlitos & incruſtatos magno cum veritatis detrimento occultant, facile indagabat & expediebat, praeciſisque ſupervacuis ad ipſum rerum nucleum penetrabat.

Magna judicii vis, tantoque certior, quo lentius procedens anquirentis ingenii munus praecipiti gradu non praevertebat.

Animus excelſus, ſordidae vilitatis contemtor: in omni rerum genere ingenuae & profeſſae libertatis ut capax, ſic amantiſſimus; qui ſe nullis, niſi recti & honeſti, vinculis adſtringi pateretur: injuriae nunquam auctor, temere illatae repulſor, non, quod ea mentem elatam, & ſe generoſo contemtu ſatis defendentem ureret, ſed quod utili exemplo improbi & deterioris animi homines eſſe deterrendos exiſtimaret.

Memoria depoſitum ſervare, & in loco reddere promta: quae tamen, ut labilis eſt & in-

cer-

certa, ne falleret, quicquid in futuros uſus ſeponendum videbatur, fidelioribus literis committebat.

Qua cum fuerit CAMPEGIUS ingenii animique indole, haud ſanequam mirandum eſt, ſi in nullius magiſtri verba juratus ſoli veritati ſacramentum diceret: haec ubicumque ſignum ſuſtuliſſet, eo mentem nullo nexu obligatam, oculosque convertebat: hujus auſpiciis vel Parentis ſententiam, quae gravi plerumque praejudicio liberos devincire ſolet, lubens laetusque donabat. In ſtudiis urgendis aſſiduus erat & indefeſſus; ſic tamen, ut honeſto otio, ſalubribus exercitiis, gratoque amicorum conſortio ea diſpungi, atque interſtingui non invitus pateretur: vigor enim animi, qui nimium productis & catenatis lucubrationibus torpet atque hebeſcit, hoc veluti contentionis laxamento refectus, ad novos labores alacrior inſurgit. Quamcumque doctrinae partem ſibi examinandam ſumſiſſet, ad vivum perſecabat, omnibusque, ut ſic dicam, fibris contrectatis, nihil inexploratum, nihil negligentius inſpectum relinquebat. Famam hominum nunquam pluris, quam juſti conſcientiam fecit: ſubdolam tecti ſimulatoris perſonam procul a ſe removit. Ventoſos ſtrepitus, & imminentem lucro jactationem generoſum pectus abhorrebat; cujus rei illuſtre documentum quin obiter interponam, teneri non poſſum: cum Viri

Op-

Optimates magnis pollicitationibus in aliam eum Academiam pellicere tentarent, non tantum egregiam conditionem aſpernatus eſt, nec ſuis in hoc Lyceo commodis augendis adhibuit; verum etiam amicos, donec ad eos aliunde rei geſtae notitia permanaret, celavit. Alios benigne aeſtimabat: quis enim alterius, qui ſuae confidit, virtuti invideat? Sui ſeveriſſimus exactor, &, quo magis aetas mateſcebat, ſedulus emendator. Si quid putidum aut inſulſum, cujus acerrimus erat judex, ad aures accideret, moderato riſu, ſed inepti vindice, ulciſcebatur. Cum ipſum minime praeteriret, quae faciles amicitiarum conjunctiones incommoda ſequerentur, in amicorum, quos naturae quadam affinitate congruentes volebat, delectu, ſollicito ac lento ſtudio fuit verſatus: alias facilis, exporrecta fronte, comis, & facetos bene conditi leporis ſales, ubi animum relaxare, & dare ſe jucunditati ſtatuiſſet, minime dedignatus.

Talis Tu, tantusque, beate CAMPEGI VITRINGA, hinc abiiſti, Tuique triſte nobis deſiderium reliquiſti. Quod in me eſt, hanc Tibi levem amicitiae ſumma cum cura cultae uſuram repraeſento: Hoc Tibi meae in Te pietatis & obſervantiae monumentum conſecro, dedicoque.

T I.

TI. HEMSTERHVSII
O R A T I O
IN OBITVM
GEORGII ARNALDI.

[*Dicta Franequerae*, CIƆIƆCCXL. *paulo ante, quam Orator Leidam abiret.*]

Eum rebus humanis modum, eam legem conſtituit maximus univerſi Rex, ut continuo motu incitata cuncta volvantur, perpetuaeque caſuum inopinatorum varietati obnoxia mentes mortalium improvidas dedoceant fragilibus & fluxis inniti ac confidere.

Aeſtus eſt vita, quam miſeri vivimus, inquieta fluctuatione adſidue reciprocatus: aetatem trudit aetas, & in altam caliginem proxima demergit: hujus diei, quem oculis florentes & integri haurimus, curſus ſequentem nobis non ſpondet. Quid diem inquam? horae momentum nos hinc ſemotos aeternitati tradit. Nullum eſt annorum diſcrimen; nulla vegeti roboris firmaeque valetudinis praerogativa. Gerimus infixum medullis intimis noſtrae mortalitatis aculeum, qui ſimul atque ſe ſubvexit, actum eſt; jacemus: is quidem alios ictu ſubito

to confectos proſternit; lenta tabe alios, ac quaſi veneno pedetentim ſerpente, exhauſtos atque adtritos deponit: ſed vis vulneris decretoria ſemper eadem, finis idem. Ecquod punctum aetatis humanae notari poteſt, quod crebro mortis periculo, quod funeribus cumulatis vacet? O pravas eorum hominum mentes, qui inconſultam naturae temeritatem, qui neceſſitatem fati caecam, bonos malosque exitu ſimili confundentis, rebus humanis imponunt, vitamque deſperationis implent.

Sed ſupra caliginem & nebulas orbi terrae circumfuſas emergunt imbuta Numinis aeterni reverentia pectora, & in hoc ipſo rerum tam inaeſtimabili tumultu profundas immortalis ſapientiae vias adorabundi admirantur. Ducimur profecto ad veram conditionis noſtrae contemplationem, & rationis legitime cultae, & donatae divinitus lucis auſpiciis. Palaeſtra eſt ſtadiumque nobis adtributum haec vita, cujus curriculi, nec ſponte noſtra ſuſcepti, nec relinquendi, fines ignoti quot quantosque habent, ſi rem recta via reputes, virtutum ſtimulos, quot morum documenta?

In hoc ipſo termino finiendi curſus incerto certiſſimam inſcripſit ſummus Arbiter legis formulam, ex qua vitae ad omnem honeſtatem componendae petendum ſit ab hominibus incitamentum. Hanc normam qui ſedulus ac prudens adhibuerit, qui manu quotidiana per-

tracta-

tractaverit, ſtatim, ubi magnus Imperator hinc receptui canet, ſigna promtus paratusque ſequetur.

Nihil eſt itaque, quod de brevitate vitae conqueratur, qui quodcumque datum fuerit, ſubductis bene rationibus, tranquille placideque tranſigit; qui dies ſingulos in lucro ponit, eumque in modum impendit, ut & aeternitati vitaeque poſt hac oriturae ſerviat, & commemorationem ſui nominis honeſtam cum omni poſteritate adaequet.

Horum in numerum jure meritoque referendus eſt, cujus terreſtres exuvias, tenacis morbi diutinis inſultibus dejectas, atrati lugentesque modo in tumulum intulimus, GEORGIVS ARNALDVS.

Si ſpatium temporis, quo juncta corpori mens has regiones incoluit, exigas, vix medium humanae vitae clivum adtigerat: ſi ingenii cultum, ſi doctrinae copiam, ſi contentionem ardoremque diſcendi, ſi teſtes lucubratarum noctium libros conſideres, jam munia provectae aetatis videbitur intra terminos anguſtos expleviſſe, eoque perveniſſe juvenis, quo vix iisdem ſtudiis innutriti ſenes enituntur.

Magna viri merita ne funebri laudatione carerent, cavit Ampliſſimi Senatus auctoritas: me Patris moeſtiſſimi deſiderium permovit, ut provinciae tam difficili humeros impares ſupponerem: &, quanquam aegerrime patiar hoc oblatum

tum mihi maxime tempus, quo publice ſtudium meum animique propenſam erga defunctum ARNALDVM voluntatem demonſtrem, officio tamen quantumvis triſti defungi malui, quam ut meae vocis fides, pietatis meae teſtimonium, in juſtis Praeſtantiſſimi juvenis ſolemnibus deſideraretur.

Quid enim? ego hoc funeſto laudationis honore non eum ornarem, qui diſciplinam meam, mea conſilia, profectibus egregiis, ſtudiorum alacritate, conſtantia gratae mentis ornavit? Sic igitur mecum ſtatui, hanc mihi luctuoſiſſimam quidem, ſed debitam tamen gratiam piis defuncti manibus eſſe rependendam.

Diſerti oratoris, quique ſuſceptae materiae numeros omnes impleat, laudem minime confector: adjiciet tamen aliquod, ut ſpero, dictis pondus ingenium ARNALDI a teneris annis inſpectum mihi probatumque, indoles cognita & oculo paene quotidiano contrectata, ſtudiorum curſus, vel conſiliis meis, vel hortatu, ac plauſibus adauctus.

Interea funeſti muneris triſtitiam ſolabitur aliquantulum ac temperabit tot horarum recordatio, quas jucundiſſima mutui ſermonis familiaritate conſumſimus. Vos AA. ſi me hunc praeclarae virtutis, & in exemplum iturae, campum ingredientem benignis auribus proſequamini, fructum veſtrae pietatis feretis, & hoc moeroris amorisque veſtri argumento rite

rite demum juſta ARNALDI manibus perſolviſſe videbimini.

Editus eſt in lucem ad D. XVI. Kal. Oct. CIƆIƆCCXI. Naſcentem prima vidit Franequera, & decoribus ſuis hunc civem praecipuis adnumerat. Opportuniſſime natum dixeris ea in urbe, ubi Muſarum, quibus egregium ab eo ornamentum erat acceſſurum, ſedes fundata. Claris honeſtiſſimique loci majoribus oriundus avos habuit Antonium Arnaldum, qui cauſarum patronum egit in Regia Podii Laurentii curia, quae Toloſani Senatus jurisdictioni ſubeſt: maternum, Philippum Couppeum, quem Evangelii myſteria pandentem ſuſpexit Eccleſia Sancti Hilarii in ditione Pictavienſi. Pater, quem praeſentem videtis AA. in graviſſima acerbi moeroris cauſa moderatum, & Chriſtianae virtutis ac conſtantiae memorem, Honoratus Arnaldus, in Gallicana Eccleſia, quae Franequerae celebratur, verbi divini Miniſter fideliſſimus. Mater, lectiſſima matrona, Eliſabetha Couppea, eximiis naturae morumque dotibus inſtincta, quae nunc inflictam ſibi filii natu majoris morte plagam, unius nati, qui longe in oras Indicas peregrinatum abiit, filiarumque quatuor ſuperſtitum fructu ſolatur. Poteramus altiorem gentis originem repetere, longamque progenitorum ſeriem recenſere, niſi Patris, a vano titulorum ſtemmatisque ſplendore abhorrentis, modeſtia me refraenaret:

 ne-

neque deſiderat adscitos peregre colores ARNALDVS noſter, qui, propiis virtutibus exſplendescens, ipſe ſibi clari generis auctor eſſe potuiſſet: ad ejus igitur imaginem expreſſis, quantum potero lineamentis depingendam me confero.

Iam in puero natura felix emicuit, & fauſto augurio ſpem futurae maturitatis fecit; nam & vivida vis ingenii, quicquid ageret ſive ludicrum ſive ſerium, perlucebat, & adtentus ſimul animus, audiendique cogitandique non impatiens: quae dotes rara ſocietate, praeſertim in parvulis conjunctae, ſi conspirent, & praecocibus indiciis ſeſe prodant, viros inſignes & vulgaris turbae numero olim eximendos promittunt. Nondum quatuor annis exactis, & legere expedite, & literas tenera manu ſingere didicerat; cui laudi in ea aetatula non ſpernendae acceſſit uſus Gallicae Belgicaeque linguae pari loquendi facilitate promptiſſimus, & in animi ſenſibus explicandis celer ac copioſus. Fateor haec puerilia videri poſſe, &, quo pluribus ſunt communia, eo minus habere ſingularis excellentiae: verum ſi quis iſta promentis ſe naturae ſemina conſideratius inspectet, deprehendere ſane licebit, proprias quasdam cuique & velut inuſtas nota veritatis lineas, unde curſus ſtudiorum & incrementum in adultioribus vel tardior futurus vel velocior aeſtimari poſſit.

Quantum vero in ARNALDO habuerint momen-

menti, ſtatim patuit, quum Latinae Linguae addiſcendae operam inciperet dare: cogitate quaeſo, quantum temporis vulgo in hiſce initiis percipiendis abſumi ſoleat, ſive ingenii vitio minus aperti ad haurienda praecepta, ſive magiſtrorum etiam inſcitia. ARNALDO annus ſuffecit, ut Phaedrum, Latinitatis illum terſiſſimum fabulatorem, vernaculo ſermone redderet: redderet, inquam? imo vero ſenſus ejus reconditos & doctrinae moralis praecepta probe intelligeret, & vitae olim profutura fideli memoria retineret.

Obtigit ſane feliciſſima puero ſors maximeque optabilis, ut Patre uteretur praemonſtratore, eodemque hortatore bene agendi, adſiduo: cujus ille praeſidii laetisſimam recordationem ita ſaepe animo repetebat, ita libenter praedicabat, ut Parenti beneficium pueritiae ſuae impertitum, ſi modo ullum unquam rependi posſit, retuliſſe videatur. Verum quid proderit, quem ſucceſſum ſperabit paterna cura ſtudiumque vel contentiſſimum, ſi indoles obtuſa & ad deſidiam prona ſalubrem monitorum inſtillationem non combibat, atque, ut ſic dicam, ſtimulanti recalcitret.

Videtis ergo AA. in hac celeritate tradita comprehendendi mirifica ſpecimen certiſſimum, quod maturitatem non ſolum praecocem, ſed & ſolidam polliceretur; videbitis porro tam fauſtis avibus inaugurata ſtudia prosperrimi praeſagii ordinem nunquam interrupiſſe.

Septennis admodum arripere coepit Graeca, laboremque novum ingreſſus eſt eo animo, ea diligentiae continuatae ſedulitate, ut facile liqueret, nihil eum ſibi reliqui facturum, quo minus intra breve paucorum annorum ſpatium praeclaros in linguae perfectiſſimae cognitione Viros aequaret, plerosque longo intervallo ſuperaret.

Hic autem ſingularem ejus induſtriam & recte judicandi vel in puero facultatem ſilentio praeterire neque poſſum, nec debeo: nam ſponte ſua, velut Genio ducente, illam animo complexus eſt cogitationem, nihil utilius ſibi fore, nihil ad rationes ſuas magis adcommodatum, quam ſi proximos argumenti ſimilitudine Scriptores Graecos Latinosque legendo conſociaret, atque inter ſeſe compararet. Itaque Virgilium & Homerum principes omnis memoriae poëtas alternis evolvere conſtituit, non defunctoria velocitate, nec praepropero niſu iter inceptum emenſus, ſed, quicquid obſervatu dignum occurreret infantemque animum feriret, ſedulo notans, atque in chartam velut penum literariam referens: ex qua quidem inſtitutae lectionis ratione quantum firmioris nutrimenti ad eum redundare debuerit, nemo eſt literarum tam imperitus, quin extemplo perſentiſcat. Idem inſtitutum, iter idem in Thucydide & Saluſtio, in aliis itidem placuit. Haec licet pro captu aetatis, & poſtmodum ſtudio maturie-

riore repetenda agebantur, interea tamen tenellum animum veris recte ſapiendi adjumentis praeformabant. Quin eo ſe ſuſtulit animi majora ſemper adpetentis in puero fiducia, ut Pindarum & Horatium inter ſe committeret, parvisque manibus verſaret. Dixerit aliquis forte tantam confidentiam temeritatis citius accuſandam, quam laude & commemoratione dignam: ego quidem, quod horum ſit pace dictum, ſecus exiſtimo: ille enim impetus animi, ardor ille mentis, quae annis ſuperior eminebat, jam tum in aetate tenera ſignificabat, tanquam in herbis, quae maturatae virtutis praeſtantia, quam laetae fruges robuſtioris induſtriae eſſent futurae.

Interea vero, dum poëtis intentus legendis, iisque optimis, quorum voluptate modulata & ad numeros cadente nemo eſt tam elegantiae inimicus, tam ruſticis indoctisque auribus, tam denique ferus, quin capiatur, blandiſſimisque ſonis adſtupeſcat, operam dabat adſiduam, emicuit ſubito poëticae facultatis vena: neque id adeo mirandum in ingenio veloci & ad concipiendas quarumcumque rerum imagines aptiſſimo, quas ſedes multo potius, quam fabuloſa Parnaſſi vireta, Muſae concelebrant, hanc divinae particulam aurae ſeſe commendaſſe: ſuperſunt ejus Latino Graecoque ſermone carmina, tam nitide tantaque numerorum ſua-

via capeſſenda eſt, indeque exemplum ſibi, quod imitentur, petant, nunquam erit, ut eos vel operae collocatae, vel moniti noſtri poeniteat.

Hic equidem ſubterfugere non poſſum, quin meam perſonam interponam: ſtatim enim atque Academicae palaeſtrae ſe dediderat ARNALDVS; ut Graecarum erat literarum mirifico quodam ſtudio inflammatus, me inter primos adiit, meaeque disciplinae curam deſideravit: ego, poſtquam pueri verius quam juvenis conatus pertentaſſem, indolem ejus ſupra vulgus eminentem mirari, cupiditatem diſcendi indefeſſam ſtupere, ſponte ſua ad currendum proclivi calcar addere: quam ob rem a primis jam initiis eum in modum memini me ſaepe cum amicis eſſe locutum, rariſſimas ejus dotes ita praedicaſſe, ut non dubitare me adfirmarem, quin maximi fructus olim ex tali ingenio ad rem literatam eſſent redundaturi.

Neque ſpem illam in partem fefellit: Tanto enim ardore in latiſſimos eruditionis Graecae fundos e veſtigio ſeſe dedit, ut impetus ejus a contentiſſimo curſu refraenandi potius quam incitandi fuerint: hoc ſcilicet habent magna indole praediti adoleſcentes, dum, lentioris morae nondum capaces, cuncta ſimul corripere ſtudent, & ad gloriam, contemto cadendi periculo, graſſari malunt, quam fixis per tuta veſti-

ſtigiis incedere; & vere cenſuit, qui plura iſti aetati, quae primis ingenii ſeſe explicantis germinibus efflorescit, amputanda eſſe judicabat, quam inferenda. Noſter autem admonitus, qua erat inſigni mentis perſpicacia, repreſſit juſto feſtinatiorem illum curſum, & certius ab adtenta cura & exercitata meditatione, quae percepta concoquat, & in ſuccum & ſanguinem redigat, auxilium eſſe petendum facile ſenſit. Itaque jam lenior & moderatior, Latinas cum Graecis literis, quarum connubium divelli non poteſt, conjunxit.

Nihil opportunius accidebat, quam quod doctorem nancisceretur Academiae tunc noſtrae, nunc Trajectenſis, inſigne decus Petrum Weſſelingium, cujus ab ore tam ſedulo diligenterque pependit, ut omnem Hiſtoriae veteris regionem peragraret, Romanaeque tum linguae tum Reipublicae antiquitates omnes pernoſceret.

Eſt quidem in humaniore doctrina ſeges rerum tam ampla, tanta varietatis copia, ut, quantumvis longaevam aetatem occupare poſſit atque exhaurire: neque tamen, etiamſi ſuus illum huc adplicaret genius, deterreri ſe paſſus eſt, quin ſcientiae Naturalis & Matheſeos elementorum cognitionem prioribus palmis adnecteret; nimirum ex his fontibus tantum ſibi ſumere decreverat, quantum ad ingenium formandum, excolendasque ſpecioſius delicias ſuas ſatis vide-

re-

retur: quod ejus conſilium, ut vehementer laudo comproboque, ſic cunctis literarum ſtudioſis ob oculos verſari velim: proficit enim ſaepe, ubi vis rationum a pravis & inveteratis opinionibus repulſa collabascit, exempli vel dignitas vel pudor.

Interea nihil a ſtudio rerum Graecarum remittebat: jam judex acrior ſecernendique boni intelligentior in vetuſtis Scriptoribus noctes diesque habitabat: qua legendi meditandique adſiduitate, nullis avocamentis interrupta, fieri non potuit, quin exaggeratos rerum optimarum acervos ſibi colligeret. Sunt autem in hoc ſtudiorum genere bona vel praecipua, primum ut ſenſus veterum reconditi, qui priores adhuc fefellerunt, evolvantur, & in clara luce poſiti niteant; alterum, ſi quid poſt Doctiſſimorum hominum operas male tinniens, aevi vetuſtate deformatum, atque adeo corruptum ſuperſit, commodis emendandi viis reſtituatur, priſtinumque ſplendorem recuperet.

Vtrumque Noſter, Auditores, tanto cum acumine obibat, ut fidem paene res ſuperaret. Quare non dubitavi verecundantem inſtigare atque impellere, ut famae ſe committeret, &, quos merebatur, exiſtimationis publicae fructus reportaret. Hinc ortum Specimen ejus primum, neque tamen eo minus egregium, *Animadverſiones Criticae*, quae ſeculi labentis an-

anno XXVIII. lucem viderunt. Quod autem Scriptorum genus fuiſſe ſuſpicamini, in quibus famae rudimenta depoſuit? haud ſane minutos aliquos & plebejos, ſed primi ordinis tum poëtas, Anacreontem, Aeschylum, & Callimachum; tum hiſtoricos, Herodotum, Xenophontem, quibus Grammaticus acceſſit Hephaeſtion, cujus de metrorum legibus opus, propter difficultatem materiae quam ſubtiliter tractatae, plerisque neglectum, in multis corruptum, ingenioſiſſimis obſervationibus expolivit. Harum primitiarum libamenta ſibi ferri, nominique ſuo inſcribi non dedignatus eſt Sereniſſimus Arauſionenſis Princeps, atque adeo illuſtri favore & decus & animos majores Adoleſcenti addidit.

Tulit autem, ne de publicis iisque luculentiſſimis, quibus opus iuvenile fuit ornatum, praeconiis dicam, calculos viri Clariſſimi, multisque de Republica literaria meritis Nobilitati, Petri Burmanni, teſtis hac in cauſa eo gravioris, quo minus eſt in laudes profundendas pronus, qui, lecto libro, ingenium ejus & doctrinam ſe fuiſſe miratum, literis ad eum datis ſcribere non dubitavit.

Annos vix duos interquievit, quin denuo prodereт in lucem binos *Lectionum Graecarum* libros, in quibus jam animadvertere licet robuſtiorem ingenii magisque confirmatam vim. Ibi

Ibi in Heſychio primum, quem tu vere dicas ingeniorum cotem non minus, quam ſcopulum, operam per ſanequam luculentam & eruditam navavit, multisque locis & lucem & integritatem princeps intulit: deinde non deteriore ſagacitate in aliis eſt verſatus. Verum ut ingenio patefaciendo volumen ipſum inſervit, ſic indoli laudatiſſimaeque modeſtiae Praefatio; Errores nonnullos, ut in maximis etiam viris humanae naturae fert imbecillitas, priore libro commiſerat; fuere, qui non ſine magnis ejus laudibus qua in re peccaſſet declararent: Hic tu credis ARNALDVM, conſueto Philologorum more, quippe valde juvenem, exarſiſſe, ſumtis armis in arenam deſcendiſſe, manibus pedibusque contendiſſe, ne erraſſe videretur, adverſariorum denique naevos, quo pari eos dolore ulcisceretur, acerbe collegiſſe? nihil ille minus: faſſus eſt; deleri juſſit; monentibus verbis amiciſſimis gratias egit. O praeclarum bene moratae indolis ſpecimen! o lucidiſſimum erectioris, & ad veram gloriam enitentis, animi documentum! ſic enim habetote, Auditores, neminem unquam ad egregiam frugem eſſe perventurum, quem pudor bonus & honeſtus ab errore ſibi cavere, quantum homini nato licet, non docet; perverſus in mites errorum admonitores exacerbat. Tertio pedatu *de Diis*, quos Graeci vocant, *Paredris*, *ſive Adſeſſoribus* com-

compoſuit, volumen quidem illud mole fratribus natu majoribus haud plane par, ſed ſelectis in materia nondum exaſciata obſervationibus, quod nemo neget, refertum. Placuit Principi Sereniſſimo, Nobiliſſimisque Academiae noſtrae Maecenatibus, oblatum dedicatumque munus, quibus inprimis erat cordi talem Lycei ſui civem prolixe fovere, cui parem alium nulla Belgicarum Academiarum vix ac ne vix quidem datura foret. Hi laboris eleganter atque erudite poſiti fructus anno aetatis XX nondum exacto proruperunt: ab his fontibus profluxit ad hominum famam.

Deſtinatum erat, eruditionis peregrinae ſpolia in Sanctiſſimae ſcientiarum Theologiae tholo ſuſpendere: conſilium propemodum fixum retardarunt primum pectoris arcti non ſatis expediti meatus, vitium conciones ſacras habituro parum opportunum; deinde alio flexus ſtudiorum curſus penitus interpellavit. Ego, qui Iuriſprudentiae conjunctiſſimam eſſe cum literis Humanioribus ſocietatem ſcirem, illique ut lucem ac quoddam quaſi jubar ab his inferri, ſic has viciſſim ab ea rerum ſcientiae ſoliditatem mutuari, jam pridem ARNALDVM impuleram, ut Legum peritiae temporis curarumque ſuarum partem impenderet, non ille quidem operam recuſare, ſed literarum jucunditate captus atque adligatus, in aliud tempus differre.

In-

Interea, ut cupiditati ſuae velificaretur, ſuſceptum eſt iter Leidenſe: cujus eum conſilii eo minus poenituit, quod magni Schultenſii, quum inter nos ageret, prona in puerum voluntas amicitia integerrima fuerit commutata. Maxime tamen oculos praeſtringebat Bibliothecae Lugduno Batavae voluminum carioſorum manuque descriptorum theſaurus dives; ex quibus oculo curioſo conſultis comparatisque quod in rem ſuam eſſet, cultamque ſumma cum laude ſtudiorum rationem magis magisque firmaret, colligere ardebat. Hoc autem ARNALDI inſtitutum ad Sophoclem praecipue pertinebat: illum explicare, illum ſubſidiis undecumque collatis nova luce donare meditabatur. Hujus quidem operae, quae haud temere a quovis alio melior aut inſtructior expectari poterat, dammum moleſtiſſime ferremus, niſi majore lucro & ſibi & orbi literato penſaſſet.

Vix in patriam reverſum injecta velut manu Themis ſibi adſeruit, ſub ſignisque ſuis militare juſſit. Ex eo tempore Iuri perdiscendo ſe totum dedidit, ſub auſpiciis Abrahami Wielingii, excellentis illius & inter paucos adcurati Doctoris, quem eo magis admirabatur, quod multa de literis Humanioribus tracta largius, quam plerorumque ſit mos, ad illuſtrandas Leges, origineſque Iuris Romani ultimas adſpergeret. Hinc curſus ab ARNALDO tam feſti-

ſtinatus ad arcem Themidis eſt captus, ut rapuiſſe citius cognitionem Iuris, quam paene tetigiſſet, videri queat. Quum profectus ejus admirabiles & condiſcipuli ſtuperent; & fama ſecunda ferret, perreptabat tamen circulos hominum & conventus obscura quaedam obtrectatio, & ſermunculis invidioſis jactata, ab omni eſſe veriſimilitudine abhorrens, juvenem id aetatis, & nuper demum ad haec ſtudia delatum, tantum ingenio potuiſſe, tantum induſtria, ut Iurisprudentiae vel extremum orbem, nedum medullam interioresque receſſus, inspexerit: atque adeo quidem haec probabiliter ſpargebantur, ut, quum de eo ornando Academiaeque noſtrae propius admovendo Proceres ſerio cogitarent, ſtimulisque honeſtis tanti Adolescentis acuendam eſſe diligentiam ſtatuerent, nihil ipſi aeque obfuerit, quam temporis patentiſſimo Iuris ſtudio impenſi brevitas. Neque ſane diffiteor, rem poſſe incredibilem videri, niſi publica veritatis pignora conſtarent & documenta. Quid ergo? tam exaggerata fuit in ARNALDO noſtro vis ingenii, tanta naturae faventis excellentia, ut, quod nemini fere, certe perpaucis conceſſum fuerat, ipſe breviſſimo curriculo conficeret, & capaciſſimo pectore velut ingeſtam Iurisprudentiam exciperet. Fuerunt profecto, Auditores, hae dotes in eo foecundiſſimae, & ab aeterno bono-

norum largitore munifice collatae. Attamen adfirmare non vereor, ut admirationi veſtrae nonnihil ſuccurram, praeſidium Literarum, & diu & contentiſſimo ſtudio cultarum, ditionem totam Romanae Graecaeque antiquitatis peragratam adjumento fuiſſe non mediocri, quo confiſus tam celeres palmas reportarit.

Huc adeſte: huc ego vos adpello, qui Themidi vigilias veſtras dedicaviſtis: ab ARNALDO noſtro exemplum petite, & aridas ſterileſque laureas adſpernamini. Quid Cujacios crepatis laudibusque meritis in coelum fertis? Quid Merillios? Quid aetate noſtra Noodtios, quid Schultingios? quid tot alios heroas? Quibus illi radicibus nixi ad tantam nominis claritatem, ad ſummum illud Legum ſcientiae culmen pervenerunt? ſcilicet quod Literis Humanioribus, quod hiſtoriarum, quod omnis antiquitatis penitiſſimae cognitioni acceptum referebant, Themidi optimi familiae curatores expenſum tulerunt: horum ergo veſtigiis ſi inſiſtatis, eadem vos gloria, dignitas eruditionis eadem ſequetur. Nunc producere tempus eſt teſtes ejus in Iurisprudentia peritiae certiſſimos indubitataeque fidei. Ne vos percellat, quod in acie prima collocem Diſſertationem Academicam, quae praeſidio Abrahami Wielingii fuit ſubnixa, quamvis ab Academico cive, qui tantum quod candidatum ſe Iuris fuerat profeſ-

feſſus conſcripta, in juvene virum eumque egregiis diſciplinis ſubactum patefacit: ridiculus ſim ſi quo pacto partes ſuas fuerit tutatus exponam; ſi, qui praeſentes interfuerunt ex corona, quae me cingit, excitem. Agit autem *de Iure ſervorum apud Romanos*, iisque doctrinae ſolidioris luminibus eſt illuſtrata, ut, quae rara Diſputationum Academicarum eſt fortuna, exteris in oris innotuerit, maximamque ARNALDI in diverſo nunc ſtudiorum genere expectationem commoverit. Hoc in ſcripto nonnulla ſibi reprehendenda ſumſerat, juvenis itidem peregregius & omni laude florentiſſimus, Alphenus. Iam, credo, calamis infeſtis concurſum, jam bilem in chartas diſputatorias ejectam auguraris; quid enim mirum, ſi adoleſcentes gloriae cupidi, fervore aetatis utrique abrepti, bello literario collidantur? Imo vero non diſceſſit ARNALDVS ab exemplo ſuo: quin amicitiae vinculum ab eo principio inter eos tam arcte coaluit, & crebro literarum commercio calefactum, ut poſtea nunquam fuerit diſſolutum.

Moverunt Proceres Nobiliſſimos Athenaei Friſiaci patronos publici plauſus & inſignia virtutis teſtatiſſima: quare nihil amplius dubitarunt Lectoris in Iure titulos in ARNALDVM conferre, juvenemque juvenibus erudiendis praefectum Academiae noſtrae inſerere.

In

In hac autem provincia qualem perſonam ſuſtinuerit, quid multis enarrem? meminiſtis vos, vos inquam, qui exedras ejus & privatas & publicas contriviſtis, qua orationis facilitate, quo dicendi lumine, ſententiarum ſplendore, qua denique comtiſſima doctrinae copia in adyta vos Caſtae Themidos introduceret, verendumque ejus ſimulacrum in baſi ſolida collocaret.

Neque tamen ita penitus evicta fuit atque extincta infelix obtrectandi libido, quin caudam interdum concuteret. Statuit igitur, quo nocentiſſimi invidiae aculei fracti denique conciderent, ejusmodi elaborare opus, quod & ſuae rerum juris ſcientiae perpetuum eſſet monumentum, & ſpei, quam de ſe fecerat ampliſſimam, publicum pignus. Ingenuus ardor peperit duos variarum Conjecturarum libros Sereniſſimo Principi Auriaco & Generoſiſſimis Academiae Curandae IV. viris inſcriptos; qua quidem in dedicatione, quibus ex occulto telis peteretur, paulo commotior haud quaquam diſſimulavit. Non diverſus adparet color in ea Diſſertatione, quod operum ejus ultimum fuit, qua de his qui pretii participandi cauſa venumdari ſe patiuntur, accuratiſſime disceptavit.

Tot tamque luculenta eximiae cujusdam doctrinae minimeque vulgaris ſpecimina omnium, qui ſincere judicabant, ipſi puncta colle-

gerunt. In Iuris autem ſcientia quid majus ſperari poteſt, quid gloriam excellentiorem habet, quam Bynkershoekio probari? ſcimus teſtamurque, ſciunt juxta nobiſcum primariae dignitatis viri, quantum vir Summus, ſummumque Themidos & Romanae & Batavae decus & praeſidium, in ARNALDI ſcriptis momentum eſſe ſtatuerit ad ſcientiam juris augendam & exornandam. Ecquodnam certius requiri poteſt pronae in ARNALDVM voluntatis teſtimonium, quam quod eum in amicitiam, domum, Bibliothecam, rariſſimis illam refertam librorum theſauris, recipere non fuerit dedignatus. Praetereo commercia literarum, non intra Patriae tantummodo fines, ſed apud exteras etiam gentes contracta cum viris eruditione non minus quam dignitate conſpicuis, ex quibus unum nominatim citabo Senatus Divionenſis Praeſidem Ampliſſimum Bouhierium, unicum in Gallia Muſarum ſtatorem.

Iam cunctorum votis ad altiorem Profeſſoriae dignitatis ſtationem expoſcebatur ARNALDVS, quum vir Clariſſimus & Iuriſconſultiſſimus Abrahamus Wielingius anno proximo Trajectinis hinc eum excientibus operam addixit: ſtatim omnium oculi in ARNALDVM fuerunt converſi, nemoque plane dubitavit, quin magni Academiae noſtrae Maecenates, quem jamdudum praerogativo Lectoris gradu condeco-

ra-

raverant, eundem nunc in ſublimiorem ſedem forent evecturi.

Publicis omnium votis reſpondit Procerum favor. Vidimus ARNALDVM ordini noſtro adſcriptum: ſed vidimus tantum: fauſtis amicorum gratulationibus, commodis Academiae dicataeque ſtudiis optimarum artium juventutis, tot ſperatis incaſſum eruditionis exquiſitiſſimae fructibus interceſſit acerba fati vis: in ipſo aetatis flore muneri nondum inauguratus extinguitur ARNALDVS, omnesque ſimul & ſuas & noſtras ſpes tumulo condit. Quanquam animus abhorret a triſtiſſimi caſus commemoratione, conſuetudini tamen obtemperandum eſt, quoque morbi genere cariſſimi capitis vita fuerit intercepta, vobis exponendum: Hiſtoriam pertinacis mali, quum oratione terſiſſima perſecutus ſit vir Clariſſimus conjunctiſſimusque Collega, de ſcripto recitabo. . . . .

Qua nunc oratione Te, HONORATE ARNALDE, pater defuncti optime, quibus adloquiis compellem & ſolari coner; qui in hoc filio familiae tuae decus & lumen amiſiſti. Ipſe nuper domeſtico ſimilique vulnere confectus, magnitudinemque tui doloris ſenſu meo aeſtimans, lacrimas paene meas tuis lacrimis admisceo: ſed, quod facis, erige te, Deique plagam imponentis manum adorandam reverere.

Vivit ARNALDVS Tuus idemque noſter, aeternumque vivet: quam lentis paſſibus venientem vere Chriſtiana pietate communitus numquam reformidavit, mortem devicit, & terreſtres, quibus adhuc involvimur miſeri, ſordes ex alto deſpicit. Nec tamen ne nobis quidem totus periit: vivet in monumentis ingenii aere perennioribus, vivet in bonorum omnium amicorumque memoria, vivet in hoc pectore.

L. C.

L. C. VALCKENARI,

(DE VARIIS SELECTAE,)

TRES ORATIONES.

I. De rerum Belgicarum viciſſitudine, in annum CIↃIↃCCXLVIII.

II. De Philippi Amyntiadae indole, virtutibus, rebusque geſtis, cauſis externis fractae Graecorum libertatis.
Haec quidem, ſive Oratio, ſeu Diatribe, veterum locis, quibus ſingula nituntur, nunc demum fuit communita.

III. De Critica emendatrice, in Libris Sacris N. F. a Literatoribus, quos vocant, non adhibenda.

Succedit

Corollarium ad iſtam Orationem,
&
Schediasma,

Specimen exhibens Adnotationum Criticarum in loca quaedam Librorum Sacrorum Novi Foederis.

L. C. V.

O R A T I O

DE PRISCA ET NVPERA RERVM BELGICARVM VICISSITVDINE.

IN ANNVM CIƆIƆCCXLVIII,

Liberi Belgarum Imperii centeſimum, Burano Comiti Natalem, atque inſignem Pace firmata.

[*Habita Franeq. initio anni* CIƆIƆCCXLIX.]

Tandem tamen e foeda tempeſtate, quae Belgas oppreſſura credebatur, improviſa nata ſerenitas. Imminentem nobis nubem Divina dispulit Providentia gubernatrix, ac paene fractam Reipublicae ratem trans maria ſcopulosque latentibus machinis in portum ſubvexit; non ante, quam hiantes rimae fuerint omnes obſtructae, tumultuoſis fluctibus, undisque fallaciter blandientibus, ad clavum haerente Palinuro, committendam.

Orbes immenſos ac propemodum infinitos, in quorum uno nos movemur homunculi, divino Numine circum ſuos axes rotari noveramus & regi.

Belgicum ſeptem Populorum imperium, unius Orbis particulam, ſub Dei tutela, Numen potentiſſimum illic praefertim manifeſtum facien-

cientis, natum, atque amplificatum, & ſaepenumero ſervatum, penitus didiceramus.

Sed, poſtquam Imperatores Carolus VI, & Carolus VII, hinc illuc abierant, qui toties Belgas adſpexerat benignus, Deus a Belgis averſus eſſe videbatur.

Omnes noſtrae ſpes ſublabebantur indies; imaginibus etiam rerum decepti, damnoſa nobis expetebamus.

In ipſis malorum primordiis pacem Deum poſcebamus; &, ſaepe ſalutifera, belli mala nobis erant ad expurgandas languidi corporis corruptelas neceſſaria medicamina.

Saepius olim victores, quia ſacrata Foederum iura ſervaverant Optimates, victoriae feſtum diem exſpectabamus: ab Auguſtiſſimo Ludovico XV, Mauritii Saxonis virtute, victum iri nunc Belgas, Deus ſapientiſſime decreverat.

Ad fines usque Batavorum properabant victores: mala ſcilicet inteſtina iſthac erant via propulſanda.

Nobis inſciis, mox in lucem evolvendae, machinae divinitus interim poſt vela promovebantur.

In theatrum, claris Majorum facinoribus illuminatum, ſuisque virtutibus dignum, per iſtos calamitatum gradus e Friſia ſua provehendus erat Arauſionenſis Princeps, qui, quando fatis eſſet malorum, Reges Europae reconciliaret; contaminatas Reipublicae partes redinte-

te-

Digitized by Google

tegraret; qui viam ad honores virtuti patefaceret & Nobilitati; qui disciplinam militarem praemiis obfirmaret & ſeveritate; qui Muſas in Belgium blanda voce revocaret; qui gangraenam, per Academias proſerpentem, aliquando certa manu reſecaret.

Necdum finis malorum, necdum paci dictus dies adventârat. Madent interim humano ſanguine campi Lawfeldiani. Quum ad Zomam, quum ad Moſam erumperet flamma belli, quid nobis erat animi, Populares? Vltra fas mortales trepidabamus. Perſpicaces, ſcilicet! animo proſpiciebamus militem peregrinum, opimos agros noſtros & quietas civitates populaturum. Inadſuetum Belgis imminere Ludovici Regis videbatur imperium; & multo magis formidandus ſacerdotum, in Principes etiam dominantium, inſolens grex, per urbium plateas cum cucullis ſuis turpiter obambulantium.

Centeſimus adfirmatae libertatis annus exitio Belgarum fatis deſtinatus eſſe videbatur. Tanta mentis eſt humanae caligo!

Breviſſimo temporis ſpatio belli timorem omnem abſtulit Deus, atque Europam pacavit.

Coeleſtem iudicis iuſti vindictam, vitiis noſtris irati, Belgarum interitu plerique metuèbamus exſaturandam. Rerum eventu moniti ſaniora didicimus. A rigido iudice poenam commeriti, fuimus a benigno Patre clementer ad emendationem caſtigati.

Te Deum laudamus; Te dominum Belgarum & conſervatorem confitemur. Sentimus vigorem novum divinitus nobis inditum. Coeptis noſtris allabere benignus. Si fuerit utile, da nobis hanc pacem diuturnam. Non donis, quae reſpuis, nullius indigens; non artificioſe meditatis verbis, animorum ſpeculator; ſed nos, Tua cura, Tuus amor, Tua progenies, nos amabile Numen Tuum adorabimus taciti.

Perpetua rerum humanarum eſt, Auditores, & conſtans viciſſitudo; quam regit unicus moderator. De ſecundis & adverſis perperam ſaepe iudicamus; quia rerum nexus & cauſae nos latent.

Quos toties victores formidabamus, Nobiliſſimus Gallorum populus Belgis iterum peperit firmamenta libertatis.

Omnibus idem ille Pater, ſemper fuit, ſemper erit Belgarum Deus. Mittite, quaeſo, vanos timores. Mares tandem, Sapientum chartis animos meticuloſos roborate. Veſtris utentes oculis Annales Patrios revolvite. Videte per quas viciſſitudines calamitatum iactata Belgarum Reſpublica ſemper e mala ſurrexerit melior.

Qui quidem ſcientes hiſtoriae Patriae huc confluxiſtis, Spectatiſſimi viri, finite, quaeſo, reliquis, harum plerarumque rerum ignaris, de centenis pauca, per aliquot horae momenta, meo quodam modo repraeſentari.

Quid

Quid potiſſimum prima iecit Belgicae libertatis, Gandavenſi conſpiratione, fundamina? Multiplex calamitas; impotens Granvellani Cardinalis dominatio; Ferdinandi, Ducis Albani, ſtrenui tamen militis atque Imperatoris egregii, ipſis Hispanis illaudata, Belgis, naturâ mitiſſimis, intoleranda crudelitas.

Iniuriarum indignitate diu vexata, tandem furiis velut incenſa ſurrexit in Dominum Belgica. Iuſte rebellatricis Belgii caput & dux Guilhelmus fuit Arauſionenſis, Principum celſiſſimus; in cuius auguſtum pectus velut in ſuum templum ſe receperant veterum Heroum virtutes eminentiſſimae.

Res vixdum fundatas ſubita clades concuſſit. Quae debuerat ad ultimum humanae naturae terminum protendi, Guilhelmi vitam ſcelerata manus exſtinxit.

Hac clade debilitatis atque opem implorantibus Comitem ſuum Leiceſtrium ſubmiſit Eliſabetha, hominem in artibus Reginae perpolitum, plebi Belgarum & hominibus plebeiis non iniucundum.

Senſit creſcentis animi magnitudinem Princeps indigena; ſed ſuſtinuit: indignabatur tamen Mauritius; prudenter diſſimulabat; bellicas artes atque alta meditabatur.

Abit Leiceſtrius ad Eliſabetham. Prodit in ſcenam Mauritius. Laeta fit rerum converſio. Attonitus requirebat Alexander Farneſius, un-

de

de tanta Foederatorum Imperatori iuveni ſcientia rerum eſſet militarium.

Animo comparandus ad maximum heroa Maccabaeum Iudam, neminem habuerat inter vivos Mauritius, quem imitaretur: Dicam, Auditores, quod ſentio. Ingenia diviniora multis in rebus reſpuunt humanas leges: ſibi ſunt lex; aliis exempla ponunt.

Imperatore Mauritio florentes animis & opibus Foederatos admirabantur, qui repudiaverant nuper oblatum imperium.

Iam nunc poterant Regibus ferre ſuppetias. Iam nunc poterant in Scotiam ad ſacra ſolemnia cum Regibus evocari. Iam nunc Batavam & Friſiacam virtutem fama per orbem vulgaverat velut inſuperabilem.

Mauritii nomen & egregias gentes Indiarum Reguli iam venerabantur; qui huc usque crediderant, Chriſtianos feras eſſe tigrides atque auro inhiantes dracones.

Divitias, in Bataviam confluentes, neceſſarium malum, luxuria comitabatur.

Qui luxuriam inſulſe reprehenditis, parcite, obſecro, verbis; aut paupertatem ante, matrem ambitionis honeſtae, vigilantiſſimam artium nutricem, paupertatem ante, ſi lubet, exemplo veſtro commendate.

Inſperato rerum ſucceſſu ſuperbi claſſem parant Foederati ſeptuaginta trium navium, quae hoſtiles oras popularetur.

Li-

Liberarum gentium vela Hiſpaniam circumvolitabant; ferentibus ventis in Americam usque provehuntur.

Coeptis proſperis Deus intervenit: intra paucos dies foeda lues millia Belgarum abſtulit: perit ipſe Douza praefectus: naves huc illuc disiiciuntur. Ex tanta ſpe nihil domum rediit, praeter fractas aliquot navium tabulas, & ſociorum navalium tabeſcentes reliquias.

Externam calamitatem exceperunt inteſtina mala; quibus ne Friſia quidem noſtra caruit.

Iſthoc aeſtu iactatis inſtat praelium Flandricum, quo praelio tota, iudice Mauritio, Respublica periclitabatur; & profecto, victis Foederatis, nullus ſuperfuiſſet praelio retentando locus. Oſtendae ſedebant Ordinum legati, pugnae ſpectatores. Quid illic creditis animi fuiſſe viris iſtius aetatis? quid Oldenbarneveldio? quorum pectoribus patriae caritas penitus erat infixa? cum viderent circum ordines militum obequitantem in ſummo diſcrimine Mauritium, puerulo fratre Frederico Henrico comitatum; cum viderent nutantem Rempublicam?

Acies Foederatorum iam inclinabat. Sed Deus ſubito Belgas ſuos adſpicit. Res lapſas reſtituit Imperator: caeſis millenis, capto Mendoſa, victor Deo grates agit Mauritius, atque ad amicos Oſtendam redit Reipublicae conſervator.

Im-

Imperatoria Mauritii virtute tandem remiſſâ bellandi pertinaciâ mittunt Hagam Oratores, pacem petituros. Dux legationis, vir inſignis, Ambroſius ipſe Spinôla. Debuit mirabilis videri multis articulus temporis, quo duo Maximi ſuae aetatis Imperatores, Mauritius & Spinola, ſe invicem prope Delphos complexi cupide demirabantur,

Converſique oculos inter ſe atque ora tenebant.

Paci tamen obluctabatur Imperatoris deſidiae contemptor animus, nondum belli gerendi ſtudium ponendum eſſe cenſentis. Diſputatum. Pactae ſunt induciae. Bellicarum Mauritii virtutum, libertatis cuſtodis unici, memores, induciis velum oppandamus. . . . .
. . . .

Poſt noctem triſtiſſimam rediit diei ſerenitas. Obligavit vulnera Reipublicae Fredericus Henricus, quem caſto ſinu foverat Magno Patre prognata Ludovica Coligniaca, quam ego celſi pectoris Principem totius paene antiquitatis Heroinis antepono. Ex hoc ſinu prodiit, boni Principis exemplar exactiſſimum, Fredericus Henricus, qui ſub fratre magiſtro puer labores militiae tolerare didicerat, atque, Europaeae Nobilitatis flore cinctus, admirari ſtupenda Mauritii geſta.

Crederes ſub tanto Principe, qui Spinolam, bel-

Digitized by Google

belli fulmen, exegerat Belgio, qui Patribus erat, qui populo, qui diverſa ſentientibus carus, quem amicitia ſua dignatus omni cumulabat honore Ludovicus XIII; crederes ſub Frederico Henrico Soles Belgis oriri ſemper debuiſſe candidos; nubili ſaepe fuerunt & triſtes.

Tandem bella ceſſarunt ante hos centum circiter annos. Qui Hiſpaniam moderabatur imperio Potentiſſimus Philippus, Regum iſtius nominis quartus, ſancte Belgicam dominam declaravit & ſui iuris.

Quum tranquillis rebus ac pace viderentur Maiores noſtri fruituri, Frederici Henrici filius, Guilhelmus II temporum deſiderabat opportunitates, in quibus ſua Patris & Avorum geſtis inclyta nobilitas eniteſceret. Ante diem Deus Principem humana ſocietate demovit.

Intelligunt tandem Optimates, rem concordia poſſe firmari. Ex ſeptem Populis delegati Hagam conveniunt ad formandum Reipublicae ſtatum. Frequens erat & venerabilis Amphictyonum Belgarum concio. Diducta coagmentantur: rupta reſarciuntur: minima quaeque muniuntur. Vnus omnium velut animus, atque admiranda voluntatum erat, eſſe certe videbatur, conſpiratio.

Credebant plerique, concordiae futurum indiſſolubile vinculum; nec tamen erat: ruperunt vinculum domeſticae factiones pro potentia

tia concertantium (†), liberis in civitatibus, quae Rectore carent, uſitatae.

Claſſi praeerat Ruterus; tamen praelia maritima ſaepe fuere minus fortunata.

Revocatur in Angliam Carolus II. A Belgarum Principibus Hagae magnifice habitus montes aureos pollicebatur: Amicis mox Anglus bellum indicit. Maris domini mutuis viribus colliduntur iterum inter ſe, non iniucundo multis ſpectaculo. Fortuna Belgis minus adſpirabat: ſed, humanis caſibus nunquam retardatus, Michaël Ruterus acrior ad pugnas ſemper redibat, & victoriam tandem reportavit illuſtriſſimam, diſerto *Graevii*, *Francii*, aliorumque ore publice celebratam.

Huic quidem bello finem impoſuit Bredana pacificatio: pacis vero fructum triſte malum corrupit, duraturum, dum vulnera Reipublicae pertentata rediiſſent ad ſanitatem.

Belgarum opes admodum creverant: a Maiorum autem virtutibus adeo deſes degeneraverat atque avara poſteritas, ut pauperum ſanguine partam libertatem maximis affluentes divitiis retinere non potuerint (††).

De ſeptem Populis tres, Ludovici XIV, Magnificentiſſimi Regis, imperiis iam obſequebantur.

In

(†) *Thucydides* VIII, c. 89; πάντες, inquit, ἀξιοῦσιν οὐχ ὅπως ἴσοι, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρῶτος αὐτὸς ἕκαστος εἶναι.

In tantis tenebris potuerat videri Belgarum libertati ruina parata: ſerenus adſpectus Adoleſcentis Arauſiaci caliginem, auſpice Deo, diſſipavit.

Virtutem Imperatoriam in Tertio Guilhelmo Princeps Condéus expertus, ut ſolent egregiae Nobilium animae, magnificis verbis collaudaverat.

Maximus ex inimica claſſe terror oritur: hoſtilibus coeptis admirando modo Deus obſtitit.

Ruterus, navium & ſociorum paucitate, Deo ſuo fretus, erigebatur in ſpem victoriae: (videte, Friſiaci Nobiles, ſua ſolius non avorum virtute Magni Ruteri heroicum animum) tandem victoriam popularibus luculentam, ſibi gloriam reportavit.

Profuere Belgis Principum Galliae diſſenſiones. Placuit Regi, Ducibus placuit, excedere mari munitis Belgarum ditionibus. Tandem flamma belli ſedatur Noviomagi.

Procerum & populi ſtudiis in Angliam evocatur legum Tutor Arauſionenſis Princeps. Belgarum Gubernatori claſſis paratur. Profecto res erat Foederatis plena periculi. Proſper tamen fuit eventus & ſtupendus.

Septem Populorum amantiſſimus Princeps, Belga natus, Rex Magnae Britanniae ſolemniter

(††) *Thucydides* I. c. 123. *ἃ δίκαιον, ἃ τῇ ἀπορίᾳ ἐκτήθη, τῇ περιουσίᾳ ἀπολέσθαι.* conf. Periclea Eiusdem L. I. fine c. 144.

ter renunciatur. In tanta potentiſſimorum Populorum concordia quid tandem, ſi bellum ingrueret, adeo metuendum videbatur? Spes magna fallit interdum, Belgas publicis in rebus ſaepe decepit (†).

Foederatorum exercitibus praeerat Rex & Imperator prudentiſſimus, ſuis Populis, militibus inprimis carus, qui cogitate meditabatur ante, quam res aggrederetur: nunc in memoriam, obſecro, revocate, per aliquot annos continuos quam infelicem res prudenter meditatae pleraeque omnes habuerint ſucceſſum.

Pauſa fit malorum. Mox bellum recrudeſcit. Accedit ad bellum magna calamitas, Auguſti Regis Guilhelmi III inexſpectata mors.

Supererat in Friſia, virtutis Arauſionenſis & Magnifici tituli legitimus heres, Sereniſſimi Friſonis Parens Ioannes Guilhelmus, Friſiacorum Optimatum illuſtre caput.

Principis, infortunati tandem, virtutibus inprimis Imperatoriis Marlboroughi, Principis Eugenii, ceterorumque, qui fuerant in Martia Guilhelmi Regis exercitati palaeſtra, res admirandae per longam annorum ſeriem fuere confectae; deiectae ſunt arces; urbes expugnatae; victoriae reportatae.

Tum

(†) *Hug. Grotii* verba ſunt in Annali ſecundo: *Supremae Providentiae — fere placuit, Belgicis in rebus ita humanam fiduciam & conſilia illudere, ut nunquam ſimul eſſent ſpes magna*

Tum certe bello quaeſitam pacem ſuis tandem videbantur conditionibus daturi Foederati. Quid evenit? ſcaeva Marlboroughianae virtutis, & male, quod fatendum eſt, quaeſitarum opum, feliciſſimis rebus intervenit invidia. Vnius viri, ſuo Regi laudabiliter (nam dicendum quod res eſt) laudabiliter inſervientis egregia Tallardi, minus exercitibus ducendis apti, ſagacitas, arteſque civiles, ſpes Foederatorum ingentes ſubverterunt. Tantum ſaepe praeſtat unus homo multitudini!

Tandem tamen Trajectino foedere pacem accepimus.

Et nunc arbitror omnium in oculis defixiſſe me priſcam rerum Belgicarum viciſſitudinem, ac mala ſemper ad emendationem Belgarum flectentis indulgentiſſimi Dei benignitatem.

Longam pacem pacis mala fuiſſe comitata, patuit, Auditores, quando belli flamma ante hoc octennium per Europam erupit.

Quaenam fuerint illa pacis mala, quotidie cadit in deliberationem, inter illos, qui nulla ſunt prae nobis inſtructi praerogativa. Ab his pleriſque penitus diſſentio: diſſentire vero licebit, opinor, inter liberos cives, in re civili. Di-

magna & bonus eventus: conf. Eiusdem Hiſtor. L. VIII, p. 366. p. 373. L. IX, p. 391. p. 399. L. XIV, p. 459, 460.

Dicam, ſed pauca de multis, quae veteres Hiſtoricos paulo conſideratius verſanti mihi vera videbantur. *Favete linguis.* Omnia ruere in deterius clamor eſt popularis: eadem vulgatur cantilena per ſingulas aetates ab hominibus potiſſimum in anguſta domo habitantibus. Hos ego, ſi tractabiles manum pati poſſunt, humo ſubducam; unde velut e ſpecula proſpectus patebit in aliquot ſecula, quae decimum quintum, quae captam a Turcis Conſtantinopolin anteceſſerunt; aut, ſi malint, in vivam Europae faciem.

Vbi paulo penitius ex alto deſpexerint in uberes Italiae, Galliae, Hiſpaniae, Magnae Britanniae regiones, tot nova puerorum inſtar mirati fatebuntur, non eſſe, neque unquam fuiſſe Belgas Chriſtianorum deterrimos. Decet hominem veracitas.

Quae iactantur ab inerte multitudine, ſunt omnium gentium, omnium ſunt ſeculorum, & paene dixerim humanitatis vitia.

Revolvite Populorum annales: oculati duo duntaxat praecipua vitia deprehendetis, quae populoſas civitates ſemper corruperunt, &, niſi tempori corrigantur, peſſumdant, avaritiam videlicet, & deſidiam.

Duplex haec civitatum lues Literatos pariter & indoctos polluit, ac videri potuit Belgarum in longa pace duplex malum.

Galli victores, induſtrius populus, pecuniae con-

contemptor, laudis amans atque honorum, cetera Belgis non ſane meliores, iſtis duabus peſtibus vulgo non ſunt infecti.

Si pacem accepimus, propter vitia noſtra ſaepenumero victi, liberi duobus iſtis malis, ut olim Belgae, pacem nunc fortaſſe victores dederamus.

Vehementes motus atque animorum perturbationes, certiſſimae corporum corruptelae, poſſunt in uno homine magnarum eſſe virtutum contubernales; earum certe, quae proſunt civitatibus.

Certa rerum documenta, quae ne nunc quidem in Europae theatro deficiunt, cur veterum libris Alcibiadas excitaremus?

Meo arbitratu rara mens erigetur ad magna, quam plebeius angit amor accumulandae pecuniae, etiam per fas, etiam liberis relinquendae: ſpecioſum enim velum arripuimus, quod noſtrae praetexeremus avaritiae, ſimulatores!

Sed in pectore, quod ſcelerata pecuniae, quomodocunque corradendae, fames ſuis furiis exagitat, nulli relinquitur probitati locus.

Si qui forte tales in hoc eſtis hominum coetu, quos nullos fore deſiderem, utinam impalleſceretis atque ad humanitatem revocaremini! Sed haec vota manebunt.

Fortaſſe felicius expugnari poterit adoleſcentum annis nondum firmata deſidia, alterum Reipublicae longa pace malum. Mitto reliqua.

Facies iuventutis in Academiis Belgicis, proximis aliquot annis, exſucca fuit & cadaveroſa facies; fas mihi ſit vera dixiſſe, Franequerae ſanior, quam alibi. Sunt etiam nunc inter cives noſtros Academicos iuvenes egregii, quique viam adfectant ad virtutem, ad veram eruditionem, indefeſſi.

Haec in laudem veſtram dicta, Iuvenes, ſecus atque debuerant accipi nolim. Vos praeſertim nunc alloquor, qui Franequeram veniſtis ſacra tractaturi, mea cura, quotquot religionem, virtutem, doctrinam, ſpectatis; quotquot indies in Belgio decrescentem hominum literatorum eruditionem redintegrari deſideratis; quotquot pacificis monitis obtemperatis: ſed, ſi iuratis pueriliter in certa nomina; ſi cupide vultis, in certas claſſes, in certas factiones diſtingui; ſi deſides rebus nihil profuturis tempus conſumitis; eritis aliquando huius templi dedecora, doctrinarumque corruptores; &, ſi quid mea conſilia valebunt, hi Proceres vos, ſi qui tales inter nos latitatis, ſubtractis inertiae nutrimentis, ex caſto Minervae ſacrario retrudent in opificinas; ſuis certe periculis nuper adeo, dum, facile commota, tumultuabatur plebecula, ſuis periculis admoniti nullis unquam muneribus admovebunt.

Dubito, Populares, an aliunde maior Reipublicae Belgarum imminuerit ante hoc biennium calamitas.

Non

Digitized by Google

Non pauci divitum & Potentum filioli, a teneris fatua matrum indulgentia corrupti, mittebantur in Academias Belgicas. Poſtquam cute bene curata, ſuo faſtu quodam arrogantes, civium cum faſtidio plateas per aliquot annos nitidi perambulaverant, derepente titulis amplis, etiam (proh pudor!) a noſtro ordine hominum, honeſtati, muneribus & civitatibus regendis admovebantur; corpus quidem utiliſſimis ſaltationibus exercitati, ſed mentis paene vacui; vix ulla certe veteris, aut hiſtoriae Patriae ſcientia inſtructi, nulla rerum Europaearum, nulla humanitatis notitia, nulla rerum civilium, nulla iuris & aequitatis.

Verane dixiſſe videar, an minus, veſtra ſit deliberatio.

Friſii tamen, quando foedum ulcus attigi, non ſunt ſua laude fraudandi. Aliud eſt huius gentis ingenium, rarius in hilaritatem effuſae, natura proclinantis ad rigidam ſeveritatem: alii ſunt gentis Friſiacae mores, tardius recedentis a laudabilibus Maiorum inſtitutis, cultum corporis & peregrinas elegantias natura reſpuentis. Reperiuntur in Academia primarum domuum filii, virtutis veſtigia firmiter inſiſtentes, quos ad amorem honeſti generoſum cupidus excito.

Si quis tamen ex iſta claſſe leviter a virtute deflexerit, illum hortor, ut a deſidia maturrime recedens ad generis ſui honores erigatur.

Eſt mihi, Iuvenes, Demoſthenem legenti, libertas oris, quae mores civium Academicorum, Reipublicae noxios, inſectari non dubitabit, iuvenilibus minis atque irritis bombis nunquam obturati.

In pacis mala, duobus fontibus derivata, praecipitatis Belgis, accidit Europae non improviſa calamitas, Auguſtae domus Habsburgicae, quae per aliquot ſecula celſa ſteterat, caſus, moriente Carolo VI Imperatore.

Quum in Sileſiam properaret Boruſſiae Rex Potentiſſimus, avitas ditiones armis repetiturus, nos belli mala iam metuebamus, poſt Varſovienſe foedus, post obitum Caroli VII, Principis optimi, praelio demum Fontenoiano violentius eruptura.

Pugnarum interim bellicorumque facinorum taciti ſedebamus ſpectatores. Huius non erat loci commemoraſſe multis, quae per aliquot annos continuos enituerunt in Italia, Sileſia, Bohemia, Moravia, Bavaria, Saxonia.

Egregiam aeterna laude digniſſimi Caroli Emanuelis, Sardiniae Regis, firmitatem & geſta, ceterasque res Italicas plures utinam orirentur *Caſtruccii*, qui puro ſermone Latine denarratas per ſecula propagarent!

Quamdiu bello ſuus erit inter Nobiles honos, tamdiu cumulabitur humanis laudibus Heroïna con-

conſtantiſſima, Maria Thereſia, quae Principibus, Regibus, Imperatori, viriliter reluctata, Bohemiam, ablatam patrimonii partem, recuperavit; quaeque Auguſti coniugis capiti coronam Imperatoriam impoſuit, Ducum ſuorum virtute, & nunquam interituri, humanae quoque felicitatis inconſtantiam experti Caroli, in cuius venas priscus Lotharingiae Principum vigor, & Eliſabethae Borbonius ſanguis confluxere.

Nunquam ſilebitur Caroli Principis ardorem ſapienter regentis Imperatoria Kevenhulleri providentia.

Quando ſua laude mactabuntur Lobcoviczii, Konigſeggii, ceterique, Tua tamen, ab Auſtriacis male neglecta virtus, Eugenii Principis alumne, Seckendorffi, non celabitur.

Quamvis ſemper adverſam iſthoc etiam in Germania bello fuerint experti fortunam veterani Gallorum milites; intrepide tamen pugnantium laudabitur fortitudo. Pragenſis obſidio diutiſſime tolerata non cadet in oblivionem. Nunc invidenda, poſteritatis laude creſcet Imperatoris Bell-Iſlii fama ſuperſtes, tabescentium militum ſimulacra media hieme feliciter Praga deducentis.

Dettingenſe praelium usque manebit inter homines memorabile, quo fervidam Cumberlandi virtutem atque Arembergi, nunquam

 ad

ad vulnera trepidantium, Patris & Regis mens provida moderabatur.

Genuenſis Reipublicae, Belgis inſciae Reginae ſuam indignationem teſtificantibus, vexationibus indignis oppreſſa libertas, tandem magnis animis laudabiliter reſtituta, ſemper erit Regibus exemplum, quo liberis a civitatibus ſubiugandis abſterreantur.

Sed nihil, opinor, olim bellatoribus videbitur illuſtrius praelio Kesſelsdorffiano. Illud tempus usque iuverit cogitaſſe, quo, victor irae, Rex & Imperator Philoſophus Dresdam inveheretur triumphator, victis Saxonibus pacem apportans, Principibus viris & Adoleſcentibus Regiis amicitiam.

Haec antequam evenirent, belli flamma iam penetraverat in vicinam Flandriam.

Tum demum externati defigebamur. Publicitus indicebantur preces & ſupplicationes. Piis Procerum conſiliis cupide parebamus. Vt ſolet in periculis evenire, catervatim in templa, tum certe, properantes, pro noſtra quisque ſapientia Deum benigniſſimum orabamus.

Qui Belgarum annales oculo Philoſopho luſtraverant, intelligebant, bellis Hiſpanicis, quae mas ille Belgarum Populus, primum pro libertate, tum pro iure maieſtatis atque imperii, ſuſtinuerat per annos octoginta, non votis, non lamentis, non ſupplicationibus ſolis, ſed egre-

gia

Digitized by Google

gia Guilhelmi Arauſionenſis, Mauritii, Frederici Henrici, Naſſaviorum quoque Friſiae Gubernatorum, aliorum Belgarum praeterea praeclara virtute motum, Deum Belgii cuſtodem omnia patraviſſe.

Sed erat iſtiusmodi capitum maxima caritas. Belgicus Leo, qui iuvenili vigore ferox Philippéam fregerat dominationem, ſenio velut feſſus immobilis reclinabat. Salvo tamen inter Friſios Arauſiaco Principe ſpes Belgicas multi ſuſtentabamus; tandemque omnes in Friſiam, velut in ſacram reſpectabant ſalutis ancoram.

Per tot annos adverſa, Gallis adſpiravit belli fortuna, ſub imperio Saxonis Excellentiſſimi.

In Belgii ditionibus Auſtriacis, urbes & arces, Deo volente, dedebantur. Mala cumulavit, & gregarii militis animos debilitavit praelium Fontenoianum; quod praelium, valde cruentum, diu anceps, Gallicae tamen etiam Nobilitatis florem delibavit.

Hoc ictu conſternatis mirandum non eſt potuiſſe Foederatis eripi Tornacum, Gandavum, Aldenardam, Teneramundam, Oſtendam, alias item urbes; ſed cur luctuoſum die feſto contexeremus indicem?

Ne captis quidem, Brabantiae metropoli, Bruxellis, Machlinia, Antverpia, Montibus Hannoniae, Caroloregio, Namurco, ne tremendis quidem arcibus expugnatis ſomno poteramus excitari.

In-

Inſtabat tamen rerum converſio. Quis ſcit an unquam fuiſſemus ad Maiorum virtutem excitati, ſi tanto rerum cardine ſubito ceſſaviſſent victores. Sed placuit conſiliariis Regiis, ut bello nimis quietae gentes agitarentur.

In Flandriae partem, quae ditionis eſt VII Populorum, iuſſus venerat Löwendahlius. Ad iſtum tandem rumorem aures arrigebamus.

Vix Sluſa fuerat Löwendahlio tradita, quum Deus ex improviſo benignior iterum in ſuos Belgas deſpexit; &, humanis vocibus uſus, ad Belgii tutelam Leovardia devocavit Friſonem Arauſionenſem, qui pacem Europae, quando videretur utile, qui Belgas in avorum vigorem reſtitueret.

Nam divinitus univerſo Belgio Sereniſſimum Principem praefectum, ſi potuit quisquam noſtrum, ſuis etiam factionibus implicitus, ante dubitaſſe, declaravit, atque omnium in animis defixit admiranda rerum in Europae theatrum divinitus evoluta cataſtrophe.

Quid ergo luges, aedibus vacuefactis, Friſiae metropolis? Quid luges, Leovardia? Nunquam, fateor, fuerat interrupta nobilis Friſiae Gubernatorum ſeries: nunquam fueras in biennium amabili Naſſaviorum viduata conſpectu. Sed, ſi haeret in Batavis Tuus ille Friſo, habes etiam nunc celſae domus pignus, quo conſoleris orbitatem, habes Mariam Ludovicam, matrum Europaearum & Principum fortu-

tunatiſſimam, propter veram pietatem, propter benefaciendi ſtudium, Deo gratam.

Depoſitum, quod ſinu cuſtodires, Tuae fidei commiſſum, repoſcenti Domino tandem erat reſtituendum.

Quid? an aeterno laudis amore non commoveris, Leovardia? Naſſavias divitias a munifico Principe liberaliter in Te transfuſas gloria compenſabit, qua, per annales Populorum, Belgicae virtutis inſtauratae genitrix a grata poſteritate concelebraberis.

Rerum viciſſitudinem, ſpei blandientis fallaciam iterum animadvertite, Spectatiſſimi viri.

Vbi Principem, multorum votis expetitum, acceperant Batavi, nihil amplius triſte metuebatur.

Belgarum ſecuritatem Deum non adprobaſſe Lawfeldiani campi teſtabuntur, Foederatorum ſanguine foecundi; in quibus enituit iterum Cumberlandiae Ducis, Scotos inter atque alibi ſaepe teſtata, a Belgis ſemper memoranda fortitudo.

Tu calamitoſis temporibus Imperator Belgarum, de cuius intrepida fortitudine nunquam dubitavimus, dudum debueras animadvertiſſe, Belgas ſervare, opus eſſe Arauſionis Principum, & Naſſaviorum. Nullas Hagae videras his poſitas ſtatuas, quia ſic ſunt eorum merita duraturis monumentis inciſa, nullis ut inde queant machinationibus exſcindi.

Nobis, Populares optimi, nondum ſatis erat

ma-

malorum. Hulſto, Axela, captis, properabat ad Zomam victor, Bergas expugnaturus. Bergas, quia fuerant olim, inexpugnabiles arbitrabantur plurimi.

Trahitur obſidio diutiſſime. Löwendahlius, ſtratagematum ſcientiſſimus, atque inſignis Imperator, abitum interim minari velle videbatur. Nonnulli meminerant, quas a Graecis didicerant, artes bellicas in Graecorum perniciem convertiſſe Romanos; intelligebant etiam, Galliae Geometras & Tacticos artes perdidiciſſe Friſiacas Illuſtriſſimi Coehoornii.

Salve mihi Friſiacae Nobilitatis decus; ſalve mihi in hoc mortalium coetu, egregia Coehoornii anima.

Tu neminem reliqueras, qui moles artificioſas operum tuorum, a peritiſſimis militibus oppugnatas, tueri dignaretur; & . . . & Bergas habebat ad Zomam Löwendahlius, Galliſque per portas illapſis omnia luctu complebantur & cruore.

Bone Deus! quae fuit ad iſtum nuncium Zelandiae, ſuo mari velut emotae, trepidatio? quae noſtra, quae Belgii Foederati conſternatio? quae mens? mihi reluctanti licet lacrymae cadunt: humanam imbecillitatem excuſate. Sed ubi Tuus tum erat aequabilis ille vigor, Arauſiace Princeps? ad momentum horae defluxiſſe videbatur. Capita conferebant Optimates; Populus lamentabatur; nonnulli ſermo-

Digitized by Google

mones, alii venena ferere; ad ſolitas artes conversa plebes, poſtea demum eructandas, flammas minabatur. Plebe peiores exiſtimo fuiſſe, qui, praeſentis rerum ſtatus impatientes, illuderent ceterorum dolori.

Horum gaudium noſtrumque moerorem Deus noluit eſſe diuturnum.

Interim Auriacae domui mas deerat celſi Nominis tantarumque rerum certus heres. Tota domus recumbebat in Carolinam Friſiacam, inſignibus ornamentis, quibus aetas poteſt puerilis conveſtiri, decoratam Principem.

Alteram vero civium ſpem geſtabat utero Regia Princeps. Pro dulci hoc onere, pro gravidae matronae ſalute votis excubabant & Reges, & Principes, & Britannia, & Germania ſuperior, &, quas primas debueram nominaſſe, inferioris Germaniae ſeptem gentes Foederatae.

Tot populis, tandem legitima petentibus, & piis Mariae Ludovicae precibus Deus ſe paſſus eſt exorari.

Nos interea, fortunae computantes inconſtantiam, captas tamen ad Zomam Bergas indignati lugebamus.

Lugentibus nobis adhuc hanc iacturam, Hagae fauſtis acclamationibus omnia iam circumſonabant: nam, quem foecunda toties expetiverat, gremio Mater iam detinebat; &, ubi dicebatur maſculum enixa, altior fuit humano do-

dolore Regiae mulieris ſpiritus, ſuoque gaudio illacrymans Regium in ore puerili decus cupida demirabatur.

Iactent adulatores Philippi Macedonis, Alexandri natalem diem nuncio duarum victoriarum inſignem fuiſſe; iactent iſthoc omine praenunciatam Alexandro totius orbis victoriam; Infantis Nobiliſſimi, inter Belgas nati, cunabula, feliciora pacis omina decoraverunt.

Simul atque per aulas Europaeas nomen Burani Comitis percrebuerat, non tropaea, non cruenta reportavimus triſtis victoriae ſimulacra; ſed vera, ſed inexſpectata publicae tranquillitatis auſpicia Belgas & Europae faciem exhilararunt.

Res, quae bello finem impoſuit, non eſt ab homine Friſio diſſimulanda ſilentio. Veſter adfinis, Viri Nobiles, Excellentiſſimus Hobbo ab Aylva, Traiectum ad Moſam adverſus aſſultus magni Saxonis pertinaciter cum ſuis tutabatur, propter eruptionem illam, Gallis improviſam, ab ipſo Mauritio humaniſſime collaudatus; a vero ſpectatore virtutum Sereniſſimo Friſone, plaudentibus ſeptem populis, praemio laborum honeſtatus, propter egregium facinus in omnem poſteritatem nobilitatus.

Quando Friſiorum mentionem feci, nihil equidem ſilentio meo detractum velim Praeſtantium virorum laudibus, qui rebus adverſis nuper inclaruere plurimi. Horum nomina iucundum

dum erit a ſuis ſingulorum civibus vidiſſe celebrata. Me patriae charitas, me Friſiacae movet Nobilitatis amor.

Hanc adulationem eſſe dictitent in ſuis circulis homines vulgares & malevoli: nam, ſi quis vult ad inſulſas cavillationes, ad obtrectationes animum exercere, ambiat is, me ſuaſore, ſpecioſam hanc Profeſſoris togam. Dicam quod verum videbatur.

Clara fuit, Populares, nuperis praeliis, Rocouxiano, Lawfeldiano, ceterisque, Praefectos inter militares, Friſiorum, Nobilium inprimis, laus, & ſemper manebit memorabilis, ſuis meritis & geſtis eminentium, ac gregario militi, Belgica ſigna deferenti, fortiter obnitentium, Coenderſi, Schwartzenbergi, Aylvae, Burmaniarum, (eſt enim iſta domus nobilium pectorum, domi militiaeque praeſtantium virorum ferax) Burmaniarum, Groveſtinſi, ceterorumque; quos inter Hiemſtranus, Burmaniadis coniugis immemor, per vulnera ad pulcram mortem properavit.

Si hoc agere liceret, Excellentes iſtos viros exquiſitis laudibus cumularem; neque ſilerem Glinſtranos, Haerſoltios, Humaldas, Bouritios, Acronios, ſimileſque; ſed non inſtitueram panegyricum dicere.

En iterum nova ſubnaſcebatur rerum viciſſitudo. Olim arbitrabantur eſſe quamdam humanae felicitatis moderatricem invidiam. Spera-

Digitized by Google

rata certe pacis commoda corrupit inteſtina calamitas, peſtifera lues.

Non illam intelligo, quae necat armenta; (hanc etiam, quamdiu durabit, nobis, rerum cauſas ignorantibus, ad emendationem noſtram utilem futuram exiſtimabo:) ſed multo magis formidabilem diſcordiae peſtem.

Si viget liberis in civitatibus Proceres inter & cives concordia, ut hominum doctorum, ſic diſſenſiones Optimatum inter ſe publico ſaepe profuiſſe (†) cenſuerim. Cur ita cenſeam, exemplo patebit.

Memini, me puero, via decedentium civium digito monſtratos Friſios Optimates duo, ambo nobiles, facundos ambo, ambo capaciſſimae mentis, virtutibus excellentes ambo, ambo publicis ad Reges legationibus illuſtres. Hos acerrimo ſaepe ſtudio diſſenſiſſe cognovimus in adminiſtranda republica. Cur nunquam Friſiae nocuit iſta clarorum Procerum diſcordia? Quia praecipua de virtutibus erat inter ipſos aemulatio; quia curias intrantes, Romanorum inſtar veterum, ad limen velut pallium abiiciebant ſuorum amorem; &, ſola caritate pu-

(†) Lycurgus inter ſuae civitatis magiſtratus vigere voluit τὸ φιλότιμον καὶ φιλόνεικον; teſte *Plutarcho* in Ageſil. T. I. p. 598. B. in Eiusdem Apophthegm. Lacon. T. II. p. 232. C. interrogatus quamnam optimam cenſeret regiminis formam, dixiſſe fertur Charilaus: ἐν ᾗ ἂν περὶ ἀρετῆς πλεῖστοι πολιτευόμενοι πρὸς ἀλλήλους ἄνευ στάσεως ἀγωνίζωνται. conf. p. 813. B. C. quaeque de Attica republica a Melanthio di-

cta

publica conveſtiti, venerabiles ad collegas accedebant.

Iſtiusmodi diſſenſiones fuere Graeciae civitatibus ſaepenumero perutiles. Sed nullis unquam debet ſuſpicionibus interrumpi cives inter & Proceres concordia.

Plebs, ſeveritate Legum coërcenda, liberis in civitatibus omnium, quos eminere vident, virorum etiam doctorum, improvida ſemper fuit; Procerum inprimis & Nobilitatis, obtrectatrix (††); eadem illa tamen, libertatis inſidiatoribus inimica, acerrima malorum civium ſpeculatrix.

Cladibus, quas fuerant Belgae perpeſſi, victimae videbantur deſtinandae.

Praeter cetera, quosdam inter populos, invaluerant aſſuetudine nonnulla, quae bonis etiam civibus, in hoc Belgio contemptus & arrogantiae prorſus impatientibus, vehementer diſplicuerant. A longo tempore gliſcens invidia tandem erupit in dedecus, abolendum ſilentio.

Velut alter Menenius, Sereniſſimus univerſi Belgii Gubernator, blandis verbis ac ratione plebem compeſcuit, & ruptam inter cives con-

cta exhibet *Plut.* eiusdem T. II, p. 20. C. digna quoque lectu Ariſtidis ad Themiſtoclem *Herodotea* L. VIII, c. 79.

(††) *Thucyd.* p. 328. 1. πολέμου καθεστῶτος. ἀεὶ ἀνάγκη τοὺς προὔχοντας ἀπὸ τῶν ξυμφορῶν διαβάλλεσθαι. *Plutarch.* T. II. p. 813. A. παντὶ δήμῳ τὶ κακόηθες καὶ φιλαίτιον ἔνεστι πρὸς τοὺς πολιτευομένους.

concordiam auſpicato multis in locis redintegravit.

Praeteritis malis, quae boni cives nusquam adprobarunt ex animo, leniendis obliterandisque Thraſibulea lex oblivionis ſola fuit medicata.

Sed ne ſcaeva quidem indignitatis memoria debuerat a me ſanctiſſimi diei ſerenitas obſcurari.

Sancto Foedere, cuius formula quid aptius ad religionem animo movendam? ſancto Foedere pax fuit adfirmata.

Qui noverant, in longum tempus protrahi ſolere, variisque de cauſis interturbatos ſaepe publicos Legatorum conventus, populari facilitate credendi ſaepe deluſi, quando prima vulgabantur pacis auſpicia, quo ſe verteret improviſa pacificatio ſpeculantes, quicquid id erat, timebant tamen.

Vltra fas iterum timuiſſe clariſſime docuit eventus. Laetamini cives! pax, plerorumque iudicio rerum optima Chriſtianis, pax coaluit; prorſus, quod fatendum eſt, iſta tempeſtate temporis inſperata.

Poſtquam Bredani conventus infructuoſe fuerant interrupti, tantillo temporis ſpatio pacem firmam aequis legibus Aquisgrani potuiſſe fundari, tot inter eminentiſſimos Europae Principes, tot ſtudiis a ſe invicem disiunctos, poſteris prodigio ſimile videretur, niſi, paucis conſciis, agitata dudum ſecreta Principum ac conſi-

ſiliariorum aulicorum meditamenta tandem in lucem protraherentur. Sed & illa Deus moderatur.

Iactent alii, Galliae Principum, Saxonibus aliisque belli gloriam invidentium, pacem maturaſſe machinationes; inteſtina Regni mala bello feſſos decedere coëgiſſe; tacitas placuiſſe conditiones ſuſpicentur.

Nos Te Deum huius etiam pacis auctorem unicum celebramus, Regum animos Tuo numine flectentem.

Nobis Arauſionis Princeps optatae pacis ſequeſter, ut eſt, videbitur & moderator.

Nobis admiranda Legatorum laudabitur usque providentia, qui ſuos inter populos ſinguli togatae ſunt ſapientiae columina.

Ex Belgis facite de reliquis conjecturam. Quid Comite Bentinckio, doctorum hominum Maecenate, celſius? Quid inter Batavos Waſſenario nobilius? Quid popularius, quid ad Amſtelam Haſſelario conſule laudabilius? Borſſeleno Zelandos inter nihil nobilius: quid Ommone Harenio noſtrate toto etiam vultu laetius & generoſius? qui, Fratris exemplo ſuisque dotibus animoſus, excellentis Avi memoriam in ſe ſenſit Aquisgrani Legatos inter renovatam.

Tibi, ſi licet, pacem gratulor, populis Tuis deſideratam, Rex Galliarum Potentiſſime, Ludovice.

Si ſanguis, qui pectus calefacit, Borbonius,

 hi-

honoris aeterni fuit amore commotus; tot Principum iudiciis adeptus es non interituram gloriam; utinam noſtratium ſanguine non quaeſitam!

Nobis multo pulcriores ſpecioſis triumphis humanae videntur lacrymae, quae Regium os Tuum rigaſſe perhibentur, quando Fontenoiano praelio Grammontius, Craonius, Chevrierius, ceterique, Cumberlandi virtute domiti, cecidiſſe nunciabantur.

Admiramur magis Tuam ſecundis rebus magnitudinem animi, fortuna ſic utentis, ut alieni nihil in Belgio concupiviſſe videaris.

Proavorum, & Maximi prae ceteris Henrici IV, acceptorum a Foederatis Belgis beneficiorum memoris, conſtantiſſimam benevolentiam grati ſemper recordabimur.

Victoriis inclytus, Chriſtianiſſimi Regis titulum usque tueberis, &, ſi quid vota valent, longaevum Proavum aemulaberis ea parte laudabili, qua, Colberti conſiliis aurem praebere dignatus, artium fuit & doctrinarum altor.

Laetior ad Te, Sereniſſime Princeps, venerabundus accedo. Atque utinam in iſthac ſede praeſentem contueremur! Quum Friſiaca plebes eſſet agitata, Proceres & cives, omnes Te requirebamus, cuius conſpectu clamores odioſi fuiſſent & tumultus interrupti. Tandem tamen, exſpectatiſſime Princeps, media hieme veniſti; tandem populares oris Tui ſe-

re-

Digitized by Google

renitate hilaraſti; Friſiam paucis diebus pacaſti; munitus ampliſſima poteſtate nihil tamen innovaſti; ſaluberrimas leges, iam olim latas, ſed, ut humana ſolent, temporis obſoletas diuturnitate, ſapienter auctoritate Tua revocaſti: bonis omnibus ſatisfeciſti. Tantane Te premere debuerat negotiorum moles, quae meam ſpem ſufflaminaret? Si negotia paululum remiſiſſent, Franequeram veniſſes.

Animoſus huius honoris cupidine iſta quidem ſpe decidi; tamen – *ſatis eſt potuiſſe videri.* Quamvis abſentem Te, Princeps, compellabo.

Quando primus divinae voluntatis nuncius in Friſiam pervenerat, unus ego de multis tandem etiam in aulam reptavi, tot bona Tibi, ſed maxime, fatebor enim, Muſis gratulaturus. Tum temporis pauca proloquutus, hoc tandem die, quo Dei, ſemper hominibus optimi, praeſentiſſimam opem gratus experior, iucundo etiam audientium ſtudio concitatior, ore Belgico, id eſt libertatis, Te publice ſaluto, non Belgarum Dominum (quem titulum, ab Imperatore quoque Traiano repudiatum, ſuggerentes Tutemet, Belga natus, Princeps, acriter & ſapienter confutas) ſed Te ſaluto Reipublicae Patrem & Principem, ſeptem liberârum gentium & melioris Europae delicias, Doctorum hominum, cuiuscunque ſint gentis, Tutelare Numen; aut, ſi hoc ſeveris Friſiis

meis ſuperbum videtur nomen, ac nimium potens, bellatricis Doctrinarumque Deae ſacerdotem Auguſtiſſimum.

Inferioris ordinis caſti Muſarum ſacerdotes nos mutas artes excolimus otioſi; ſed, Poëtas & Hiſtoricos tractantes, ad claſſicum tamen incaleſcimus, & bello laudabiliter geſta miramur.

Adeo itaque laeti videbimus ſcholas, a Te fundandas, in quibus Belgica nobilior iuventus mares induat animos, & bellicas artes a claris edoceatur Mathematicis, inter nos viventibus, & per Europam ſparſis, magno laudum praemio in aulam invitandis.

Bellum, Princeps, ſine controverſia humanitatis malum; ſed in hac rerum ſcena malum eſt inevitabile, certis in rationibus Providentiae fundatum.

Foedus, ſancto ritu iuratum, nunquam, ambitione dominandi atque adulatorum laude caecatis, Regibus videbitur inviolabile.

Labentibus annis, & brevi fortaſſis alicunde prorumpentes ex ultimis Aquilonibus iniuriae Belgis etiam erunt propulſandae.

Nobis ad quietem atque ad otium Muſicum compoſitis pace nihil optabilius. Pacem Tu Belgis, cuius omnes indigebamus, feliciſſime conciliaſti: multis illa magnas adferet proximis annis utilitates: ſed pax nimis diuturna ſaepe populis, Belgis etiam, nocuit. . . . . . .

Quan-

Digitized by Google

Quanquam pacis multo maiores, quaedam tamen etiam belli ſunt commoditates. Bello ſpargitur pecunia, fomentum avaritiae, multorum vomica. Bello deſidia, filiola pacis, exterminatur. Bello Nobilitatis, quae domi latuiſſet, militiae claritas enitescit. Bello ſaepenumero vigent artes; acuuntur ingenia; virtus excitatur.

Patere, Princeps, ut pulcre pacem & cupide laudantibus, ut parcis pecuniarum diſpenſatoribus, ut aeraria publica vacuefacta bello vere clamantibus, interritus occinam: In bello creſcentibus Populis, ut haec certe gens, una forſan Europaearum, bello crevit Hiſpanico, belligerandum ad iniurias illatas.

Reipublicae fulcra, Mercatores, omnibus praerogativis excitandi, ſenſim eo perducantur, ut iſtas peregrinas merces, quae luxuriae ſint fomites, Belgio prohiberi patiantur. Adminiſtri Religionis avaritiam nunc tandem etiam & deſidiam expugnanto; cives ad obedientiam legibus praeſtandam, ad amorem patriae concitanto.

Iſthac via ſenſim ab avaritia, luxusque nutrice deſidia, potentes & divites abalienati, pro pecunia laudem tandem honeſtam ſibi ſuisque paciſci deſiderabunt; atque amore Patriae commota gens Batavorum inprimis, populoſa, dives, onerumque patientiſſima, bellis exhauſta cupide replebit aeraria.

 Su-

Suſpicor equidem, in una Amſtelaedamo maiorem hodie auri vim recondi, quam in VII Populis reperiretur ante hos centum ſeptuaginta ſex annos, quando prima Dordrechti libertatis Belgicae pauperes Nobiles lineamenta deformabant.

Hoc pacto ſi belli nervus comparabitur, cur tandem iniuriis vexati Belgae bellare recuſarent?

Sed belligerantes Duces & milites, quos vivos praemiis exornas, poſt obitum, ſi pugnantes cecidere, publicis etiam videbuntur laudationibus honeſtandi: ego certe, ſi quid eſſet in me ingenii, ut eſt animi ſatis, illud in claros milites lubentiſſimus expenderem.

Is mos, Tuo, opinor, iudicio laudabilis, Athenis olim viguit. Ad nos usque perennarunt duae (†) hoc in genere orationes, ante duo millia annorum militum manibus iam tritae, Thucydidéa Periclis, atque Aſpaſiae Platonica.

Ad aeterna iſta exemplaria quodammodo aequiparandum Epitaphium eorum, qui ad Viennam bello Turcico ceciderant, condidit Regum opes animis aequans Iulius Caeſar Scaliger; quo forte fuit unus inter Eruditos iſtius aevi maior, filius Ioſephus Iuſtus, Mauritii Principis amicus & familiaris.

Ea

(†) Sub nominibus *Lyſiae* & *Demoſthenis* Ἐπιτάφιοι Λόγοι proſtant; ſed, meo quidem arbitratu, ingeniis Sophiſtarum multo digniores, quam *Demoſthenis* & *Lyſiae*.

Ea tum erant tempora, quibus ex Scaligeris, Douzis, Myliis, ab Europae Principibus, in rebus etiam civilibus, velut ex oraculo publico, reſponſa petebantur.

Conturbabar ad Scaligeri memoriam; ſed commodum obverſabatur epiſtola in laudem Scaligeri ad Henricum IV Imperatoria Mauritii manu ſcripta. Mauritii Principis epiſtola feſſas vires & ſpiritum renovari ſentiebam.

Ex iſto luto facti, unde Scaliger, Caſaubonus, Grotius prodiere, dubitem an reperiantur in Europa; ſed qui, longo licet intervallo proximi, veſtigiis eorum innitantur, ſuperſunt & in Batavis. Quinimo tales iam inveniſti.

Praeſentium modeſtiam non laedam; & merita virorum, quos gratia Tua dignaris, latenti in hoc terrarum angulo (mihi tamen iucundo, Muſarum ſacris valde commodo) nondum penitus innotuerunt. Praeter ceteros tamen Gerardum Meermannum noveram, inter Hiſpanos, Gallos, Italos, Germanos, ad quos excucurrit, ob doctrinam celebrem, eo in gradu a Te, plaudentibus nobis, collocatum, quem alumnus Scaligeri, inter eruditos Batavos vir optimus, Illuſtris Grotius olim occupaverat.

Et nos veteres avias non revelleremus de pulmonibus? Et nos noſtra bona non intelligeremus? Et nos Te, Princeps, non magni faceremus? qui ſolus poſſis obſecundare noſtris deſideriis, puro literarum amore concitatis, qui ſolus literis & nobis inſidiantes de latibulis ſuis poſſis expellere. Ila-

Habet etenim, Princeps, literata reſpublica ſuos ordines. Habent ſingula ſcientiarum corpora, velut civitates, ſuos Senatores, ſuum Populum, ſuam plebem, ſua etiam carcinomata.

Poſtremum illud genus curaturam reſpuit. Plebem placare poteris, parvam ſtipem oſtentando. Populo literatorum ſaepe nihil eſt invidioſius: qui ſapientes illiteratis videntur propter oris gravitatem, vana ſcientia ridicule tumentes, ſunt interdum a ſapientia longiſſime remoti.

Arbitror equidem, Primi ordinis eruditos, quique ſequuntur illorum a longinquo licet veſtigia, vacuos invidia, ſe invicem amantes, Docti Principis patrocinio felices futuros.

Hos inter, per omnes doctrinarum familias diſperſos, Poëtae (verſificatores in plebe latent) ſemper eminuerunt & Hiſtorici: Poëtae, quorum eſt antiquiſſima natio, nobile genus vultu praeferunt, & ore (pateris Princeps) liberrimo.

Tanta Poëtarum videtur ingenuis mentibus poteſtas, ut adulatores etiam Principum nos moveant, & reluctantes velut faſcino trahant tamen: ſed adulatores Ptolemaei Philadelphi, poſt Reges ortos ingeniorum nutritoris optimi: ſed adulatores Auguſti; cuius famam inter eruditos unum erga Ovidium inclementia violavit: ſed adulatores Ludovici XIV, Patris Poëtarum, quibusvis per Europam eruditis bene-

Digitized by Google

nefici. Epiſcopum Paderbornenſem vivum coelo collocarunt Batavi Poëtae; ſed amicum Francii, Poëtam, & Principem Ferdinandum.

Egregia Poetarum eſt hoc etiam tempore Belgas inter feracitas. Ingenia nobiliſſima carmine vernaculo Tuas laudes cecinere. Latini Poëtae multo ſunt pauciores, & latent in Batavis optimi; quos Tu, clementiſſime Principum, expugnabis beneficentia, victor animi, atque adeo Salomonis arbitratu maior, quam ſi triumphares urbibus expugnatis.

Hi, ſi quid auguror, ſomno nobiſcum excitati, hilariores nobis Muſas redituras laetabuntur, Tuasque virtutes concelebrabunt, &, non quia Regibus es potentior, ſed quia benignus es Princeps, & clemens, & facundus, veras Tuas dotes, ſtudioſis pectoribus amplificantes, duraturo carmine Latino perſequentur.

Qui Hiſtoricis monumentis, Tibi ſacrandis, res Belgicas poterunt propagare, reperiuntur & inter Batavos; &, ſi circumſpicere dignaberis, ad civilem ſapientiam, quae hiſtoriae eſt anima, totis viribus adſpirantes claros videbis & doctos iuvenes, hortatoris non indigos. Creſcit tamen, creſcit Principum ſuffragatione laudata virtus; & Caſtruccium Bonamicum in Italia nuperrime fabricavit Troiani Aquavivae Cardinalis familiaritas, & Caroli Borbonii, Neapolitani Regis, comitate temperata Maieſtas.

Gallica Lingua, Princeps, eſt admirabilis, ſuis

ſuis opibus dives, quibuscunque per Europam gentibus una omnium familiaris: ſed ante trecentos annos Gallice ſcripta paene iam in oblivionem cecidere: qui floruit ante annos ducentos non niſi a paucis Michaël intelligitur Montanus, Latino ſermone non mutabili ſcripta vivunt in longam ſeculorum ſeriem; conduntur duratura.

Latinis literis conſignatas res Graecorum & Romanorum, Tu, paene puer, Franequerae iam admirabaris, Weſſelingi facundia ſic in facile pectus inſinuatas, ut velut theſauro conditas quotidie nunc poſſis ad uſus publicos expromere.

Res ſunt admiratione Tua dignae, paululum tamen amplificatae, quia fuerunt a magnis ingeniis celebratae, & cunctante ſtylo membranis inaratae.

Ingeniorum iſtorum virtutes ornatiſſime nuper explicuit Medicus, & Poëta divinior, Albertus Hallerus, civitati cum aliis regendae admovendus Philoſophus.

Hiſtoricorum animos in iſtam magnitudinem educarunt puri coeli temperies, amor honeſti, libertatis inprimis, Principum virorum favor.

Si primum illud naturae donum Belgis forte negatum; Thebis nati fuere Pindarus & Epaminondas. Etiam Tui cives aëri obluctabuntur, ſi mentibus ipſorum alendis roborandisque reliqua ſuppeditaveris. Et facis, Potentiſſime Princeps, & ſemper facturum Te non ominor, ſed confido.

Ce-

Digitized by Google

Ceterum rata faxit Deus vota, quae pro Te, pro Regia Coniuge, pro Carolina Principe; pie nuncuparunt duo Praeceptores mei, Hemſterhuſius & Weſſelingius, illud memorabile par hominum, qui, quaſi tributum invidiae, celſarum mentium ſemper inimicae, fuiſſet perſolutum, vivi ſuis titulis Tuoque favore perfruuntur.

Patere nunc tandem, Sereniſſime Princeps, ut ad momentum horae pacifica Illuſtris Filioli Principis cunabula ſalutem.

Salve iuventutis Batavae Princeps, altera ſpes Belgii, Populorum amor, Dei cura.

Humanis laudibus non indiges, cuius natales pacis auſpiciis Divina bonitas per Europam illuſtravit.

Magnis auctibus creſce celeriter, Heroum progenies; &, quamprimum adoleverint vires, amantes Tui Populos perambula.

Sed ante omnia veni ad veros Maiorum Tuorum amicos, in Friſiam veni, Celſiſſimi Parentis, ſororis Carolinae Patriam. In avita domo Nepotem amplecti deſiderat iſtarunce mulierum optima Maria Ludovica, tacitis votis pro Tua ſalute ſemper apud Deum excubans.

Poteris etiam Leovardiae Maiorum imagines intueri. Poteris & inter Friſios egregiorum facinorum enarratores invenire, flammam amoris in iuvenili pectore concitaturos, non ſedandam, niſi Avorum, virtutes illorum imitando, gloriam adaequaveris. Si malueris vivas

&

& domeſticas illarum imagines exhiberi, Paternas candide teſtificabimur, & Avunculi Cumberlandi, atque Auguſtiſſimi Avi, Populos in pace regentis, dotes Imperatorias.

Si ſemel adoleſcenti Tibi Franequeram venire collibuerit, & hoc templum, hanc ſedem exornare, Pacis artes & Muſas Tibi commendabimus. Longam contexemus Principum ſeriem, qui ſolo Literarum & Literatorum hominum patrocinio famam fuerint aeternam adepti.

Magiſtris vix indigebis, in cuius blanditiis Sereniſſimus Parens iam nunc curas amat & ſollicitudines deponere.

Is exemplo, ſi quid vota valebunt, potentiſſimo Te formabit in Principem Arauſionenſem. Hoc magiſtro doceberis, amorem Populi fideliſſimum ſemper Principum fuiſſe cuſtodem; nihil eſſe quod Principem magis deceat clementia, Muſices amore, eruditorum tutela, turbulentorum, quales bonis civibus iure ſunt odioſi, turbulentorum hominum contemptu. Hoc magiſtro doceberis, nulla re Numen aeternum ſanctius a Principibus & Regibus coli, quam ſi, ad eius imaginem, omnibus benefaciendo ſe compoſuerint.

Si Belgis adeo *dabitur* eſſe fortunatis, *ut iſtas* Celſiſſimi *Patris virtutes* veras & pacificas *in Te poſſimus contemplari redivivas, — ego me nunc denique natum Gratulor.* DIXI.

L. C. V.

L. C. V.

O R A T I O

SIVE

D I A T R I B E,

De Philippi Amyntiadae indole, virtutibus, rebusque geſtis, cauſis externis fractae Graecorum libertatis,

[*Habita Franeq.* CIƆIƆCCLX.]

Veterum locis, quibus ſingula nituntur, nunc demum communita.

Quicunque otium veſtrum ad hiſtoriam, ad nova legenda quotidie confertis, Auditores Honoratiſſimi, nunc etiam otioſi in alium orbem, in aliud vos theatrum traduci ſinite.

Graecos ibimus ſpectaturi circa tempus illud, quo ſic illorum fracta fuit libertas, ut integram nunquam poſtea recuperaverint.

Primus mortalium durabilem Graecarum civitatium infregit libertatem Philippus e Macedonia, ne dicam Amyntae filium obſcurioris, pater Alexandri, qui acer & gloriae cupidiſſimus adoleſcens, quandoquidem quietas Aſiae

gentes velut *calamitoſa tempeſtas pervaſit*, *peſtis ac pernicies Aſiae* verius fuit a Magis dictus, quam in hiſtoria meruerat adpellari Magnus Alexander.

Dicere primum decreveram, Auditores, de cauſis fractae Graecorum libertatis a Philippo Macedone; non a fortuna, non a fatali quadam neceſſitate repetendis; ſed a Regis ingenio, Graecorumque iſtius aevi moribus.

Huius aetatis mores inſtituebam ad mores comparare maiorum, atque in hac comparatione cauſas eventus admirabilis inveniebam praecipuas.

Sed ſubductis computatisque rationibus, &, quid vos audire, & quid me deceret dicere, conſiderans, protinus materiae luculentae, quam neque tempus caperet Academicae declamatiunculae deſtinatum, partem ſeponendam eſſe iudicavi.

Dicam itaque hac hora tantum *de Philippi Macedonis*, *Amyntae F. indole*, *virtutibus*, *rebusque geſtis*, *cauſis externis fractae Graecorum libertatis*; atque huic Orationi de Graecis intertexam non-

(1) De Iaſone Pheraeo vid. *Diodor. Siculus* XV, c. 60. *Iſocrates* in Philipp. p. 106. c. D. *Iac. Perizonius* in *Aeliani* V. H. p. 696. Quam de illo Spartae habuit orationem Polydamus Pharſalius, memoriae prodidit *Xenophon* Ἑλλ. VI, p. 339, 340. Iudice *Xenophonte* p. 350, 38, Iaſon μέγιστος ἦν τῶν καθ' αὐτόν· qui p. 351, 5, ὁ δ' ἀνὴρ, inquit, τηλικοῦτος ἦν,

nonnulla, quae non parum ad res inclinandas habuiſſe videbuntur momenti.

Omnibus civitatibus nativa primum libertas alibi terrarum, in Oriente praeſertim, mox imminuta, degeneravit in ampliorem Regum dominationem, atque in imperium plerumque tyrannicum.

Sed inter Graecos, avitae ſemper libertatis ſtudioſiſſimos, forma Rerumpublicarum, pro mobilitate populorum ſaepe variata, diutiſſime tamen ſic permanſit, ut ſola propemodum terrarum omnium Graecia vetus ad Philippum usque nunquam dominum agnoverit; documento mortalibus, quid poſſit exercitata virtus.

Imperio Graeciam univerſam premere primi magno ſuo malo tentarunt Perſarum, ſive totius Aſiae qua late patebat tum temporis nota, praeter Indiam, potentiſſimi Reges, Darius, & Xerxes.

Principem certe Graecum neminem in hiſtoria memini me legere, qui ante Philippum adfectaverit in univerſam Graeciam imperium, praeter (1) Iaſonem Theſſalum, adverſarii Po-

ας, ϗ τοσαῦτα ϗ τοιαῦτα διανοούμενος, — (8) ὑπὸ νεανίσκων ἑπτὰ — ἀποσφάττεται ϗ κατακόπτεται. hoc velut ab *Ephoro* traditum, adnotavit *Diodorus* XV, c. 60, as. Quod de Iaſone obſcure tantum innuit *Xenophon* p. 351, a, non dubitanter tradidit Sophiſta *Aelianus* apud *Suidam* in v. [illegible].

Polydamantis Pharſalii oratione Spartae collaudatum.

Sed Theſſaliae Principem magna meditantem mors oppreſſit violenta, circiter eodem temporis articulo, quo mortuus Amyntas Philippum filium reliquit tredecim annos natum adolescentulum.

Qui ante Amyntam in Macedonia regnaverunt, horum nomina plerorumque minus ſunt illuſtria, praeter illud Alexandri, qui temporibus Perſicis obſcurum ante Macedonum nomen a Perdicca Rex octavus primus (2) nobilitavit.

Mortuus Amyntas filios ex Eurydice ſuſceptos reliquit Alexandrum, Perdiccam, & Philippum. Commodum Athenienſes verſus Amphi-

---

(2) Quem *centum potiore ſignis Munere* donavit *Pindarus*; ut liquet ex *Dionyſ. Halicarn.* T. II. p. 292, 14.

(3) Non enim *Eurydice*, quod ſcribit *Corn. Nepos* in Iphicr. *cum duobus liberis*, — *ad Iphicratem confugit*; ſed, *Aeſchine* teſte in Orat. de Falſa Legat. p. 31, 43, μετεπέμψατο αὐτὸν Εὐρυδίκη, ϗ — Περδίκκαν μὲν — καταστήσασα εἰς τὰς χεῖρας τὰς Ἰφικράτους, τὸν δὲ (Φίλιππον) εἰς τὰ γόνατα τὰ ἐκείνου θεῖσα, παιδίον ὄντα, εἶπε &c. — p. 32, 6, ἀκούσας ταῦτα Ἰφικράτης ἐξήλασε Παυσανίαν ἐκ Μακεδονίας, ϗ τὴν δυναστείαν ὑμῖν ἔσωσε.

(4) In his ſequutus ſum *Diodorum* XV. c. 67. cui concinit ſic iſta narranti *Plutarchus* in Pelopida p. 291. F. ſed; quod animadvertit *Weſſelingius* p. 56. *Diodorus* ſibi non conſtat. & paene verum arbitror, quod ponit *Olivier* dans *l'Hiſtoire de Philippe* T. I, p. 32, 33. quanta tamen ſit in hac re decernenda diffi-

phipolin ſpeculatorem miſerant Iphicratem. Huic ad ſe vocato (3) perſuaſit Regina mater, artes feminеas perdocta mulier, ut ſe filiosque ſuos tueretur.

Captus muliebribus blandimentis miles Atticus novum advenam Pauſaniam, Regii ſanguinis Principem, exegit Macedonia, regnumque paternum legitimo reſtituit heredi.

Regno potitus Alexander cum Pelopida, quem Theſſalis auxilio miſerant Thebani, ſocietatem iniit, fratremque natu minimum Philippum (4) Pelopidae fidei ſuae tradidit obſidem, qui Thebas fuit a Pelopida miſſus honeſte educandus.

Dum Thebis adoleſcens in (5) ſancta domo opti-

difficultatis docta monſtrat *Weſſelingii* adnotatio in *Diodor*. T. II. p. 82, 58.

(5) In ſancta domo] *Iuſtinus* VII, c. 5, *Thebis — obſes — prima pueritiae rudimenta in urbe ſeveritatis antiquae, & in domo Epaminondae ſummi & Philoſophi & Imperatoris, depoſuit*: ſecundum *Diodorum* XVI, c. 2, Thebani τῷ Ἐπαμινώνδου πατρὶ παρέθεντο τὸν νεανίσκον. at, Epaminondae domus, qui uxorem non duxit, paterna fuit honeſta quidem, ſed pauper, *Polymnidis*: ſic nomen bis etiam ſcribitur apud *Pauſan.* IV, p. 358. & VIII, p. 705. f. cuius non meminerat *Perizon.* in *Aeliani* V. H. II, c. 43. — Verius fortaſſe, quod tradit *Plutarchus* in Pelopida, in domo Pammenis educatum, p. 292. A. Φίλιππος παῖς ὢν ἐν Θήβαις παρὰ Παμμένει δίαιταν εἶχεν. Pammenes ille, cuius Imperatoris enarrat ſtratagemata *Polyaenus* V, c. 16, ſenior iuvenem etiam Epaminondam formaverat; *Plutarch.* T. II.

optimis artibus inſtitueretur, moritur Alexander, cui ſuccedens frater Perdiccas poſt quinquennium occubuit.

Huius mortis nuncius Thebas perlatus quum ad aures accidiſſet Philippi, noctu portis elapſus obſes aufugit, venitque in Macedoniam.

Supererat in Macedonia legitimus regni heres, mortui fratris filiolus, Amyntas. Puerum ille quidem Regem adpellabat, & contentus eſſe videbatur moderato Tutoris nomine. Sed undique bellis preſſi Macedones, &, neſcio qua religione moti, puero Patruum antetulerunt; atque ita blanda Macedonum (6) vi coactus Regnum ſuſcepit Philippus.

Hic a quantillis initiis in quantum virum excreverit (7) advertite quaeſo animum.

Rex factus Philippus iuvenis erat, nondum tres & viginti natus annos. Non ille genitus educatusque in ſpem regni, Thebis per aliquot annos in umbra Scholae latitaverat.

Ma-

T. II, p. 805. E. Ἀριστείδην μὲν γὰρ ηὔξησε Κλεισθένης. — Ἐπαμινώνδαν δὲ Παμμένης. absque teſte certiore non temere fidem adhibuerim *Libanio* T. II, p. 702. D. neque ſequerer *Weſſelingium*, alium *Libanii* locum illinc interpolantem in *Diodor*. T. II, p. 107, 1. De domo, in qua Thebis iuvenis vixerit Philippus, nihil tradens, veriſſime, ut puto, *Dion Chryſoſt.* Or. XLIX, p. 537. D. ἐν Θήβαις, inquit, ὁμηρεύων Πελοπίδᾳ τε συνῆν ἀνδρὶ πεπαιδευμένῳ. — καὶ Ἐπαμινώνδου τά τε ἔργα ἑώρα καὶ τῶν λόγων δὲ ἤκουσεν.

(6) *Iuſtinus* VII, c. 5, f. *Philippus diu non Regem*

Macedoniam invenit inopem & continuis bellis exhauſtam; Macedonas graviſſima, quam victi nuper ab Illyriis acceperant, clade debilitatos.

Hinc Illyrii, veteres hoſtes, hinc Thraces, hinc Paeones, bellis induratae atque indomitae nationes, adverſus Macedonas inſurgebant.

Pauſanias, cuius paulo ante memini, nunc tandem in avitum Regnum redire meditabatur, a Thraciae Rege reducendus.

Alium ex iſta familia Principem Argaeum Macedonibus Regem obtrudere conabantur Athenienſes.

Tot tantisque terroribus undique circumſtantibus animoſus adoleſcens, ſuam vim inſitam ſentiens doctrina Thebis corroboratam, tot, inquam, terriculis Philippus impavidum pectus obiecit; arte atque induſtria omnia ſuperavit impedimenta, ea tandem quinque & viginti annorum ſpatio peregit, ut Macedo-

niam

---

gem ſed tutorem pupilli egit: at, ubi graviora bella imminebant, ſerumque auxilium in exſpectatione infantis erat, compulſus a populo regnum ſuscepit.

(7) Conf. *Diodor. Sicul.* L. XVI, c. 1, & c. 95, &, cum proximis, L. XVI, c. 2, & 3. In Excerptis ex *Diodori* L. XXXII, T. II. p. 589. Φίλιππος ὁ Ἀμύντα, διαλύσας Ἰλλυριοῖς τὴν ἡγεμονίαν παραλαβὼν, τοῖς ὅπλοις ἅμα καὶ τῇ κατὰ τὴν στρατηγίαν ἀγχινοίᾳ τὴν βασιλείαν ἀνεκτήσατο· ταύτην δὲ μεγίστην τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην δυναστειῶν κατεσκεύασεν, ἐπιεικῶς προσφερόμενος τοῖς κρατηθεῖσι.

niam reddiderit multarum gentium dominam, hoſtibusque omnibus debellatis tantum inter Graecos unus omnium & primus valuerit, ut totius Graeciae terra marique conſtitueretur Imperator.

Indoles fuit in Philippo iuvene magna, quam doctrina Thebis & exempla promoverunt Epaminondae, Pelopidae, ceterorumque, quorum ingenia clara tum Thebis uno velut edita fuerant partu.

Olim etiam in ſcholis multa iuvenibus tradebantur (qualia ſemper fuere tradita,) diſcenda, quae ex umbra prodeuntibus in lucem nulli eſſent uſui, atque ad nova quaeque ſtupentibus dediſcenda. Nihil ille Thebis didicit niſi quod igno-

(8) Quod ſcribit *M. Olivier dans ſon Hiſt. de Philippe* T. I, p. 33, in paterna Epaminondae domo datum Philippo praeceptorem *Nauſithoum* Philoſophum Pythagoricum, nullo, ut equidem arbitror, teſte nititur: hoc unum narrat, incertum quo auctore, *Clemens Alex.* Paedag. I, p. 130, 25, Ἀχιλλεῖ μὲν παιδαγωγὸν τὸν Φοίνικα φασὶ γεγονέναι — Ἀλεξάνδρῳ δὲ Λεωνίδην· καὶ Φιλίππῳ Ναυσίθοον. — Λεωνίδης δὲ &c. — — οὐδὲ Ναυσίθοος μεθύοντα τὸν ἐκ Πέλλης ἰάσατο. ſed potuit puer in Macedonia Nauſithoum quemdam habere paedagogum; quem quis tandem dixit Pythagoricum? Thebis Philippum erudivit, quem Epaminondas Philoſophiae habuerat praeceptorem, Pythagoreus: *Diodorus Sic.* II, p. 82, 63 conf. p. 32, 95. *Lyſis* is ipſe dictus fuit etiam a *Diodoro*, ut liquet ex Excerptis p. 556, 78. *Thebanum Epaminondam* erudiviſſe *Lyſis Pythagoreus* dicitur, ut a *Cicerone* de Off. I, c. 44. *Cornelio*

ignoraſſe detrimento fuiſſet adoleſcenti regio. In iſthac urbe ſeveritas antiqua morum adhuc durabat, quam dudum vicinae ſpreverant Athenae, utpote ingeniis elegantioribus florentiſſimae. Qui huc forte conceſſerat ex Italica calamitate ſuperſtes, ſenem quemdam (8), disciplina Pythagoricum, habuit Philippus praeceptorem, eumdem illum, qui fabricaverat Epaminondam, ingenium illud capitale. Praeter cetera, callebant Pythagorae diſcipuli popularem etiam Philoſophiam, amicam humanitatis, & Geometricas artes, & Mechanicas, & diſciplinam Militarem.

Prodierunt ex hoc ſodalitio non civitatum tantum Rectores optimi, ſed & bellicis artibus emi-

lio Nepote, ſic conſtanter etiam a Graecis ſcriptoribus, *Plutarcho* T. II. p. 579. D. *Pauſania* IX, p. 735. *Diogene Laërt.* VIII, 7. ceteriſque, quos nominat etiam Cl. *Tourreil dans ſa Preface Hiſtorique des Philippiques de Demoſthene*, opuſculo docto & laborioſo: a *Dione Chryſoſt.* Or. XLIX, p. 537. D. Thebis dicitur Philippus amicis uſus Pelopida, Epaminonda, ἅμα (vulg. ἄλλα) Λύσιδι ὁμιλήσας τῷ Πυθαγόρου μαθητῇ. Sed nobilis iſte Pythagorae diſcipulus *Lyſis* iam ante illuc abiiſſe ſenex videtur, quam Thebas Philippus duceretur: vid. *Weſſeling.* in *Diodor.* II, p. 82. *Dodwell.* diſſ. de aetate Pythag. p. 216. & ſeqq. *Dodwelli* ſententiam ſibi refutandam ſumſit *R. Bentlej.* in Reſponſ. ad Cenſuram *Car. Boyle* p. 43. & ſeqq. ſtatuitque tandem, duo fuiſſe Pythagoreos cognomines *Lyſides*, quos hiſtorici permiſcuerint.

eminentiſſimi: ſaepius a civibus ſuis creatus Imperator, Tarentinus Philoſophus *Archytas* (9) acie nunquam niſi victor exceſſit.

Vivum illud virtutis exemplar Epaminondam habuerat praeter ceteros Thebis, quod exprimeret imitando. Si non omnem (10) potuit arripere celſi vim animi moderationemque Philoſophi, bellicam tamen Imperatoris virtutem & tum didicit, & ſemper fuit aemulatus. Sic in media Graecia Philippus educatus artes perdidicit, quibus poſtea Graecos ſuperaret fatalis ille Graecorum libertati Imperator.

Virtutem cum dico Philippi, ſimiliumque, civilem duntaxat aut bellicam intelligo, non qualem nos, melioribus Sacris initiati, didicimus, non qualem inter Graecos, in iſthac veri-

(9) *Aelianus* V. H. VII, c. 14, Ἀρχύταν εἵλοντο ἑξάκις στρατηγὸν Ταραντῖνοι. *Diogenes Laërt.* VIII, (conf. & §. 79.) 82. Ἀρχύταν τὸν Πυθαγορικὸν Ἀριστόξενος φησὶ μηδέποτε στρατηγοῦντα ἡττηθῆναι.

(10) Etiam in Philippo, patriae ſuae vaſtatore, humani quid paſſus, *Plutarchus* in Pelopida p. 292. A. ϗ ζηλωτὴς, inquit, γεγονέναι ἔδοξεν Ἐπαμινώνδου, τὸ περὶ τοὺς πολέμους ϗ τὰς στρατηγίας δραστήριον ἴσως κατανοήσας, ὃ μικρὸν ἦν τῆς τοῦ ἀνδρὸς ἀρετῆς μόριον· ἐγκρατείας δὲ ϗ δικαιοσύνης ϗ μεγαλοψυχίας ϗ πρᾳότητος, οἷς ἦν ἀληθῶς μέγας ἐκεῖνος, οὐδὲν οὔτε φύσει Φίλιππος οὔτε μιμήσει μετέχεν. qui haec de Epaminonda, ſcripſit idem *Plutarch.* in Erotico T. II, p. 761. D. Ἐπαμινώνδας ἐρωμένους ἔσχεν Ἀσωπικὸν (ſcrib. Ἀσώπιχον talia fuerunt nomina *Amyntichus*, *Leontichus*, *Thyonichus*, &c.) ϗ Καφισόδωρον,

ὃς

ritatis caligine, frigidus in ſchola magiſter ſuis admiratoribus commendabat; ſed qualem civitatibus utilem exercuerunt Lycurgus, & Solon, & Epaminondas, & Africanus Scipio, & ambo Catones, & M. Antoninus.

De Philippi moribus atque ingenio inter ſe pugnantia tradiderunt nobis veteres.

Demoſthenes, ſed acerrimus libertatis amator, ſed oſor Regii nominis & Philippi, ſed concionator, a cuius ore credula plebes Attica pendebat attonita, *Demoſthenes* Philippum traducit ut hominem barbarum, ut perfidum, ut periurum, ut improbum, ut inſidiatorem, ut latronem. Horum ſimilia etiam plura prodidit de Philippo *Theopompus* (11), acerbus ille Magnorum virorum quorumvis & male-

ὅς αὐτῷ συναπέθανεν ἐν Μαντινείᾳ, καὶ τέθαπται πλησίον. fide nituntur iſta maledici *Theopompi*, memorantis apud *Athen.* XIII, p. 605. A. Ἀσώπιχον τὸν Ἐπαμινώνδου ἐρώμενον. Quo tempore Thebas venit ad eius abſtinentiam tentandam Diomedon Cyzicenus (conf. *Stobaei* Flor. p. 66, 27.) τινα Μίκκυλον *habuiſſe* perhibetur. *Plutarchum* egregie refutat *Olivertus dans ſon Hiſtoire de Philippe* T. I, p. 35. & ſeqq.

(11) *Theopompi* de Philippo maledicta nobis conſervavit *Athenaeus* IV, p. 167. A. B. C. VI, p. 260. A. B. C. E. F. p. 261. A. X, p. 435. A. B. C. — In his etiam invenientur pleraque p. 260. E. F. quae Theopompéa reprehendenda iure ſibi ſumſit *Polybius* p. 1376, 1377. quaeque notat *Demetrius* περὶ Ἑρμ. §. XXVII. — Quas ſibi e diverſis gentibus ſumſit uxores,

ledicentiſſimus cenſor: hunc in Philippicis ſequutus eſt *Trogus* (12), atque adeo *Juſtinus*; apud *Juſtinum* reperta tranſſcribens *Paulus Oroſius* cupide novis etiam criminibus Philippum onerat.

Quae in Orationibus *Demoſthenis*, quae dominabatur in *Theopompi* Philippicis invidia, hiſtoricorum aliorumque debilitata teſtimoniis, dudum conſenuit, veſtrumque neminem commovebit.

Demoſthenis & *Theopompi* criminationes ſi in altera lance poſueritis; in altera laudum teſtimonia, quibus Philippum ornarunt *Platon*, *Ariſtoteles*, *Theophraſtus*, *Iſocrates*, *Polybius*, *Cicero*,

---

res, atque ex illis procreatos liberos, ex vita Philippi a *Satyro* ſcripta, recenſuit *Athenaeus* XIII, p. 557. C. D. E.

(12) *Trogus*] Vid. tamen quae eleganter & docte disputat *Claudius Matthias Oliverius* dans ſon *Discours Préliminaire* p. XX. & dans ſon *Hiſt. de Phil.* T. II, p. 174. &c.

(13) *Polybiana*, quibus a *Theopompo* ſcripta de Philippo refutantur, legi poterunt in *Ed. Gron.* p. 1375, 1377—1380. — alia eiusdem in laudem Philippi ſcripta L. IX, p. 787, 788, & V, p. 500.

(14) *M. Olivier* dans ſon *Discours Prélimin.* p. V, „ Theophraſte appelle Philippe le plus grand des „ Rois que les Macédoniens ayent eu avant & après „ lui": — *Theophraſto* tribuit quae *Pauſaniae* fuerant tribuenda: non multum quidem huius diſſimile de Philippo iudicium *Theophraſti* praebet *Plutarchus* T. II, p. 177. C. ſed iſta legerat *Oliverius Pauſaniae* VIII,

ro, *Diodorus*, hae longe praeponderabunt: bonus inprimis hiſtoricus *Polybius* (13) certis rerum documentis egregie Theopompéa refutat mendacia ſibimet ipſi contraria ſcribentis.

Mihi *Pauſaniae* (14) iudicium non multum a vero videtur abhorrere, cenſentis Philippum rebus geſtis omnes longe ſuperaſſe Macedoniae Reges; optimum virum dici non poſſe, qui pacta iurando firmata ſaepe violaverit.

Et certe, quomodocunque laudabitur a me Philippus, non ille rigidae iuſtitiae ſatelles, ſaepe, quod fatendum eſt, ſanctum illud humanae ſocietatis vinculum (15), fidem, rupit, pacis & belli iura ſaepe neglexit.

Sed

VIII, p. 612. init. Φίλιππον βασιλέων μὲν τῶν πρὸ αὐτοῦ καὶ ὅσοι Μακεδόσι γεγόνασιν ὕστερον, τούτων μὲν πείθοιτο ἄν τις μάλιστα αὐτὸν ἔργα ἐπιδείξασθαι· στρατηγὸν δὲ ἀγαθὸν οὐκ ἄν τις φρονῶν ὀρθὰ καλέσειεν αὐτόν· ὅς γε καὶ ὅρκους θεῶν κατεπάτησεν ἀεὶ, καὶ σπονδὰς ἐπὶ παντὶ ἐψεύσατο, πίστιν τε ἠτίμασε μάλιστα ἀνθρώπων.

(15) Exempla, quibus poſtrema *Pauſaniae* confirmantur, exhibet *Iuſtinus* VIII, c. III, c. V. *Dion Chryſoſt.* Or. LXIV, p. 640. C. Φίλιππος ὁ Μακεδὼν ὁ διετέλει καθάπερ ἄλλό τι τῶν εἰς τὸν πόλεμον εὐχρήστων καὶ τὴν ἐπιορκίαν παρεσκευασμένος, καὶ δυοῖν τούτοιν τὰς πόλεις αἱρῶν, τῷ παρασπονδεῖν, καὶ τῷ τοὺς προδώσοντας παρασκευάζειν; in *Luciani* Dialogo (T. I, p. 396.) ad Philippum Alexander: οὐ προδοσίαις ὠνούμενος τὰς νίκας ἐκράτουν αὐτῶν· οὐδ' ἐπιώρκησα πώποτε, ἢ ὑποσχόμενος ἐψευσάμην, ἢ ἄπιστον ἔπραξά τι τοῦ νικᾶν ἕνεκα. *Maximus Tyr.* p. 411. f. οὐδὲν Φιλίππῳ ἀπώμοτον, &c. conf. *Aeliani* V. H. VI, c. I, p. 445. VII, c. XII.

Sed temporibus ſe attemperaverit; ſed dolo fraudibusque hoſtes ille ſuos circumvenerit; ſed peſſimis animi vitiis virtutes ſuas deformaverit; nihil impediunt iſta, quominus Imperatoriis dotibus & ſuperioris & ſuae aetatis duces longe ſuperaverit.

Veri nominis virtus, ſibi ſemper conſtans, & virtus Imperatoria, ſunt res valde diverſae, quae, ſi licet ex tot exemplis coniecturam facere, vix in unum hominem cadere poſſe videntur.

Vnum vix alterumve ex antiquitate Graeca, Romana, magni nominis & bellica virtute clarum Imperatorem commemorae poteritis, qui in univerſum vir bonus dici meruerit, ſecundum noſtrum cogitandi modulum, aut etiam ſecundum normam veteris Philoſophiae.

Neque Philippo diſplicuit Iulio Caeſari probatum peſſimum dictum Eteoclis *Euripidei*, *ſi violandum eſt ius, regnandi gratia violandum eſt;* & fuit in multis qui Romanam fregit libertatem (16) Caeſar Philippi ſimillimus.

Magnorum iſtiusmodi ingeniorum morbus eſt inſanabilis imperii nimia cupiditas. Regno non

(16) Caeſarem, non Alexandri, ſed Philippi fuisſe ſimillimum, Graece & Latine eruditiſſimus eleganter oſtendit *M. de Tourreil* dans ſa *Preface Hiſtor.* p. 57—73. Operum ed. renovatae T. II, p. 71 & ſeqq.

non contentus paterno Philippus magis amplum deſiderabat theatrum, in quo magnitudinem explicaret ingenii; quaevis mala tolerare per omnem vitam maluit, ut cupiditatem expleret animi, quam otioſus (17) & felix in Macedonia ſua latitare.

Poſſem hoc in loco, more ſcholaſtico, Principum virorum infelicitatem atque immoderatam habendi cupidinem lamentari; ſed vetus iſta cantilena ſurdos ad talia nihil movet, & hic certe fruſtra recantaretur.

Ambitione ſepoſita, cetera vitia Philippus magnis bonis aequavit aut redemit; atque ut virtutes Regis, ex antiquis Scriptoribus lento examine inter ſe comparatis, velut in tabella deſcribam, quibus ſui temporis Graecos ita cepit, ut votorum tandem fieret compos, „fuit „ Philippus Princeps comis & affabilis, facun„dus, facilitate & humanitate ſumma; benefi„cus, manſuetus, clemens, effundendae pe„cuniae longe magis prodigus, quam ſangui„nis. Exornatus doctrinae cultu ſtudia litera„rum nunquam intermittebat hominum litera„torum ſtudioſiſſimus. Erga bene de ſe meritos „ ſa-

(17) *Maximus Tyrius* Diſſert. XXXV, p. 411. Οἷος ἦν καὶ ὁ Φίλιππος, ᾧ κατὰ Μακεδονίαν ἐξὸν μένειν, καὶ ζῆν ἐπὶ τοῖς Ἀμύντου ἀγαθοῖς, καὶ τῇ Περδίκκου εὐδαιμονίᾳ, ἐξέστη ταύτης περιιὼν ἄλλοθι, ὥσπερ ἐκπεπτωκυίας τῆς Μακεδόνων γῆς.

„ ſapienter & in rem ſuam munificus, tempori ſe ſemper adcommodabat & hominum „ ingeniis. Rerum fuit ut adverſarum ſic ſecundarum tolerans; irae ſaepe victor animique, non vindictae cupidus, ſemper quarumvis iniuriarum & contumeliarum patientiſſimus. In victu cultuque plerumque frugalis, ubi relaxandus erat animus, aut ita res poſcebat, a vino non alienus aut voluptate, in caſtris tamen ſobrius, continens, & exemplum antiquae ſeveritatis. In rebus excogitandis ſollers, & in exſequendis celer, Imperator fuit providens & cautus, qualemque necdum viderat elegantioribus notus terrarum orbis".

Imaginis huius lineamenta, quum ſuis facile ſingula poſſent coloribus illuminari, nonnulla retractando ſatis erit velut digito demonſtraſſe.

Civium ille ſuorum amans, ut Pater, Macedo-

(18) *Plutarchus* T. II, p. 177. c. Ἐπεὶ νικήσαντι τοὺς Ἕλληνας αὐτῷ συνεβούλευον ἔνιοι φρουραῖς τὰς πόλεις κατέχειν, ἔφη μᾶλλον πολὺν χρόνον ἐθέλειν χρηστὸς, ἢ δεσπότης ὀλίγον καλεῖσθαι.

(19) *Iuſtinus* IX, c. VIII, *Regnare cum amicis volebat; — Amari pater malle, (quam) metui*: *Cicero* de Off. I, c. 26, *Philippum — facilitate & humanitate video ſuperiorem* (filio) *fuiſſe; itaque — ſemper magnus — fuit.* Conf. *Diodor. Sic.* L. XVI, c. ult. Conviva commodus & amabilis iocis delectabatur: ſcripſerat, opinor, *Demoſthenes* in Olynth. II, p. 15. §. 26. περὶ αὐτὸν εἶναι γελοιαστὰς ϗ κόλακας non λη-

donas ſibi ſemper habuit devotiſſimos, & quos primum ſuos fecerat Theſſalos; bello ſubiectorum ſaepe priſtinam dignitatem amplificavit, ſemperque maluit (18) diu benignus adpellari, quam brevi tempore dominus.

A quibusvis (19) amari malebat, quam metui; & cum amicis, quos viros habuit excellentes, regnare, quam ſolus; a tyrannorum morbo nemini fidentium, ſi quis alius, purus & integer.

In omnibus Graeciae civitatibus amicos invenit & fautores. Haeſerat olim in animis Graecorum amor patriae libertatis; moribus mutatis alia nunc in Graecis habendi dominabatur atque auri prava cupiditas. Rex munificentiſſimus ubique locorum in Graecia proditores ſibi paravit, quorum atrum catalogum ex ingenio ſuo (20) *Demoſthenes* amplificavit: nam inter illos, quos Atticus orator turpi hoc no-

---

λῃστὰς, quod vulgatur: vid. *Athenaei Theopompéa* VI, p. 246. C. p. 260. C. X, p. 435. C. *Dionem Chryſ.* p. 30. B. *Thomam M.* in V. Δημάμενος.

(20) Proditores Graeciae memorantur a *Demoſthene* in Philipp. III, p. 71, §. 52. p. 72, §. 60. Or. de Cor. p. 142, §. 86, 87. p. 188, §. 495. Conf. *Harpocration* in Ἱερώνυμος· Κερκίδας· Κινέας· Μύρτις· Νέων. ex *Demoſthene*, cuius verba dedit *Weſſelingius*, *Diodorus* XVI, c. 54, φορά τις προδοτῶν ὑπῆρξε τότε κατὰ τὴν Ἑλλάδα. diciturque ab Alexandro *Luciani* Philippus I, p. 396, προδοσίαις ὠνούμενος τὰς πόλεις.

nomine dehoneſtavit, fuiſſe credibile eſt, non pecunia, ſed humanitate Regis captos, qui huius imperium anteponerent ſpecioſae libertati quae dicebatur, & ſuperbis dominis, plebi, quique plebem ducerent concionatoribus.

Proditores, quorum venales animas luculentis accendebat auctoramentis, quantilli fecerit, Olynthii documento ſunt Laſthenes & Euthycrates (21): his moleſte ferentibus, quod proditores audirent in Macedonia, ſuos ille cives ſic excuſavit, ut rudes eſſe diceret & agreſtes, qui ſcapham ſcapham vocando ſuo rem nomine deſignarent.

Dignos amicitia ſua libenter donabat. Qui frequentes in Macedoniam veniebant, Graecos, ut erant virtutis & humanitatis admiratores, omnes propemodum ingenii morumque cepit facilitate, homines inprimis literatos, quos nihil adeo movet, ac

Vi-

(21) Vid. *Weſſeling.* in *Diodor.* T. II, p. 123, 94. &, praeter loca illic indicata, *Demoſth.* de Cor. p. 142, §. 86. *Olivier. Hiſtoire de Phil.* T. II, p. 21. & ſeqq.

(22) *Macrobius* Saturn. II, c. VII. *Laberium*, inquit, *aſperae libertatis equitem Romanum Caeſar quingentis millibus invitavit, ut prodiret in ſcenam, & ipſe ageret mimos, quos ſcriptitabat:* exhibet tum Prologum, quem neceſſitate coactus egit in ſcena *Laberius*, Caeſari quidem honorificum, dignum tamen antiqua maieſtate Romana: inter iſtos novem & viginti ſenarios hi etiam proſtant:

Eques

Viri excellentis mente clemente edita
Submiſſa placide blandiloquens oratio;

quali Iulius Caeſar (22) *Laberium*, antiquis moribus & *aſperae libertatis* Romanum, ſic ſenem labefecit, ut in ſcenam prodiret, atque, aedibus *egreſſus Romanus eques*, *mimus* domum reverteretur. Caeſaris exemplar Philippus *Demoſthenem* tamen, durum illum & intractabilem, commovere non potuit, qui quosvis adverſarios expugnaverat humanitate ſua munifica: unus exemplo ſit (23) Nicanor; huius linguae intemperantiam ut ſupplicio refutaret incitatus Philippus ſe potius culpandum dicebat, qui virum egregium in anguſta re neglexiſſet: aegram partem corporis curari ſe malle, quam abſcindi: ſecreto hominem evocatum inſtruxit pecunia, qua grave ſublevaret onus; habebat enim pater tres virgines domi nubiles.

Irae

Eques Romanus Lare egreſſus meo
Domum revertar mimus: nimirum hoc die
Vno plus vixi, quam mihi vivendum fuit.

(23) De Nicanore horum ſimilia narrat *Plutarchus* T. II, p. 177. C. D. quae Pythiae tribuit *Frontinus* Strateg. IV, c. VII. §. 37. (vel 36.) Qui Nicanora detulerat, cum poſtea diceret Smicythus, ὅτι θαυμαστὰ περὶ αὐτοῦ πρὸς ἅπαντας ἐγκώμια λέγοι ὁ Νικάνωρ βασιλεῖ· ὁρᾶτε οὖν, ἔφη, ὅτι πρὸς ὑμᾶς αὐτούς ἐστι καὶ τὸ καλῶς καὶ τὸ κακῶς ἀκούειν.

(24) Elegans Leontis dictum, quo patriam Byzantium liberavit, exhibet *Philoſtratus* I. de vitis Soph.

 p. 485;

Irae ſaepe victor animique non liberiora tantum dicta (24) Leontis Byzantini, Demadis Athenienſis, & Corinthii Demarati tulit aequiſſimus, ſed urbibus expugnatis verae ſaepe dedit moderationis documenta.

Methonen dum oppugnaret, ſic de muro petulans iuvenis in Regem iaculabatur, ut ipſius oculum effoderet: cepit urbem Philippus, neque (25) corporis dehoneſtamento factus irritatior pacem dedit deprecantibus, ſuoque more fuit in victos mitiſſimus.

In nullam civitatem iuſtior forſan ira fuiſſet, quam

---

p 485; dicenti Philippo, ἡ πατρίς ἡ σὴ, καλλίστη πόλεων οὖσα, ἐπηγάγετό με ἐρᾶν αὐτῆς, καὶ διὰ τοῦτο ἐπὶ θύρας ἐμαυτοῦ παιδικῶν ἥκω· reſpondit Leon, οὐ φοιτῶσι μετὰ ξιφῶν ἐπὶ τὰς τῶν παιδικῶν θύρας οἱ ἄξιοι τοῦ ἀντερᾶσθαι. — Dictum *Demadis*, quo Regem, victis ad Chaeronéam Athenienſibus, petulantius efferentem ſe repreſſit, *Diodorus Siculus* adnotavit XVI, c. 87. — Demarati atque aliorum acerbiſſima dicta quam aequo tulerit animo, licet aeſtimare ex *Plutarchi* T. I, p. 669. c. T. II, p. 179. c. 178. E.

(25) Haec fide nituntur *Iuſtini*, *non moderatum tantum, verum etiam mitem adverſus victos fuiſſe*, ſcribentis in fine L. VII. Vrbem tamen ſolo aequatam narrat *Diodorus* XVI, c. 34. Vterque meminit oculi Regis in hac obſidione ſagitta effoſſi: de hoc vulnere, eiusque auctore Aſtere notarunt *Palmerius* & *Weſſelingius* in *Diodor.* T. II, p. 108. Fabellam nobis narrat velut ex *Calliſthenis* Macedonicis nugator ſub nomine *Plutarchi* T. II, p. 307. D. atque ex Codice iſtius libelli paulo meliore deſcriptam *Stobaeus* p. 92.: mihi quidem placent ab *Oliverio* ſcripta *Hiſtoire de Phil.* T. I, p. 193. ſed a veriſimilitudine non ab-

Digitized by Google

quam in Athenas. Qui toties illum exacerbaverant, victos tamen Athenienſes, clementiſſime tractatos, animi quoque vicit moderatione. Concionatorum Atticorum maledicentiam magno ſemper animo tulerat, quibus, utpote vitia ſua corrigentibus (26), multum ſe debere dictitabat; conniti namque, factis ut illorum dicta argueret mendacii. Contumeliarum quanta fuerit in illo patientia legati Democharis exemplo (27) *Seneca* demonſtravit.

Ne bella quidem ulla geſſit acerbe, gloriam quaerens atque ab omni remotus crudelitate. Si-

---

abhorrent, quae de Philippi paraſito narrat ex *Satyro Athenaeus*, cuius verba dedit *Abrah. Gronovius* in *Aeliani* de N. A. IX, c. VII. quaeque ſcribit *Demetrius* περὶ Ἑρμ. §. 313. Etiam indignum Sophiſta *Ariſtide* iocum memorat *Philoſtratus* p. 584.

(26) Τοῖς τῶν Ἀθηναίων δημαγωγοῖς ἔφη χάριν ἔχειν, ὅτι λοιδοροῦντες αὐτὸν βελτίονα ποιοῦσι· — πειρῶμαι γὰρ αὐτοὺς καὶ τοῖς λόγοις καὶ τοῖς ἔργοις ψευδομένους ἐλέγχειν. *Plutarch.* T. II, p. 177. E.

(27) *Seneca* de Ira III, c. 23, *ſi qua alia in Philippo virtus, fuit & contumeliarum patientia, ingens inſtrumentum ad tutelam regni. Demochares ad illum — inter alios Athenienſium legatos venerat: audita benigne legatione Philippus, dicite, inquit, mihi facere quid poſſum, quod ſit Athenienſibus gratum. Excepit Demochares: te inquit, ſuſpendere. Indignatio circumſtantium ad tam inhumanum reſponſum exorta eſt: quos Philippus conticescere iuſſit, & Therſiten illum ſalvum incolumemque dimittere. At vos, inquit, ceteri legati nunciate Athenienſibus, multo ſuperbiores eſſe, qui iſta dicunt, quam qui impune dicta audiunt.*

Simul atque clementiae daretur locus, amicos eodem ſaepe die, quo hoſtes habuerat, ſibi conciliavit, firmum iudicans imperium, quo gauderent obedientes. Vrbium captarum muros atque innoxia tecta incendiis aut ruinis violari noluit. Semel tamen, quod fatendum eſt, everſa Olyntho, ſeveritatis exemplum ſtatuit, ut etiam (28) metu continerentur Graeci. Sed, quos adeo miramur, Romani, dum armis & virtute terrarum orbem ſibi ſubiiciebant, an non monumenta tamen interea reliquere crudelitatis, everſam deletamque Carthaginem in Africa, in Hiſpania Numantiam, in Graecia Corinthum?

Literarum amans & venuſtatis ſapientes & eruditos facile cepit: ſupererant aetate *Gellii* libri Epiſtolarum Philippi, quas ille (29) *mundi-*

(28) In Excerptis ex *Diodori Sic.* libro XXXII, p. 589, 590, primum humanitas atque in victos Philippi clementia collaudantur; tandem metu dicitur imperium continuiſſe, κατασκάψας πόλιν μυριάνδρον τὴν Ὄλυνθον. tum, laudata Romanorum, dum imperium orbis fundarent, in victos lenitate, ſeveritatis memorantur exempla, Corinthus, Carthago, Numantia.

(29) Vbi leguntur iſta N. A. IX, c. 3, de Philippo *Gellius*, *quum*, inquit, *in omni fere tempore negotiis belli victoriisque affectus exercitusque eſſet, a liberali tamen Muſa & ſtudiis humanitatis nunquam abſuit. — Feruntur adeo libri Epiſtolarum eius*, &c. earum unam illic exhibet *Gellius*; aliam, ad Alexandrum ſcriptam, *Cicero* de Off. II, c. 15. Ad Senatum

ditiae fuiſſe teſtatur & *prudentiae plenas.* Non mirum itaque, ſi ſuae aetatis Philoſophos fecerit ille maximi, quos ſuarum haberet, ut habuit, laudum praecones, *Platonem*, *Xenocratem*, (30), *Speuſippum*, quemque primum nominare debueram *Ariſtotelem*.

Capax illud omnium disciplinarum ingenium non ſane miror ſi contemnitur ab huius aetatis hominibus *Ariſtoteles*, tanquam barbaricae Philoſophiae pater.

Hunc tamen *Ariſtotelem* (31) ex millenis elegit Philippus, & miles, & militaribus ingeniis adſuetus a puero, quem iuveni regio daret Alexandro praeceptorem.

Hic ſummi ingenii adoleſcenti doctrinae liberalis omnis amorem ingeneravit, & *Homeri*; ſanguinis temperare non potuit fervorem; neque

tum Populumque Athenienſem egregie ſcriptae ſuperſunt in Orationibus *Demoſthenis* nonnullae.

(30) Quae legitur inter Socraticas, a *Leone Allatio* vulgatas, XXVIII, eſt Speuſippi ad Philippum, in *Iſocratem* valde iniurioſa. *Aelianus* V. H. IV, c. 19, praeter *Ariſtotelem*, καὶ Πλάτωνα, inquit, ἐτίμησε καὶ Θεόφραστον. in eruditis, quos in expeditionibus comites ſibi adſumſit, patris certe fuit etiam Alexander diſſimillimus.

(31) *Dion Chryſoſt.* Or. XLIX, p. 537. C. Φίλιππος, ὃς δοκεῖ δεινότατος γενέσθαι τῶν βασιλέων, Ἀριστοτέλην ἐπηγάγετο τῷ υἱεῖ Ἀλεξάνδρῳ διδάσκαλον καὶ ἄρχοντα, ὡς αὐτὸς ὢν οὐχ ἱκανὸς παιδεῦσαι τὴν βασιλικὴν ἐπιστήμην. Notiſſima eſt epiſtola, quam filio ſibi nato ſcripſit *Ariſtoteli*.

que impedire, quominus ille ſuperbus evaderet, immoderatus, & crudelis.

Virtutem Philippus etiam in hoſte mirabatur & eloquentiam. Patriae (32), dicebat, libertatis amore qui me odit, hunc ut arcem nitar expugnare, dum vim animi laudo, patriamque tali cive fortunatam iudico.

Hoc nomine prae omnibus *Demoſthenem* admirabatur, & huius orationes vehementiſſimas; qualis, in Regem valde contumelioſa, cum coram Philippo recitaretur, indignanti (33) Parmenioni, iure ſuo, dicebat, hanc ſumit ſuperbiam, & de me maledicendi licentiam,

(32) Ore *Luciani* in *Demoſth.* Encom. T. III, p. 516, Philippus, ἔγωγε, ὦ Παρμενίων, ἔφη, εἰ μέν τις Ἀθηναῖος ὢν — ἐμὲ τῆς πατρίδος προτιμᾷ, τούτῳ ἀργύριον μὲν προείμην ἄν, φιλίαν δ' οὐκ ἄν· εἰ δέ τις ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἐμὲ μισεῖ, τούτῳ προσπολεμῶ μὲν ὡς ἀκροπόλει καὶ τείχει, — θαυμάζω δὲ τῆς ἀρετῆς, καὶ μακαρίζω γε τοῦ κτήματος τὴν πόλιν.

(33) *Lucianus* ibid. p. 515, Παρμενίωνος ἀγανακτήσαντος, καί τι καὶ σκωπτικὸν εἰς τὸν Δημοσθένην εἰπόντος, ἀλλ', Παρμενίων, ἔφη, δίκαιος ὁ Δημοσθένης παρρησίας τυγχάνειν· μόνος γέ τοι τῶν ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος δημαγωγῶν οὐδαμοῦ τοῖς ἀπολογισμοῖς ἐγγέγραπται τῶν ἐμῶν ἀναλωμάτων. & paulo poſt: θᾶττον ἂν τὸ Βυζαντίων τεῖχος ἕλοιμι μηχαναῖς, ἢ Δημοσθένην χρυσίῳ. de Xenocrate hoc dixiſſe traditur Philippus apud *Diogenem Laërt.* IV, 9. ὡς μόνος ἂν Ξενοκράτης τῶν πρὸς αὐτὸν ἀφιγμένων ἀδωροδόκητος. Amans libertatis atque oſor Philippi *Demoſthenes*, fueritne ſic abſtinens pecuniae, ut nullius ſe donis corrumpi paſſus ſit, inter veteres non convenit: *Plutarchus* quidem non videtur dubitaſſe, quin a Rege Perſarum dona

tiam, nuſquam expenſarum mearum rationibus inſcriptus; celerius etenim Byzantium admotis ceperim machinis, quam blandimentis aut auro *Demoſthenem*.

Ad has virtutes accedebant Imperatoriae, quibus nemo fuerat ante, quibus iſthac aetate nemo fuiſſe dicitur inſtructior.

Sed habuiſſe fatendum eſt prae Graecorum ducibus magna Philippum praeſidia.

Domi militiaeque ex unius omnia gerebantur arbitrio: Rex unus ſuarum ſibi rerum ſolus conſcius (34), ſolus Imperator, ſolus quaeſtor, ſolus arcana ſua moderabatur & conſilia. In

---

na acceperit, & poſtea viginti talenta ab Alexandri quaeſtore Harpalo, T. I, p. 852. c. 855. D. 857. D. E. alia dedit & *Olearius* in *Philoſtrati* vitam *Aeſchinis* p. 507. n. 6. Vrbanum Attici dicacis dictum, ex *Critolao* narratum *Gellio* N. A. XI, c. 9, exhibet & *Plutarchus* in Demoſth. p. 857. D. ubi δίκαιον in ἄδικον eſt mutandum: mihi quidem illud ad *Demadem* rectius relatum videtur a *C. Graccho* apud *Gellium* cap. ſeq. 10, L. XI. ſimpliciter *Diodorus*, rem in medio relinquens, πολλὰ, inquit, χρήματα φασὶν αὐτὸν εἰληφέναι παρὰ Περσῶν, ἵνα πολιτεύηται κατὰ Μακεδόνων, XVII, c. 4. conf. tamen *Diodor.* XVIII, c. 13, F. ex Harpalica *Demoſthenem* quid accepiſſe pecunia pernegat *Pauſanias* II, p. 190. &, cur illud neget, argumentum adfert minime contemnendum. *Polemonis* Oratio a *Philoſtrato* memoratur p. 538, huius argumenti: Δημοσθένης ἐξομνύμενος ταλάντων πεντήκοντα δωροδοκίας, ἣν ἦγεν ἐπ' αὐτὸν Δημάδης, ὡς Ἀλεξάνδρῳ τοῦτο Ἀθηναίοις ἐκ τῶν Δαρείου λογισμῶν ἐπεσταλκότος.

34) Haec etiam ducta ſunt de Demoſtheneis: *Demoſth.*

In Graeciae Rebuspublicis inter tot capita lenta erant conſilia, lentae deliberationes, apparatus lenti: decreta, ſimul atque promulgarentur, per amicos innoteſcebant Regi.

Dum Graeci deliberabant, aut claſſem parabant, Macedo, qui (35) bella non indicebat, quique rebus aderat, velut morbus, inexſpectatus, media ſaepe hieme iam ceperat urbes improviſus; quod alii facturi videbantur, ille facere occupabat, hoſteſque antevertens iniuriam

---

moſth. in Olynth. I, p. 3, 6, τῷ γὰρ (vulg. τὸ γ.) εἶναι (de Philippo dicit,) πάντων ἐκεῖνον ἕνα ὄντα κύριον καὶ ῥητῶν καὶ ἀπορρήτων, καὶ ἅμα στρατηγὸν, καὶ δεσπότην, καὶ ταμίαν. καὶ πανταχοῦ αὐτὸν παρεῖναι τῷ στρατεύματι, πρὸς — τὸ τὰ τοῦ πολέμου ταχὺ καὶ κατὰ καιρὸν πράττεσθαι πολλῷ προέχει. in Or. de Corona p. 179, §. 406, dicitur Philippus αὐτὸς αὐτοκράτωρ ὢν τῶν εἰς τὸν πόλεμον, ὃ μέγιστόν ἐστιν ἁπάντων. — §. 407, ὑπεύθυνος ὢν οὐδενὶ, ἀλλ' ἁπλῶς αὐτὸς δεσπότης, ἡγεμὼν, κύριος ἁπάντων. Horum priora *I. F. Gronovius* aliique compararunt ad iſta *Livii* IX, c. 18, f. *Reges, non liberi ſolum impedimentis omnibus, ſed, domini rerum temporumque, trahunt conſiliis cuncta, non ſequuntur.* Felices Philippus Athenienſes praedicabat, qui quotannis decem invenirent, quos exercitui duces praeficerent; αὐτὸς γὰρ ἐν πολλοῖς ἔτεσιν ἕνα μόνον στρατηγὸν εὑρηκέναι Παρμενίωνα, *Plutarch.* T. II, p. 177. c. — a *Cicerone* Or. pro Sexto Roſc. Amer. c. VIII, L. Sylla, *& pacis conſtituendae rationem, & belli gerendi poteſtatem ſolus* habuiſſe; — *unus omnia* gubernaſſe dicitur.

(35) *Demoſth.* de Cherſon. p. 55, §. 14, οὐδενὶ τῶν ἁπάντων πλέον κεκράτηκε τῆς πόλεως Φίλιππος, ἢ τῷ πρότερος πρὸς τοῖς πράγμασι γίγνεσθαι· ὁ μὲν γὰρ, ἔχων δύναμιν συνεστηκυῖαν ἀεὶ περὶ αὑτὸν, καὶ προειδὼς ἃ βούλεται πρᾶξαι, ἐξαίφνης

Digitized by Google

riam inferre prior malebat, aut imminentem praecavere, quam illatam exſpectando pati & vindicare.

Duces Graeci, ut (36) Romani, in annum, aut in certum tempus creabantur adverſus Imperatorem perpetuum, qui nullis temporum includeretur anguſtiis, quique ſic abſque conſiliariis adminiſtraret omnia ſolus, ut belli momenta poſtularent.

Militem habuit exercitatum, obedientem, &

φησ ἐφ' ὧς ἂν αὐτῷ δόξῃ πάρεστι. p. 62, §. 79, οὐ πολεμεῖν ὑμῖν ἐρεῖ, ὥσπερ οὐδ' Ὠρείταις, τῶν στρατιωτῶν ὄντων ἐν τῇ χώρᾳ· οὐδὲ Φεραίοις πρότερον, πρὶν ἢ πρὸς τὰ τείχη προσβαλεῖν αὐτῶν· οὐδ' Ὀλυνθίοις ἐξ ἀρχῆς, ἕως ἂν ἐν αὐτῇ τῇ χώρᾳ τὸ στράτευμα παρῆν ἔχων. Et haec & alia permulta ad verbum eadem leguntur in quarta Philippica, quae mihi quidem ex Demoſthenéis ab alia manu videtur conflata. In Philipp. III, p. (6, §. 14, εἰ μέχρι τούτου περιμενοῦμεν, ἕως ἂν ἡμῖν ὁμολογήσῃ πολεμεῖν, πάντων ἐσμὲν εὐηθέστατοι· οὐδὲ γὰρ, ἂν ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν αὐτὴν βαδίζῃ, καὶ τὸν Πειραιᾶ, τοῦτ' ἐρεῖ· εἴπερ οἷς πρὸς τοὺς ἄλλους πεποίηκε δεῖ τεκμαίρεσθαι. De eodem *Ariſtides* Soph. T. II, p 230, οὔτ' Ὀλυνθίοις προεῖπεν ἃ ἐβούλετο, πρὶν ὥσπερ τι νόσημα αὐτῶν καὶ δὴ τοῦ σώματος ἥπτετο. Ne noſtra quidem aetate defuit, qui & hac in parte & in aliis multis Philippum imitaretur, quique cum Tirone ſentiret apud *Gellium* N. A. VII, c. 3, p. 386.

(36) Quintum Fabium ſic dicentem facit *Livius* XXIV, c. 8, *Quum, qui eſt ſummus in civitate dux, eum legerimus; tamen repente lectus, in annum creatus adverſus veterem ac perpetuum imperatorem comparabitur, nullis neque temporis neque iuris incluſum anguſtiis, quo minus ita omnia gerat adminiſtretque, ut tempora poſtulabunt belli.*

& continuis bellis duratum. Fortaſſe verum eſt, quod criminoſe ſcripſit (37) *Theopompus*, in eius exercitum peſſimorum e Graecia hominum confluxiſſe colluviem: ſed quis tandem Imperator in gregario milite morum exegit caſtimoniam? corpora tantum requiruntur, ad iubentis nutum exſequendum parata, quae corpora ſpiritus unus animat & movet Imperatorius. *Livio* teſte, *mixtum ex colluvione omnium gentium* Annibalis exercitum cogitatote, quos ille uno velut vinculo ſic *copulavit*, *ut nulla nec inter ipſos nec adverſus ducem* unquam *ſeditio extiterit*.

Tantum valet diſciplina militaris, quam in Macedonia prolapſam reſtituit Philippus & emendavit. Stabile peditum agmen, illam adeo nobilitatam phalangem Macedonicam primus excogitavit, cuius (38) imaginem ex aeterno *Homeri* regioque ſibi carmine repraeſentaverat.

Mi-

(37) *Theopompi* quae huc ſpectant verba partim in Excerptis e *Polybio* p. 1376, pleniora leguntur apud *Athen.* IV, p. 167, B. — ſecundum *Plutarchum* T. I, p. 1053. A. Iphicrates τὸν μισθοφόρον ἠξίου στρατιώτην καὶ φιλόπλουτον εἶναι καὶ φιλήδονον, ὅπως ταῖς ἐπιθυμίαις χορηγίαν ἐπιζητῶν ἀγωνίζηται παραβολώτερον.

(38) *Homeri* locum, de phalange agens Macedonica, protulit *Polybius* L. XVII, p. 1064. conf. *Weſſeling.* in *Diodor.* II, p. 83. 7.

(39) Periculis ſemet obieciſſe & vulneratum praeliis

Milites manu fortiſſimos, quos *commilitones* Caeſar, *ſodales* Philippus adpellabat; ſed, qui animam habebant & ſanguinem venalem, eorum licentiam regebat in caſtris & ſevere coërcebat; ſi qui maieſtatem violaſſent imperii, hos puniebat inexorabilis.

Ipſe, Regum non ſanequam domi continentiſſimus atque inter amicos, in caſtris ſuas voluptates ſobrietate domabat, & temperantia, velut exemplar disciplinae militaris. In praeliis (39) intrepidus militibus aderat hortator, cuiusvis virtutis aut etiam ignaviae teſtis, bene meritos bellicae laudis utiliſſimis accendebat invitamentis.

Hos eo praeſertim ſibi habuit devotiſſimos, quia ſuorum amans vitae militum ut familiarium cautus Imperator parcebat, non ille fortunae multum fidens, quo ſaepius viciſſet, hoc minus ſpecioſa ſalutaribus, ſaepe contra pacem victoriae praeferebat.

Sed

---

liis deceſſiſſe Philippum ipſe *Demoſthenes* fatetur in Or. ad Epiſt. Philippi p. 94, τὸν ἐκ Μακεδονίας ὁρμώμενον (τὸν ἐκ Πέλλης ὁρμώμενον dixit *Auctor* Or. de Haloneſo p. 49, 8,) οὕτως, inquit, εἶναι φιλοκίνδυνον, ὥστ', ὑπὲρ τοῦ μείζω ποιῆσαι τὴν ἀρχὴν, κατατετρῶσθαι πᾶν τὸ σῶμα τοῖς πολεμίοις μαχόμενον. ab hac magnum Imperatorem audacia temeraria dehortari nititur *Iſocrates* in Epiſtola ad Philipp. p. 407. — In caſtris disciplinae ſeveriſſimum exactorem fuiſſe monſtrant a *Polyaeno* narrata IV, c. 2, §. 1, 3.

Sed quantus fuerit Imperator, vel ſolus Alexandri demonſtraret Aſiae victor exercitus, veterano conſtans milite, ducibusque, quos Martia formaverat Philippi ſchola. Cui tandem non innotuerunt, ut paucos nominem, Antipater, Parmenio, Ptolemaeus, Seleucus, Perdiccas, Antigonus, & ceteris virtutibus atque inviolata fide forſan omnibus anteponendus Cardianus Eumenes?

Prae aliis Imperatoribus Philippus his (40) demum gloriabatur, quae ſolus peregiſſet; nam vi atque armis urbem ſi caperet, cum militibus laudem militumque ductoribus noverat eſſe com-

(40) *Diodorus Siculus* in fine Libri XVI, φασὶ δὲ καὶ αὐτὸν τὸν Φίλιππον σεμνύνεσθαι μᾶλλον ἐπὶ τῇ στρατηγικῇ συνέσει καὶ τοῖς διὰ τῆς ὁμιλίας ἐπιτεύγμασιν, ἤπερ ἐπὶ τῇ κατὰ τὰς συμμαχίας ἀνδρείᾳ· τῶν μὲν γὰρ κατὰ τοὺς ἀγῶνας κατορθωμάτων μετέχειν ἅπαντας τοὺς στρατευομένους, τῶν δὲ διὰ τῆς ὁμιλίας γινομένων ἐπιτευγμάτων αὐτὸν μόνον λαμβάνειν τὴν ἐπιγραφήν. conf. *Polyaenus* IV, c. 2, §. 9. & *M. de Tourreil* dans ſa *Preface Hiſtor*. p. 63. Vereque adeo dicitur in *Luciani* Demoſthenis Encomio T. III, p. 516, τῆς ὅπλων βίας τὴν τοῦ λόγου πειθὼ καὶ τὸ τῆς γνώμης ἐμβριθὲς οὐδαμοῦ τιθεὶς δεύτερον.

(41) Vulgare quidem Philippi dictum, commemoratur & ab aliis, & a *Cicerone* I. Epiſt. ad Att. XVI, p. 116. a *Plutarcho* T. II, p. 178, A. ſed non alibi me legere recordor quod tradidit *Plutarchus* in L. Paulo Aemilio p. 261. B. ἐρρέθη — ὅτι τὰς πόλεις αἱρεῖ τῶν Ἑλλήνων οὐ Φίλιππος, ἀλλὰ τὸ Φιλίππου χρυσίον.

(42) *Cicero* de Divinat. II, c. 57. *Demoſthenes* — φιλιππίζειν *Pythiam dicebat: hoc autem eo ſpectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret*: qui ultima ſcripſit, hunc

Digitized by Google

communicandam; ſuarum artium, quibus hoſtem cepiſſet, ſocium fore neminem.

Libentius itaque multo pecuniam ſpargebat, quam ſanguinem ſuorum militum; *Horatio* quoque teſte (41), *auro*

diffidit urbium
Portas vir Macedo.

quin inacceſſa loca Philippeum aurum penetravit, intimum etiam Delphici (42) templi ſacrarium. Erant in hac fraudum opificina Delphica mercenarii verſificatores, quos facile ſibi pecunia Philippus conciliavit, ut & alios per Graeciam fatidicos & ſacrificulos, qui Graecae ple-

---

hunc non facile credam interiecta ſcripſiſſe, *id eſt, quaſi cum Philippo facere. Plutarchus* in Demoſthene T. I, p. 854. F. ὁ Δημοσθένης λέγεται — τὴν Πυθίαν ὑπεριωῶν ὡς Φιλιππίζουσαν. Verbum illud Φιλιππίζειν (cuius ſimile, ductum a proprio viri nomine, nunc non memini me legere apud antiquiores; praeter Κυψελίζειν in *Theognideis* V. 890. a gentibus enim ducta, qualia dantur multa, hinc diverſa ſunt. Sed ad illud efficta dat hiſtoria Macedonica recentior Κασσανδρίζειν· Ἀντιγονίζειν· Σελευκίζειν) verbum Φιλιππίζειν fruſtra quaeſitum fuit in Orationibus *Demoſthenis*: a *Demoſthene*, nec tamen in Oratione publice habita, verbum adhibitum teſtis eſt eius in rep. adverſarius *Aeſchines* Or. c. Cteſiph. p. 72, 14, Δημοσθένης δὲ ἀντέλεγε, Φιλιππίζειν τὴν Πυθίαν φάσκων. — Deus Delphicus oraculum edidiſſe Philippo dicitur apud *Diogenian.* Cent. II, Prov. 81, Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου καὶ πάντα κρατήσεις· ipſemet etiam in oraculis interdum aurea donaria ſatis impudenter in ſuum templum deportare conſulentes iubebat.

plébeculae Regis laudes occentarent, perſuaderentque credulis.

Auro Philippus abundabat, initio iam regni potitus aurifodinis in (43) Thracia: metalla diu neglecta ubi Philippi iuſſu commemorat aperta *Seneca*, verba nobis aliquot adnumerat Philoſophus, quibus videri vult indignatus, hominem, erectum ad ſidera ſpectanda, incurvari atque in fundum intimae mergi telluris, ut aurum eius visceribus eruat vitiorum fomentum. Qui ſiç loquitur, erat auri *Seneca*, ſi quis alius, avidus accumulandi; atque ita ſolent iſtiusmodi Catones, a quorum ſpecioſis dictatis mores, ſi altius inſpicias, ſaepenumero diſſident.

Cepit ex aurifodinis iſtis Philippus absque ullius iniuria aliquot centena talenta annua, pecuniam iſtis temporibus immenſam.

Hinc inopem Macedoniam ſuam ditavit; hinc pacis ornamenta, hinc belli habuit ſubſidia; hinc claſſes conſtruit & ornat, primus Ma-

(43) Pro *Thracia*, *Macedoniam* memoriae vitio ſcripſit *Ed. Simſonus* in Chron. ad A. M. 3647. *Diodorum*, quem & ibi ſequitur, comparanti XVI, c. 8, erroris origo patebit: cum memoraſſet Potidaeam, Pydnam, Crenidas expugnatas a Philippo, τὰ δὲ κατὰ τὴν χώραν, inquit, χρύσεια μέταλλα, παντελῶς ὄντα λιτὰ ϗ ἄδοξα ταῖς κατασκευαῖς, ἐπὶ τοσοῦτον ηὔξησεν, ὥστε δύνασθαι φέρειν αὐτῷ πρόσοδον πλεῖον ἢ ταλάντων χιλίων. ubi plura ſequuntur de Philippéis etiam ex hoc auro cuſis, qui-

Digitized by Google

Macedonum mari quoque futurus bellator. Ex hoc auro cudit — *Regale numiſma Philippos*, quorum ille ſplendore faſcinatos cepit in Graeciae civitatibus viros Principes; & haec erat vis illa velut Magica, qua callens humanarum cupiditatum ſecreta quaevis penetrabat.

Ingreſſus imperium territos Macedonas mitibus alloquiis facundiſſimus adoleſcens in officio continuit, quamque de ipſo ſpem conceperant omnibus numeris implevit ſuperavitque, atque ea mox peregit, quae non a iuvenili modo fervore, ſed a ſedato exercitatoque vix Imperatore videbantur exſpectanda.

Viginti quinque annorum ſpatio res admirabiliter a Philippo geſtas ſi inſtituerem enarrare, ubi tandem finem in horam iam nunc paene protracta mea reperiret oratio?

Tria ſatis erit paucis commemoraſſe facinora bellica, quibus ſibi viam emunivit ad obtinendum Graeciae principatum. Theſſaliam ſibi

---

quibus ſcienter uſus fuerit in rem ſuam Philippus. Vbi & aliorum & Philippi Macedonis meminerat *Seneca*, qui in tenebris terrarum abſtruſa male quaeſiviſſent, haec nollem addidiſſe: Natur. Quaeſt. V, c. 15, *Quae tanta neceſſitas hominem ad ſidera erectum incurvavit, & defodit, & in fundum telluris intimae merſit, ut erueret aurum, non minore periculo quaerendum, quam poſſidendum.* Conf. *M. Olivier Hiſt. de Phil.* T. 1, p. 88, 89.

ſibi dicto reddidit audientem; (44) Phocenſi ſacro bello, quo Graecia flagraverat per decem annos, Philippus finem impoſuit; Athenienſes denique vicit & ſocios ad Chaeronéam, atque hac ille victoria ſic fuit uſus, ut votorum tandem damnaretur.

Montibus undique cincta Theſſalia, regio tamen (45) campeſtris & paſcua, atque hac parte Friſiae noſtrae non multum diſſimilis, equos etiam educabat generoſiſſimos, equitumque magiſtros & domitores egregios.

Equi-

---

(44) *M. de Tourreil* dans ſa *Preface Hiſtorique* p. 49, 51, „ Sa conduite durant la guerre de la „ Phocide, & enſuite à la bataille de Chéronée, „ montrera ſuffiſamment, quoiqu'en racourci, quel „ il fut, ſoit dans le cabinet, ſoit à la tête des Armées. — Ce ſont — les deux Chefs-d'œuvre de „ ſa valeur & de ſa prudence ". ut nihil hac de re verius, ſic hoc in genere nihil iſta Praefatione doctius ſcribi potuit aut elegantius. *M. Olivier.* dans ſon *Hiſt. de Phil.* T. II, p. 133, „ la réduction de „ la Phocide étoit un Chef-d'œuvre de Politique, „ que Philippe ſeul pouvoit conduire à ſa fin."

(45) Ἡ τῶν Θετταλῶν πεδιὰς, inquit *Plato* L. I de LL. p. 625. D. διὸ δὴ καὶ τοῖς ἵπποις ἐκεῖνοι χρῶνται μᾶλλον. conf. Eiusdem Hippias Maior T. III, p. 284. A. Equi & equites Theſſali paſſim memorantur: Alcibiades ἐν Θετταλίᾳ ἱπποτροφῶν, καὶ ἡνιοχῶν τῶν Ἀλευαδῶν ἱππικώτερος a *Satyro* dicitur apud *Athen.* XII, p. 534. B. In *Homero* Ἄργος ἱππόβοτον interpretantur τὸ Θετταλικὸν· Homerica reſpiciens ex Od. Δ, 600 &c. *Horatius* I. Epiſt. VII, 41, *Non eſt aptus equis Ithace locus, ut neque planis Porrectus ſpatiis, nec multae prodigus herbae:* Ἐν δ' Ἰθάκῃ οὔτ' ἂρ δρόμοι εὐρέες, οὔτε τι

Equites Theſſalos exercitui ſuo robur addere Philippus deſiderabat; neque tamen unquam, quod ſcribit *Iuſtinus*, ſive *Trogus*, mendaces ſaepe duces improvide ſequutus, neque tamen unquam *Theſſaliam improviſus expugnavit*; quod acer ille Philippi ſpeculator *Demoſthenes* (46) Regi nusquam obiecit.

Poſt mortem (47) viri optimi Iaſonis fratrumque, acerbam in Theſſalia tyrannidem exercuerat Alexander: qui hunc interfecerant Thebes uxoris fratres hoc tempore tyran-

τι λειμῶνι. *Plutarch.* II, p. 49. B. Σιμωνίδης τὴν ἱπποτροφίαν φησὶν οὐ λακύθῳ (Ζακύνθῳ leg. ex Var. Lect.) ὀπαδεῖν, ἀλλ' ἀρούραισι πυροφόροις.

(46) Quid ipſi *Demoſthenes* tantum obiecerit, diſci poteſt ex Or. Olynth. I. p. 8, §. 30 & ſeqq. Philipp. II, p. 46, §. 26, &c.

(47) Optimum virum voco, cui nihil aut ab aliis aut ab adverſario Polydamante fuerit obiectum, praeter imperandi cupiditatem, iſtiusmodi ingeniis velut propriam — Ad Iaſonis filios ſcripta ſupereſt *Iſocratis* Epiſtola, inter vulgatas ſexta p. 417—421, qua vocatum ſe venturum in Theſſaliam negat ipſosque a tyrannide dehortatur. Iaſoni ἐν τῇ Ταγείᾳ ſucceſſerunt duo fratres Polydorus & Polyphron: *Xenoph.* Ἑλλ. VI, p. 351, 14. ſublato mox Polydoro, Polyphron per annum tyrannidem exercuit: Polyphronem interfecit fratris filius Alexander: *Weſſeling* in *Diodor.* II, p. 50, 39. De Alexandro, tyrannorum in Theſſalia ſaeviſſimo, ab uxoris Thebes fratribus interfecto, nonnulla *Salvagnius* in Ibin *Ovidii* v. 323, ſed accuratiſſime *N. Heinſius* egit in *Ovid.* Epiſt. ex Ponto II, Ep. IX, 43. Vt loca auctorum deſignem, legi poterunt *Xenophon* l. c. *Diodorus* Sic. XV, capp.

61,

ranni Theſſalos duro premebant imperio: nimium vexati nobiles Theſſali opem contra tyrannos a Philippo petierunt. Laetus arripuit occaſionem oblatam Philippus, venitque Theſſalis auxilio.

Theſſalos, tyrannis tandem ſuis liberatos, & priſtinae libertati reſtitutos, ſic ſibi (48) conciliavit, obligatosque devinxit, ut non ipſe tantum ſemper, ſed & filius Alexander ſocios habuerit, atque expeditionum comites in fide conſtantiſſimos.

Vt

61, 67, 71, 75, 78. &c. XVI, c. 14. *Plutarchus* in Pelopida a p. 291. D. ad 294. A. p. 297. D. E. F. 298. A. *Polyaenus* VI, c. 11. *Serinus Stobaei* p. 91, 2. *Cicero* de Divinat. I, c. 25, ubi plura *Daviſius* aduotavit: errat *Solanus* in *Luciani* Icaromenippo T. II, p. 769. Fratrum Thebes, qui ſorore adiutrice Alexandrum contrucidarunt, unum nominat Τισίφονον *Xenophon* (vitioſe Τισίφωνος ſcribitur in Edd.) p. 351, 34, τῶν ταῦτα πραξάντων ἄχρις οὗ ὅδε ὁ λόγος ἐγράφετο, Τισίφονος πρεσβύτατος ὢν τῶν ἀδελφῶν τὴν ἀρχὴν εἶχε. — trium, qui, primum reluctati, tandem ſororis impulſu caedem perpetraverint, meminit *Plutarchus* in fine vitae Pelopidae p. 297. D. Τισιφόνου, Πειθολάου, (ſic ſcribendum, non Πυθολ.) Λυκόφρονος, duo tantum in *Diodori* L. XVI, c. 14, commemorantur, Lycophron & Tiſiphonus; ſed Πειθολάου nomen illic excidiſſe ſuſpicor, quippe cuius infra *Diodorus* meminerit capp. 37. & 52. Horum fratrum oppreſſos tyrannide Theſſalos, ab Aleuadis vocatus, liberavit Philippus.

(48) Κατεπολέμησε τοὺς τυράννους, καὶ ταῖς πόλεσιν ἀνακτησάμενος τὴν ἐλευθερίαν, μεγάλην εὔνοιαν εἰς τοὺς Θετταλοὺς ἐνεδείξατο· διόπερ ἐν ταῖς μετὰ ταῦτα πράξεσιν ἀεὶ συναγωνι-

στὰς

Digitized by Google

Vt ille res in Theſſalia conſtituerit cum viris Principibus; Theſſaliam, prout fuerat olim (49), deſcripſerit in quatuor partes; his quatuorviros praefecerit ſuis commodis faventes; ut artes ille ſuas adhibuerit, quod non negem, ad (50) plebem plebisque tribunos ſibi conciliandos; ut menſae deliciis deditos nobiles ille Theſſalos, inter combibones vinoſus, ceperit conviva commodus & facetus, quod ſcribit (51) *Theopompus*; tamen, quod *Iuſtinus* narrat, nullo conſtat documento; quos-

τὰς ἔχειν, οὐ μόνον αὐτὸς, ἀλλὰ καὶ μετὰ ταῦτα ὁ υἱὸς Ἀλέξανδρος· *Diodorus* XVI, c. 14.

(49) *Harpocration* in v. Δεκαδαρχία· — Φίλιππος μέντοι παρὰ Θετταλοῖς δεκαδαρχίας οὐ κατέστησεν, ὡς γέγραπται ἐν τῷ ἕκτῳ Φιλιππικῶν Δημοσθένους (in Edd. Phil. II, p. 46, 26.) ἀλλὰ τετραρχίας· imo Τετραδαρχίας. ut ſcribitur apud ipſum *Harpocr.* in v. Ἔθνος, in *Demoſthenéis*, quae leguntur in Edd. p. 68, §. 30, 31. Infra apud *Harpocr.* iterum vulgatur Τετραρχία· ubi praeter cetera, ὅτι δὲ, inquit, Φίλιππος καθ' ἑκάστην τούτων τῶν μοιρῶν ἄρχοντα κατέστησε, δεδηλώκασιν ἄλλοι τε καὶ Θεόπομπος ἐν τῇ τεσσαρακοστῇ τετάρτῃ. [vid. *Athen.* VI, p. 249. C.] conf. ibi *Valeſius*; *Weſſeling.* in *Diodor.* II, p. 111. & *Io. Meurſius* Attic. Lect. VI, c. 30.

(50) Τοῖς δήμοις in Theſſalia φίλος ἦν τοὺς δημαγωγοὺς θεραπεύων, *Polyaenus* IV, c. 2, §. 19.

(51) De Theſſalorum moribus ſe accommodante Philippo inſignis locus eſt *Theopompi* apud *Athen.* VI, p. 260. B. C. cuius ultima ſic videntur emendanda: καὶ πλείους τῶν Θετταλῶν τῶν αὐτῷ πλησιαζόντων ᾕρει (*capiebat:* firmat emendationem Epitome MS. Pariſina:) μᾶλλον ἐν ταῖς συνουσίαις ἢ ταῖς δωρεαῖς. quae de Theſſalorum moribus alibi praebet ex *Theopompo Athen.* XII, p.

 527.

quosque ſibi ſemper habuit addictiſſimos, neque populum vexavit, neque Theſſalis nobilibus fuit unquam moleſtus, Philippum amantibus ut ſuum liberatorem.

Atque in his etiam ab aliis me non diffiteor diſſentire, quia Demoſthenéo multum apud me praeponderat *Iſocratis* teſtimonium.

Patriae libertatis defenſor, caecus interdum criminandi cupiditate, *Demoſthenes*, quae videri poterant in Philippo imminente Graecorum libertati invidioſa, amplificabat univerſa. *Iſocrates*, qui duas ſibi res, quominus in foro diceret, defuiſſe teſtatur, confidentiam, & vocem, turbulentis comitiorum & temerariae plebis fluctibus nunquam iactatus, domi latitans, extra calorem quid ſibi de Philippo videretur tradidit, minus ille quidem *Demoſthene* potens orator, ſed in his rebus teſtis fide dignior.

Phi-

---

527. A. cum *Heraclidéis* apud eumdem comparari poterunt XIV, p. 624. E. Libro XIII, p. 557. C. iſta dat ex *Satyri* libro de vita Philippi: οἰκειώσασθαι δ' ἐθέλων καὶ τὸ τῶν Θετταλῶν ἔθνος, ἐπαιδοποιήσατο ἐκ δύο Θετταλίδων γυναικῶν, quarum altera Niceſipolis Pheraea filiam ipſi pepererit Theſſalonicen; altera Philinna Lariſſaea, filium Aridaeum.

(52) *Iſocrates* in Epiſt. ad Philippum p. 410. D. δικαίως κέχρησαι Θετταλοῖς, καὶ συμφερόντως ἐκείνοις. *Iſocratis* πρὸς Φίλιππον λόγος συμβουλευτικὸν (Ed. Steph. p. 80-113.) orationem, in qua *Platonis* de Legibus & de Republica libros non nominati notat in tranſcurſu

p. 84,

Philippum *iuſte* ſcribit (52) *Iſocrates* in Theſſalia res atque *ex utilitate conſtituiſſe Theſſalorum.* Suaſoria eiusdem ad noſtram usque memoriam pervenit ad Philippum Oratio, ex qua vel ſola liceret aeſtimare, quantus ille fuerit vir, & quousque iam ante creverit, quam libertatem Graecorum debellatis Athenienſibus labefactaſſet.

Theſſalorum exemplum (53) vicini Graeci ſequuti certatim amicitiam ambierunt & ſocietatem Philippi. Sed, Theſſaliam antequam pacaſſet in univerſum, bello Phocenſi ſacro finem iam impoſuerat. Illud bellum, Philippo ſpectaculum non iniucundum, per annos decem geſtum animoſiſſime (ſpectabat enim publicam religionem) ſenescentem Graeciam attrivit.

Ob agrum Apollini ſacrum, humano cultu violatum (54), mulcta Phocenſibus iniuncta fuit ab Amphictyonibus, quae modum omnem ex-

---

p. 84, non miror exagitandam ſibi ſumſiſſe *Speuſippum* in Epiſt. XXVIII. inter Socraticas.

(53) *Diodorus Siculus* XVI, c. 69, ἤλπιζε, τούτους (τοὺς Θετταλοὺς) ἔχων συμμάχους, καὶ τοὺς Ἕλληνας ῥᾳδίως εἰς εὔνοιαν προτρέψασθαι· ὅπερ καὶ συνέβη γενέσθαι· εὐθὺς γὰρ οἱ πλησιόχωροι τῶν Ἑλλήνων, συνεπαχθέντες τῇ τῶν Θετταλῶν κρίσει, συμμαχίαν προθύμως πρὸς αὐτὸν ἐποιήσαντο.

(54) Veram fortaſſe (amor enim & mulieres quin plurima bella pepererint & olim & aevo recentiore nemo dubitabit:) belli huius ſacri cauſam attigit *Duris* apud *Athen.* XIII, p. 560. B. hinc apud *Euſtath.* in *Hom.* Il. Φ, p. 1335, 22, uxorem Thebani Thea-

no

excederet. Illa Phocenſes irritavit adeo, ut, inſurgentes (in Amphictyonas Delphici templi curatores, ſanctiſſimis religionibus conſecratum commune Graecorum illud ſacrarium occuparent, donariis ex auro & argento oppletum. Contra Phocenſes bella geſſerunt Locri, Boeoti, Theſſali, varia fortuna: ſic ſemper pugnarunt Phocenſes, tanquam in victoria ſola ſpem ſalutis habentes repoſitam; nam, ſi qui vivi perveniebant in manus hoſtium, de rupibus in mare praecipitabantur miſeri: omnes interim per Graeciam traducebantur tanquam ſacrilegi, (ut erant ſacrilegi;) tanquam impii, tanquam indigni humana ſocietate.

Acriter, at ſummo ſuo damno, cauſam Dei quam vocabant, tutabantur prae omnibus Boeoti, quo ſtupidiores, eo calidiores Apollinis defenſores, cui factas iniurias relinquere potuerant aut fulmine paterno vindicandas, vel ſuis telis.

Dum mutuo vires ſuas atterebant ſeneſcendo deſipientes Graeci, neque de communi liberta-

---

no a Phocenſi quodam raptam: attigit & hanc cauſam *M. Olivier Hiſt. de Phil.* T. I, p. 142.

(55) Ὁ βασιλεὺς, ἡδέως ὁρῶν τὴν ταπείνωσιν αὐτῶν, καὶ βουλόμενος τὰ Λευκτρικὰ φρονήματα συστεῖλαι τῶν Βοιωτῶν, ὀλίγους ἀπέστειλε στρατιώτας, αὐτὸ μόνον φυλαττόμενος τὸ δοκεῖν μὴ περιορᾶν τὸ μαντεῖον σεσυλημένον, *Diodorus* XVI, c. 58. ante ab Athenienſibus impeditus cum Phocenſibus congredi Philippus dicebatur ab eodem *Diodoro* in

tatis hoſte indies creſcente cogitabant, aliis in rebus occupatus, erat interim Philippus tacitus pugnantium ſpeculator.

Evenit, quod vir providentiſſimus futurum ſperaverat, ut ſpiritus, quos (55) Leuctrica Thebani collegerant victoria, ſubſiderent ac reprimerentur. Bello ſacro paene fracti Thebani tandem miſſis legatis adverſus ſacrilegos Phocenſes opem implorant Philippi.

Speciosam ille Dei tutelam, religionisque violatae cauſam cupidiſſimus ſuſcepit; famam pietatis ad reliquas virtutes utiliſſimam fore ratus acceſſionem.

Venit cum invicto milite Macedonico ſuisque Theſſalis equitibus in Phocidem, & decem annorum bello debilitatos ſuperavit, omnemque rei confectae gloriam & fructum nullo ſuo labore ſolus reportavit.

Non ille ſacrilegis poenam inflixit (56), ſed arbitrium rei cognoscendae prudenter detulit ad Amphictyonas.

In locum Phocenſium, qui exciderant ſuo iu-

in ſuam ſe recepiſſe Macedoniam, ηὐξηκὼς ἑαυτῦ τὴν βασιλείαν ταῖς τε πράξεσι ϗ τῇ πρὸς τὸ θεῖον εὐσεβείᾳ, L. XVI, c. 38.

(56) *Diodorus* XVI, c. 59, ἄνευ μάχης, inquit, ἀνελπίςως καταλύσας τ͂ ἱερὸν πόλεμον, συνήδρευε μετὰ τῶν Βοιωτῶν ϗ Θετταλῶν· ἔκρινεν ὖν συγκατάγειν τὸ τῶν Ἀμφικτυόνων συνέδριον, ϗ τύτῳ τὴν περὶ τῶν ὅλων διάγνωσιν ἐπιτρέψαι.

iure, (57) Philippus cooptatus eſt in auguſtiſſimum illud Graeciae concilium; Philippo poſteriſque adfirmatum duplicis ſuffragii ius: qui ſacrilegis tulerant opem, honore Corinthii ſunt privati ludorum Pythicorum cum aliis adminiſtrandorum; is etiam honos, Corinthiis ablatus, Philippo fuit attributus.

Amphictyonum decretum miſſum fuit ad civitates Graecas, ut ſua etiam illud auctoritate confirmarent.

Ne Athenienſes quidem, hoc velut fulmine con-

(57) Haec & ſeqq. ex decreto Amphictyonico expreſſa, debemus *Diodoro Siculo* XVI, c. 60. Ipſius decreti formulam olim lectam ſuſpicor in *Demoſthenis* Or. de falſa legat. p. 211, §. 112, ſicut in Or. de Corona p. 165. duo leguntur Amphictyonum decreta; unica, ni fallor, in ſuo genere. Graeciae populi XII, quibus in hoc publico Graecorum concilio ius erat ſuffragia ferendi, diverſo modo recenſentur: apud *Aeſchinem* Or. de falſa legat. p. 43, 22. inter Ἴωνας & Περῤαιβοὺς olim memoratos arbitror Αἰνιᾶνας· quorum nomen excidit, ex recenſitis, apud *Harpocr.* in v. Ἀμφικτύονες, ex *Theopompo* facile illic reſtituendum: Αἰνιᾶνες etiam comparent inter decem γένη τοῦ Ἑλληνικοῦ in hoc concilium primum coacta ab Amphictyone ſecundum *Pauſaniam* X, p. 815. Nuſquam alibi narratum arbitror, quod ex *Antipatro Magneſio* tradit *Speuſippus* in Epiſt. Socrat. 28, p. 763, 22, ubi poſtquam memoraſſet Phlegyas, Dryopas, & Criſſacos, οὗτοι, inquit, πάντες, Ἀμφικτύονες γενόμενοι, τῶν ψήφων ἀφῃρέθησαν· ἑτέροι δὲ τὰς τούτων ψήφους λαβόντες τῆς τῶν Ἀμφικτυόνων συντελείας μετέχουσι. — ſingulis gentibus in hoc concilium admiſſis, ſive potentes eſſent, ſeu minus, aequale tantum erat duplicis ius ſuffragii ferendi: clare

conſternati, obloqui ſunt auſi: *Demoſthenes*, qui dudum ſurdis narraverat auribus, creſcentem Macedonis potentiam infringendam eſſe tempori, *Demoſthenes* ipſe (58) prodiit in medium ſuaſor populo, ut, quod infectum facere non poſſent, nunc decretum adprobarent confirmarentque.

Atque eodem iudice maxima tunc cepit Philippus incrementa; conſtititque ſapientioribus, ſi qui dubitaverant ante, quantus eſſet Philippus & Rex, & Imperator.

Plebs,

re *Aeſchines* p. 43, 23, ἔδειξα ἕκαστον ἔθνος ἰσόψηφον γενόμενον τὸ μέγιστον τῷ ἐλάττονι. τὸν ἥκοντα ἐκ Δωρίου ϗ Κυτινίου ἴσον δυνάμενον Λακεδαιμονίοις· (δύο γὰρ ψήφους ἕκαστον φέρει (imo φέρειν, ſcil. ἔδειξα) ἔθνος·) πάλιν ἐκ τῶν Ἰώνων τὸν Ἐρετριέα ϗ Πριηνέα τοῖς Ἀθηναίοις. &c. hunc locum attigit & *Weſſelingius* V. C. in *Diodor.* T. II, 129, 25. de duplici agens ſuffragio, Philippo, in locum Phocenſium ſuccedenti, attributo.

(58) *Demoſth.* in Oratione Philipp. de Pace; vid. inprimis p. 41, §. 17. p. 42, §. 23, 24, &c. In illius orationis argumento *Libanius*, Philippus, inquit, qui τὴν Φωκέων ἐν τοῖς Ἀμφικτύοσι χώραν, ϗ τὰς ἐκείνων ἐν τῷ συνεδρίῳ ψήφους παρὰ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων εἴληφε, πέπομφε ϗ πρὸς Ἀθηναίους πρέσβεις, ἀξιῶν ϗ αὐτοὺς ταῦτα συγχωρεῖν· ϗ ὁ Δημοσθένης παραινεῖ συγχωρεῖν, οὐ τῷ πράγματι συνιστάμενος ὡς ὀρθῶς ἔχοντι, οὐδὲ δίκαιον εἶναι λέγων μετέχειν Ἑλληνικοῦ συνεδρίου τὸν Μακεδόνα· ἀλλὰ δεδοικέναι φάσκων, μὴ καταναγκασθῶσι κοινὸν πόλεμον πρὸς ἅπαντας τοὺς Ἕλληνας ἔχειν. — Ante ſaepe loquutus de creſcentis Philippi potentia tempori infringenda, in Olynth. III, p. 26, §. 38, ſcripſiſſe videtur *Demoſthenes*: ἐχθρὸν δ' ἐφ' ἡμᾶς αὐτοὺς τηλικοῦτον ηὐξήκαμεν. non, quod vulgatur, ᾐσκήκαμεν.

Plebs, etiam in Graecia maxima ſemper hominum turba, plebs potentiſſimis movebatur falſae religionis ludibriis, a ſui ordinis hominibus, a vatibus, a ſacerdotibus concitata.

Callidus imbecillitatis humanae ſpectator milites, quos duxerat in Phocidem (59), coronis laureis inſignes iuſſerat incedere, tanquam pro cauſa Dei, cuius eſſet inſigne laurus, militaturos.

Exercitum laureatum undique fanatici per Macedoniam & Theſſaliam votis & fauſtis adclamationibus proſequebantur, tanquam Dei, violataeque religionis ultorem, etiam ob ſolam Dei maieſtatem reverendum.

Re dicto paene citius confecta rediit in Mace-

(59) *Iuſtinus* VIII, c. 2, *quaſi ſacrilegii, non Thebanorum ultor eſſet, omnes milites coronas laureas ſumere iubet, atque ita, veluti Deo duce, in praelium pergit.*

(60) Ἐπανῆλθεν εἰς Μακεδονίαν — δόξαν εὐσεβείας καὶ ἀρετῆς στρατηγικῆς περιπεποιημένος, *Diodorus Sic.* XVI, c. 60. qui cap. 64, τὸ τελευταῖον, ait, διὰ τὴν εἰς τὸ θεῖον εὐσέβειαν, ἡγεμὼν ἀπεδείχθη τῆς Ἑλλάδος πάσης, καὶ μεγάλην βασιλείαν τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην περιεποιήσατο. Homo ſuperſtitioſus *Ariſtides* T. II, p. 257, impios quidem Phocenſes & ſacrilegos dignos poena fuiſſe ſtatuit, quam ſubierunt, nec iuſte tamen a Philippo punitos: ὅταν γὰρ μὴ τοῦ θεοῦ χάριν, μηδ' ὑμῶν, (pro Thebanis verba ſe facere fingit Sophiſta,) ἀλλ' ὑπὲρ τῆς αὐτοῦ πλεονεξίας, ἣν ἐν ἅπασι δείκνυσι, φαίνηται ταῦτα συμπράξας, ἐκεῖνοι μὲν δικαίως ἀπολώλασιν, οὗτος δ' οὐχὶ δικαίως ἀνῄρηκε.

(61) Cum variorum Graeciae populorum, etiam Athenienſium, legationes ad Philippum miſſas memo-

Digitized by Google

cedoniam (60), & vero providentis Imperatoris ornatus titulo, & falſam pietatis famam conſequutus.

Tum demum omnes, etiam, ne diſſentire viderentur, ſapientiores omnes dictitare, *illum* (non mea ſed *Iuſtini* verba ſunt:) *illum vindicem ſacrilegii, illum ultorem religionum: — Dignum itaque qui Deis proximus haberetur, per quem Deorum maieſtas vindicata ſit.*

Tanta certe novus Amphictyon iam ceperat incrementa, ut inter Graecos pacis bellique haberetur arbiter. Inſueti veniebant e Graecia (61) legati in aulam Macedoniae Regis pacificatum; quod illorum maiores, Perſarum iſti

moraſſet *Iuſtinus* VIII, c. 1, *Foedum prorſus*, ait, *miſerandumque ſpectaculum, Graeciam, etiam nunc & viribus & dignitate orbis terrarum principem, regum certe gentiumque ſemper victricem, — alienis excubare ſedibus, aut rogantem bellum, aut deprecantem: in alterius ope omnem ſpem poſuiſſe orbis terrarum vindices, eoque discordia ſua civilibusque bellis redactos, ut adulentur ultro ſordidam paulo ante clientelae ſuae partem:* quae declamationem ſapiunt; in *Theopompi* Philippicis a *Trogo* repertam. Quod ultimum ſcribit *Iuſtinus*, adulatos *ultro ſordidam paulo ante clientelae ſuae partem*, id, ut arbitror, fide praeſertim nititur *Demoſthenis*, qui in Olynth. III, p. 25, §. 33, ὑπήκουε δ' ὁ ταύτην τὴν χώραν (Macedoniam) ἔχων αὐτοῖς (Athenienſibus) βασιλεὺς, ὥσπερ ἐστὶ προσῆκον βάρβαρον Ἕλλησι. recte Perdiccam intelligit *Schol.* filium Alexandri temporibus Perſicis nobilitati; quem Athenienſibus tributarium fuiſſe teſte tradit *Diodoro:* ſed Philippo Amyntiadae pater in iſto *Scholio* dari non debe-

iſti debellatores, *foedum* iudicaviſſent *miſerandumque ſpectaculum*.

Vnus olim Athenienſis Timagoras, aulae Perſicae morem ſequutus, Regem corporis in-

---

hebat Philippus: duabus vocibus ſua ſede repoſitis ſic iſta ſcripſiſſe videtur qui dicitur *Vlpianus:* Καὶ μέντοι καὶ φόρους ἤνεγκεν αὐτοῖς Περδίκκας ὁ ἀδελφὸς Φιλίππου, καὶ θεῖος Ἀμύντου, τοῦ παιδὸς Φιλίππου, ὥς φησι Διόδωρος. vid. *Scholion* ex Cod. Caſſ. editum in annot. in *Scholia* ad *Thucyd.* in pag. 191. Noſtris in libris hoc a *Diodoro* traditum, Perdiccam Athenienſibus ὑπόφορον fuiſſe, non opinor; ſed Ἀμύνταν τὸν Φιλίππου, fratris Perdiccae, memorat in transcurſu XII, c. 50, 9. ubi notat *Weſſelingius:* nusquam etiam hoc de Perdicca commemoravit, quantum recordor, *Thucydides*, qui illius, etiam erga Athenienſes hominis & varii & mutabilis, ſaepiſſime fecit mentionem. — De Perdicca *Demoſthenes* iterum in Or. περὶ συντάξεως p. 100, §. 37, 38, Περδίκκᾳ — οὐκ ἐψηφίσασθε πολιτείαν, ἀλλ᾽ ἀτέλειαν ἔδωκαν μόνον. Diſerte *Scriptor* Orat. de Halonefo p. 49, §. 14, de Amynta non tantum Philippi patre ſed & aliis Regibus loquutus, eorum, inquit, aetate, ἐφ᾽ ἡμῶν ὢν ὁ Μακεδονίας, καὶ φόρους ἡμῖν ἔφερε· Illud certe abſurdiſſimum, quod ſcribit *Auctor* Orationis inter Demoſtheneas, ex verbis quibusdam illius conflatae p. 91, §. 22, 23, πάντων τῶν ἐν Μακεδονίᾳ βασιλευσάντων· κἀκεῖνοι μὲν τοῖς Ἀθηναίοις φόρους ἤνεγκαν.

(62) Haec rectius fuiſſent omiſſa: iſtam quidem ſolam cauſam ſupplicii capitalis de Timagora ſumti tradit *Athenaeus* VI, p. 251. B. Τιμαγόραν δ᾽ ἀπέκτειναν, ὅτι πρεσβεύων ὡς βασιλέα προσεκύνησεν αὐτόν· a quo paulo poſt p. 253. F. iterum dicuntur Athenienſes τὸν προσκυνήσαντα τὸν Περσῶν βασιλέα ἀποκτείναντες· ad haec ultima miror a *Caſaubono* ſcripta Anim. VI, c. 16, initio: quum dubitari non poſſit quin priore loco vere pro καὶ Εὐαγόραν, Τιμαγόραν correxerint *B. Briſſonius* de Regno Perſ. I, p. 18. & *H. Valeſius* in notas *Mauſſ.* ad

Digitized by Google

inflexione quadam adoraverat: morti (62) Timagoram propterea damnaverant Athenienſes.

Qui maiorum meritis ſemper erant, & Mara-

---

ad *Harpocr.* p. 282, ubi poſitis *Athenaei* verbis ſubiicit vir magnus: „*lege* Τιμαγόραν *ex Plutarcho, &* „ *Xenophonte, & Athenaeo ipſo,*" in ipſius *Athenaei* Libri II Epitome p. 48. E. a Timagora Cretenſe, Perſarum etiam Regis adulatore, diſtinguitur Athenienſis Timagoras, qui Regem adoraverat. Errans in Regis nomine, quod in margine citatus *Vſſerius* agnovit in Annal. ad A. M. 3636, *Valerius Maximus*, iſtam etiam ſolam ſupplicii rationem ſtatuit VI, c. III. ex. ext. 2, *Athenienſes.— Timagoram, inter officium ſalutationis Darium* (*Artaxerxen* dixiſſe debuerat, aut omiſſo nomine ſimpliciter) *Regem more gentis illius adulatum, capitali ſupplicio affecerunt.* Suos illi habuerunt, quos ſequerentur, Auctores: — Nunc vero, re penſiculatius expenſa, *Xenophontis*, & *Demoſthenis*, & *Plutarchi* tantum apud me valet auctoritas, ut aliam longe graviorem cauſam fuiſſe credam, cur merito Timagoram affecerint ſui cives ſupplicio: cum Leonte miſſus Timagoras Olymp. CIII, 2, ab Athenienſibus legatus ad Artaxerxen Mnemona, donis ſe Perſicis corrumpi paſſus, cum domum rediiſſet, accuſatus a Leonte & criminis convictus, capite poenas luit: haec mihi conſtiterunt ex narratione *Xenophontis* Ἑλλ. VII, p. 363, 8—19. *Plutarchi* in Artoxerxe p. 1022. D. E. ubi Τιμαγόραν, inquit, διὰ δωροδοκίαν Ἀθηναῖοι θάνατον κατέγνωσαν. & in Pelopida p. 294. D. Ec ubi & dona, quae acceperit, enumerantur, & haec ſcribuntur: Τιμαγόραν γοῦν Ἀθηναῖοι κρίναντες ἀπέκτειναν, εἰ μὲν ἐπὶ τῷ πλήθει τῶν δωρεῶν, ὀρθῶς καὶ δικαίως· quia & aliam irae in illum cauſam paulo poſt attingit. Ter meminit iſtius Timagorae, etiam ut auro Perſico corrupti legati, a Leonte accuſati, & morte affecti, *Demoſthenes* Or. de Falſa legat. p. 204,

rathoniis campis, & Salaminiaca victoria ſtulte ſuperbi; (ſtulte; nam (63) degeneraverant ab iſtius aetatis moribus,) qui Philippum ut Macedonem habuerant deſpicatui (64), qui mentientes ut barbarum traduxerant, ipſi Athenien-

---

p. 204, §. 55. p. 230, §. 249. p. 241, §. 345. Vbi ſimpliciter Socrates a *Maximo Tyrio* dicitur illic mortuus, ἔνθα καὶ Τιμαγόρας ἀπέθανεν, Diſſ. XXXIX. in fine, pauca de Timagora notat *Daviſius*. Hi Perſico more Regem adoraſſe Timagoram, ut rem minoris momenti, ne memorant quidem. Sua *Suidas* in Τιμαγόρας ex duobus diverſis ſcriptoribus excerpſit: haec ex eorum altero: ὁ Τιμαγόρας, προσκυνήσας τὸν Περσῶν βασιλέα παρὰ τὰ Ἑλλήνων ἔθη, ἀνῃρέθη ὑπὸ Ἀθηναίων· his de ſuo *Suidam* iſta ſuſpicor interieciſſe: καὶ δωροδοκηθεὶς — ὡς εἴρηται. ante ſcilicet, alium ſequutus, dona Perſica recenſuerat, ob quae accepta Timagoram Athenienſes ἀνεῖλον. Inter iſta dona miretur aliquis numerari κλίνην πολυτελῆ, καὶ στρατιώτας θεράποντας· *lectum pretioſum, & milites miniſtros*, ut dedit in *Suidae* Hiſtoricis *H. Wolfius*: *miniſtros* maluit tantum *Portus*: quam non intelligebat ſciolus, vocem credidit compendifactam. *Suidas*, certe quem hic ſequutus eſt dederat στρώτας θεράποντας. Lecti eleganter & molliter inſternendi rationem ſibi ſolis primum innotuiſſe molles Perſae gloriabantur, & ſuos in eam rem peculiares *Storaces* habebant, *famulos* a Graecis στρώτας dictos: *Athenaei* Epitome II, p. 48. D. πρῶτοι Πέρσαι, ſecundum *Heraclidem*, καὶ τοὺς λεγομένους στρώτας ἐφεῦρον, ἵνα κόσμον ἔχῃ ἡ στρῶσις καὶ εὐάφειαν. hinc οἱ στρῶται παρὰ Πέρσαις memorantur *Euſtathio* in *Hom*. Il. Ω. p. 1510, 8. ſed in re minime dubia ne quis forte velit diſputare, en *Plutarchum*, cuius illic verba probabiliter deſcripſit vel *Suidas*, vel hoc antiquior Grammaticus, in Pelopida exhibentem p. 294. E. κλίνην πολυτελῆ, καὶ στρώτας θεράποντας, ὡς τῶν Ἑλλήνων οὐκ ἐπισταμένων· nempe στρῶσαι vel

Digitized by Google

nienſes iſti magniloqui nunc humiles, in aulam legati reptantes Macedonicam, ad regii cubiculi fores excubabant.

Aliquando feſſis exſpectando moraeque impatientibus, qui cum legatis ante regium cubicu-

---

vel τοσέρας· in Artax. p. 1022. E. κλίνην καὶ στρώματα καὶ τοὺς στρωννύντας ἔπεμψεν, ὡς οὐ μεμαθηκότων Ἑλλήνων ὑποστρωννύναι. Auctor eſt *Phanias Athenaei* l. c. Entimo Gortynio Regem dono miſiſſe στρώματα πολυτελῆ καὶ τὸν ὑποστρώσοντα, φάσκων οὐκ ἐπίστασθαι τοὺς Ἕλληνας ὑποστρωννύειν.

(63) Quantopere deſciverint a maiorum moribus, & in quam turpem adulationem fuerint prolapſi, nullo documento certius conſtat, quam ex carmine Ityphallico, quod triginta circiter annis poſt Philippi mortem publice decantarunt Athenis in honorem Demetrii Antigoni Regis filii: qui illud nobis carmen ſervavit *Athenaeus* VI, p. 253. D. E. F. (magnam partem emendatum a *Caſaubono* Anim. p. 443.) ibidem C. illos ceciniſſe ſcribit: ὡς εἷς μόνος θεὸς ἀληθινὸς, οἱ δ᾽ ἄλλοι καθεύδουσιν, ἢ ἀποδημοῦσιν, ἢ οὐκ εἰσίν. poſt exhibitum carmen, F. ταῦτ᾽, inquit, ᾖδον οἱ Μαραθωνομάχοι. huc, opinor, *Clemens Alex.* ſpectabat in Protrept. p. 48, 21. Μαραθωνομάχους legerat in *Ariſtophanis* Nub. v. 982. Ach. v. 180. &c. Cum ſemper maiorum iſtis laudibus gloriarentur ſuperbi, *Demoſthenes*, οὐκ ἔστιν, inquiebat, οὐκ ἔστιν ὅπως ἡμάρτετε, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, — οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων, &c quae ex Orat. de Corona, p. 175, notiſſima ſunt, ab aliis & a *Longino* verbis exquiſitis laudata π. Ὕ. Sect. XVI.

(64) *Demoſth.* in Philipp. III, p. 69, §. 36. Φίλιππα, ſcribit, οὐ μόνον οὐχ Ἕλληνος ὄντος οὐδὲ προσήκοντος οὐδὲν τοῖς Ἕλλησιν, ἀλλ᾽ οὐδὲ βαρβάρου ἐντεῦθεν ὅθεν καλὸν εἰπεῖν, ἀλλ᾽ ὀλέθρου Μακεδόνος, ὅθεν οὐδ᾽ ἀνδράποδον σπουδαῖον οὐδὲν ἦν πρότερον πρίασθαι. hinc apud *Lucianum* T. II, p. 866, pro Φιλ. γὰρ ὁ Μακεδόνων ὄλεθρος, quod perabſur-

culum confabulabatur, Parmenio (65), quid, aiebat, adeo miramini Philippum plus ſolito nunc dormientem, qui tamdiu vigilaverit; dum vos Graeci merſi ſomno iacebatis.

Neque mittebantur Athenis ad Philippum legati, quales exercitibus ſaepe duces adverſus illum dederant, glorioſi milites & magnifici promiſſores; ſed flos ipſe ingeniorum Atticorum, atque orbis adeo elegantioris.

Inter decem legatos, Athenis ſimul aliquando miſſos, oratores fuere, quibus terrarum orbis nihil adhuc vidit grandius & magnificentius, *Demoſthenes*, & *Aeſchines*, ſuis quisque dotibus admirandus & inimitabilis.

Singuli, quod ex (66) ipſius *Aeſchinis* narratione didici, verba fecerunt de rebus diverſis; & ſic ad ſingula rerum capita reſpondit Phi-

ſurdum eſt, ſcribi debet Φίλιππος γὰρ, Μακεδὼν ὢν ἄλλος, ὅθεν &c. de Perdicca *Demoſth.* p. 25, §. 35. ῥήτορσιν — αὐτοῖς, ὅστις ἐστὶ προσήκων βάρβαρος Ἕλλησι, quae ſcribens *Euripidae* reſpiciebat Trochaicum, propoſitum in Diatribe in Euripidea p. 211. conf. *Ariſtides*: T. II, p. 246. — Macedoniae Reges iſtos Graecos eſſe origine monſtratum a me fuit in adnotatione ad *Herodotum Weſſelingii* p. 882.

(65) Τῶν ἐληλυθότων ἐπὶ θύραις Ἑλλήνων ἀγανακτούντων, — ὦ Παρμενίων, μὴ θαυμάζετε, εἶπεν, εἰ καθεύδει νῦν Φίλιππος· ὅτε γὰρ ἐκαθεύδετε ὑμεῖς, οὗτος ἐγρηγόρει. *Plutarch.* T. II, p. 179. B.

(66) *Aeſchines* in Or. de Falſa legat. p. 33, 13. ἐξ ἀρχῆς, ait, πρὸς ἕκαστα τῶν εἰρημένων ἐνεχείρει τι λέγειν ὁ Φι-

Philippus, ut Athenienſium eloquentiſſimi mirarentur Regis & memoriam, & peritiam, & ſapientiam, & eloquentiam.

Quid hic *Demoſthenes?* Fulmen illud orationis, quod, ſicut olim Pericles, toties Athenas Atticas tremefecerat, in aula Macedonica ſubito fuit exſtinctum.

Credo equidem oratori conturbatam fuiſſe conſcientiam, atque excuſſam hac turbatione memoriam, cum coram ſpectaret Regem, quem toties pro concione laceraverat, tot virtutibus inſignem; Antipatro, Parmenione, quos tanquam ſervos Regis traduxerat, viris excellentiſſimis, ſtipatum velut ſatellitibus, tam blanda maieſtate venerandum. Certe qui toties coram millenis, etiam adverſariis, pacis bellive ſuaſor verba fecerat intrepidus, qui nun-

---

Φίλιππος· πλείστας δὲ εἰκότως ἐποιεῖτο διατριβὰς πρὸς τοὺς ἐμοὺς λόγους· cumque in itinere una Lariſſae coenarent legati, Demoſthenem dixiſſe, (v. 31,) τὸν Φίλιππον ὑπὸ τῶν ὅλων ἀνθρώπων πάντων εἶναι δεινότατον· ſe Aeſchinem, id ipſum confirmaſſe, quodque μνημονικῶς εἴποι πρὸς τὰ παρ' ἡμῶν ῥηθέντα· his ſubiecisse Cteſiphontem, qui ob aetatem caput eſſet legationis, ὡς ἐν τοσούτῳ χρόνῳ τῷ βίῳ ἁπάντων ὅσους ἴδοι οὐδ' ἐπαφρόδιτον ἄνθρωπον ἑωρακὼς εἴη. conſ. *M. Olivier Hiſt. de Phil.* T. II, p. 60, & ſeqq. ubi, praeter cetera, haec ſcribit: „ l'impreſ-
„ ſion, que Philippe fit ſur Démoſthene, n'eſt point
„ incroyable. Les gens les plus éloquens ſont les
„ plus touchés du mérite de l'éloquence ".

nunquam obtorpuerat, coram uno Philippo, ſimulatque perplexe titubans dicere coepiſſet, ſubito (67) perturbatus obmutuit, neque ullis Regum humaniſſimi blandimentis dicenda ſibi potuit in memoriam revocare.

Redux Athenis *Demoſthenes* iterum in foro velut in ſua domo concionator dominabatur, & collegam legationis *Aeſchinem* ut Philippi fautorem traducebat, *Aeſchinem*, eruditorum iſtius aetatis elegantiſſimum, *Aeſchinem* convivam amabilem, atque eo minus alienum a Rege, quem ſemper oderat, ut Atticae libertatis

(67) De re, quae coram tot teſtibus evenit, quamque negare nunquam ſuſtinuit *Demoſthenes*, quum a nonnemine dubitatum memini, verba quaedam adſcribam accurate quid evenerit narrantis *Aeſchinis* ex p. 32, v. 36, ἤδη καθῆκεν εἰς Δημοσθένην τὸ τῆς πρεσβείας μέρος· καὶ πάντες προσεῖχον ὡς ὑπερβολάς τινας δυνάμεως ἀκουσόμενοι λόγων. — οὕτω δὲ ἁπάντων διακειμένων πρὸς τὴν ἀκρόασιν, φθέγγεται τὸ θηρίον τοῦτο προοίμιον σκοτεινόν τε καὶ τεθνηκὸς δειλίᾳ· καὶ μικρὸν προαγαγὼν ἄνω τῶν πραγμάτων, ἐξαίφνης ἐσίγησε καὶ διηπορήθη· τελευτῶν δὲ ἐκπίπτει ἐκ τοῦ λόγου. ἰδὼν δὲ αὐτὸν ὁ Φίλιππος ὡς διέκειτο, θαρρεῖν τε παρεκελεύετο, καὶ — ἡσυχῇ καὶ κατὰ μικρὸν ἀναμιμνησκόμενον (p. 33, 1,) καὶ λέγειν ὡς προείλετο. ὁ δ', ὡς ἅπαξ ἐταράχθη καὶ τῶν γεγραμμένων διεσφάλη, οὐδ' ἀναλαβεῖν ἑαυτὸν ἠδυνήθη· ἀλλὰ καὶ, πάλιν λέγειν ἐπιχειρήσας, ταὐτὸν ἔπαθεν. — ὡς δὲ ἦν σιωπή, μεταστῆναι ἡμᾶς ὁ κῆρυξ ἐκέλευεν. conferri poterunt *Philoſtratus* de V. Soph. p. 565, 614. *Aelianus* V. H. VIII. c. XII, & *Iac Perizonius*.

(68) Arcades hic debuiſſent certe memorari, ſi vera ſcriberet *Diodorus* XVII, c. 3, Ἀρκάδες — οὔτε Φιλίππῳ συνεχώρησαν τὴν ἡγεμονίαν, (voces μόναι τῶν Ἑλλήνων· non mihi videtur *Diodorus* adieciſſe, qui paulo an-

tis inſidiatorem; *Demoſthenes*, aquae potor ille ſeveriſſimus.

Ceteros Philippus Graeciae populos dicto ſibi iam habebat audientes, praeter Athenienſes (68) & Lacedaemonios; horum quinimo ferociam, ab Epaminonda commilitone ſuo iam caſtigatam, rebus in Peloponneſo pro arbitrio compoſitis, manſuefecerat.

Solos Athenienſes ſibi cenſebat eſſe morae atque impedimento, ſive ſolum pôtius *Demoſthenem*, corporis Attici velut animam; hunc unum (69) adverſarium Athenis ſe formidare di-

---

ante dixerat τὴν τῶν Ἑλλήνων ἡγεμονίαν) οὔτ' Ἀλεξάνδρῳ προσήκειν. Sed odio Lacedaemoniorum favebant Arcades ipſi Philippo, eumque admirabantur: *Demoſth.* de Falſa legat. p. 256. f. καὶ τῶν Ἀρκάδων πολλοὶ — Φίλιππον θαυμάζουσι, καὶ χαλκοῦν ἱστᾶσι, καὶ στεφανοῦσι, καὶ τὸ τελευταῖον, ἂν εἰς Πελοπόννησον ἴῃ, δέχεσθαι ταῖς πόλεσιν εἰσὶν ἐψηφισμένοι. conf. *Polybius* IX, p. 781. *Pauſanias* VIII, p. 611. f. p. 662. f. Idem p. 656. m. Φίλιππον τὸν Ἀμύντου καὶ Μακεδόνας τὴν ἀρχὴν οὐχ ἥκιστα αὐξηθῆναι τὸ ἰσχυρὸν τὸ Ἀρκάδων ἐς Λακεδαιμονίους ἐποίησεν, &c.

(69) Haec & proxima in *Lucianeo* Demoſthenis Encomio dixiſſe traditur Philippus, T. III, p. 517, εἰ μὴ Δημοσθένης εἷς ἐν Ἀθηναίοις ἐγένετο, ῥᾷον ἂν εἴχομεν τὴν πόλιν, ἢ Θηβαίους καὶ Θετταλούς· — οὗτος ἐκείνων ἐγρήγορε, καὶ πᾶσι τοῖς καιροῖς ἐφίσταται, καὶ ταῖς ἡμετέραις ὁρμαῖς ἐπακολουθεῖ, καὶ τοῖς στρατηγήμασιν ἀντιπαρατάττεται. — p. 518, τοῦτον — χρὴ δεδιέναι μᾶλλον, ἢ πάσας τριήρεις &c. — p. 519, Demoſthenis τοὺς λόγους, ὥσπερ κριοὺς ἢ καταπέλτας, Ἀθήνηθεν ὡρμημένους, διασείειν αὐτοῦ καὶ καταράττειν τὰ βουλεύματα. Hoc Philippi de Demoſthene dictum exhibet *Dion Chryſ.* Or. II, p. 22. B. ἐθελῆσαί γε παραχωρῆσαι Ἀθηναίοις Ἀμφιπόλεως ἀντὶ τῆς Δημοσθένους δει-

dicebat; qui ſemper vigil ſua circumſpectaret molimina, cuius Athenis emiſſa verba, tanquam arietes & catapultas, omnia ſua convellere machinamenta.

Huius in hoſte miratus unius virtutem, Athenienſes ceteros pleroſque deſpiciebat; neque illud immerito; qui degeneraſſent a maiorum virtutibus; qui nihil adeo haberent, cur Macedonibus anteponerentur; qui bello delegatam a veteribus pecuniam aut ipſi tanquam hirudines concionales exſugerent aerario publico, aut in dies feſtos effunderent.

Multum ſe Philippus debere dictitabat Athenienſium inſaniae, qui, cum (70) ducem creare poſſent *Demoſthenem*, vaniſſimos ſibi tantum opponerent Imperatores, lingua feroces, opera pueros.

Ex-

δεινότατος. Apud *Suidam* in Δημοσθένης ὁ ῥήτωρ epigramma legitur, quod baſi ſtatuae aeneae publicitus factae inſcribi voluerint Athenienſes: Εἴπερ ἴσην ῥώμην γνώμῃ, Δημόσθενες, εἶχες, Οὔποτ' ἂν Ἑλλήνων ἦρξεν Ἄρης Μακεδών.

(70) Ibidem ap. *Lucian.* p. 518, Philippus καλῶς γε, ἔφη, ποιοῦσιν Ἀθηναῖοι, Χάρητα μὲν, καὶ Διοπείθην, καὶ Πρόξενον, καὶ τοιούτους τινὰς ἀποδεικνύντες στρατηγεῖν, Δημοσθένην δὲ εἴσω κατέχοντες ἐπὶ τοῦ βήματος· ὡς, εἰ τοῦτον τὸν ἄνθρωπον ὅπλων ἀπέφηναν, καὶ νεῶν, καὶ στρατοπέδων, καὶ καιρῶν, καὶ χρημάτων κύριον, ὀκνῶ μὴ περὶ τῆς Μακεδονίας ἂν κατέστησέ με τὸν λόγον. p. 519, talia ſaepius ad Antipatrum dixiſſe narratur, ἐν τῷ παρὰ τῆς τύχης χρηστῶν τιθέμενος, τὸ μὴ στρατηγεῖν τὸν Δημοσθένην. Vt ex uno Charete, quem inter duces Philippo oppoſitos ab Athenienſibus eminuiſſe tradunt, aeſtimentur reliqui, de illo *Diodorus* XVI, c. 85, τῶν δ' ὑπολελειμμένων, inquit, (στρατηγῶν) Χάρης

πρω-

Exſpectatam diutiſſime, tandem maturitatem adeſſe temporis iudicavit ſaepius exacerbatus, quo ſuperbiam Athenienſium refutaret. Improviſus venit in Phocida, cepit Elatéam; huc contraxit exercitum, bellum Athenienſibus illaturus.

Quid interea Thebis, quid Athenis, quid alibi fuerit geſtum, enarrare tempus non patitur.

Ad Chaeronéam luculentam Philippus de Athenienſibus & ſociis victoriam reportavit, quae, ſicut eventus docuit, antiquae Graecorum libertati, cuius fuerant ſemper cuſtodes Athenienſes (71), finem impoſuit. Nobiliſſimam gentem una clade concidiſſe, mirum videri poterit cogitanti, quot cladibus ad incitas ſaepe redacti bellis Punicis Romani ſemper tamen

---

πρωτεύων οὐδὲν διέφερε τῶν τυχόντων ἰδιωτῶν κατὰ τὴν ἐν τῷ στρατηγεῖν ἐνέργειαν καὶ βουλήν. ingenium hominis, vitam, & mores enarrat *Theopompus* apud *Athen.* XII, p. 532. C. D. Vaniſſimum fuiſſe promiſſorem monſtrat proverbium, Αἱ Χάρητος ὑποσχέσεις, apud *Zenob.* Cent. II, Prov. 13. *Diogen.* II, 1. Cum ſui ſimilem ducem Philippo militantem Alectryonem forte interemiſſet, & hoc inane meritum arrogantius iactaret, in proverbium etiam abiit Φιλίππου Ἀλεκτρυών, teſte *Zenobio* Cent. VI, Prov. 34. de quo Comicorum loca dedit *P. Leopardus* Emend. XI, c. XIII. Poſt victoriam Chaeronenſem dicenti Philippo, ποῦ ἡ εὐγένεια καὶ ἡ ὑπεροχὴ τῆς Ἀθηναίων πόλεως, *Demades*, ἔγνως ἄν, ἔφη, ὦ βασιλεῦ, τὴν τῆς πόλεως δύναμιν, εἰ Ἀθηναίων μὲν Φίλιππος, Μακεδόνων δὲ Χάρης ἐστρατήγει, in *Stobaei* Flor. p. 365, 37.

(71) *Pauſanias* I, p. 59. m. Τὸ ἀτύχημα τὸ ἐν Χαι-

ρω-

men liberam cervicem erigerent, creſcerentque preſſi, in rebus adverſis admirabiliores merito viſi, quam ſecundis. Verbo dicam; huius aetatis Graecis deerat iſtius temporis Romana virtus, quae ſtabat in maxima rerum ruina ſemper immobilis, atque omnia iterum erigebat.

Athenas ſibi Philippus non ſubiecit, neque ulla parte videri voluit imminuiſſe, qua fruebantur, libertatem: ut Athenas victorem duceret exercitum adhortanti (72) dicebat abſurde ſe facturum, qui tot mala gloriae cauſa toleraſſet, ſi everſum iret gloriae theatrum.

Miſit illuc Antipatrum, & Alexandrum filium, qui pacem victis offerrent honeſtiſſimam; ipſe (73), ne Muſarum & Minervae ſedem victor violaſſe videretur, Athenas ne oculis quidem contigit.

Qui ceciderant in praelio, his iuſta facienda curavit, corporumque reliquias Athenas deportari, captivos Athenienſes, duo hominum millia, domum remiſit incolumes; atque iſthac

ρωνίᾳ ἅπασι τοῖς Ἕλλησιν ἦρξε κακοῦ, καὶ οὐχ ἥκιστα δούλους ἐποίησε τοὺς ὑπεριδόντας, καὶ ὅσοι μετὰ Μακεδόνων ἐτάχθησαν. conf. III, p. 222. init. V, p. 429. m. *Iuſtinus* IX, c. 3. f. *Hic dies univerſae Graeciae & gloriam dominationis & vetuſtiſſimam libertatem finivit.*

(72) Ἀτόπως ἔλεγεν εἶναι κελεύοντας, ἄνθρωπον ὑπὲρ δόξης πάντα ποιοῦντα καὶ πάσχοντα ἀποβαλεῖν τὸ τῆς δόξης θέατρον, *Plutarch.* T. II, p. 178. A.

hac humanitate multiplici tandem omnes cepit Athenienſes; praeter animum *Demoſthenis* inſuperabilem.

Credo equidem Athenis non paucos fuiſſe, qui ſuperbo populo Philippum dominum taciti praeoptaſſent, neque illos duntaxat, qui Regis humanitate munifica capti dudum eius partibus faverant, ſed & cives optimos, qui mallent ſub humaniſſimi Regis imperio otioſi vivere, quam negotioſi ſub tot ſuperbis dominis, & ſycophantis, quot libera alebat reſpublica.

Et quid tandem erat iſta decantata libertas? excellentium illa quidem ingeniorum, Poëtarum diviniorum & Oratorum nutrix atque educatrix; ceterum, ſi vera licet fateri, nomen inane, atque immoderata popularis licentia.

Regi debent, qui regere neſciunt; quam artem, haud ſane facillimam, ignorabant Athenienſes.

Hi omnia iam erant, quae Philippus deſideraret, facere parati, quodque tot ille laboribus, & victoriis adipiſci non potuerat, ſola, iu-

(73) Aliam homo ſuperſtitioſus *Ariſtides* dat rationem, cur Athenas ne aſpicere quidem victor ſuſtinuerit, Dei nempe, vel Deae Minervae, reverentiam, in Panathen. T. I, p. 318. 319, Φίλιππος, εὐτυχήσας τῇ περὶ Χαιρώνειαν μάχῃ, τὴν μὲν Θηβαίων πόλιν εὐθὺς φρουρᾷ κατέλαβε, τὴν δὲ τῶν Ἀθηναίων οὐδὲ εὐθὺς οὐδ᾽ ἰδεῖν ὑπέμεινεν, ἀλλ᾽ ἔστη κατὰ χώραν αἰδοῖ τοῦ κρείττονος.

iudice (74) *Polybio*, ſola fuit humanitate conſequutus, lenique clementia, quam victi dilexerunt.

Corinthum evocati cum ceterorum legatis conveniunt; ubi ſic verba fecit Philippus, ut communibus tandem votis (niſi quod ſoli pervicaces reluctabantur Lacedaemonii,) Philippus crearetur, quod unum ſemper optaverat, *terra marique Graecorum Imperator.*

Animo contentus regali, ſuaeque Macedoniae titulo, Regem ſe Graeciae dici noluit. P. Corn. Scipio, exemplar illud amabile Romanae virtutis, ad cuius vim neque Philippus, neque ullus forſan Imperator veteris Graeciae comparari poteſt, Corn. inquam, Scipio, Hiſpanis magno conſenſu Regem adpellantibus, *ſibi dicebat maximum nomen Imperatoris eſſe; Regium nomen, alibi magnum, Romae intolerabile eſſe.* DIXI.

---

(74) *Polybius* V, p. 509, Φίλιππος, inquit, νικήσας Ἀθηναίους τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην, οὐ τοσοῦτον ἤνυσε διὰ τῶν ὅπλων, ὅσον διὰ τῆς ἐπιεικείας καὶ φιλανθρωπίας τῶν τρόπων. τῷ μὲν γὰρ πολέμῳ καὶ τοῖς ὅπλοις αὐτῶν μόνων περιεγένετο, καὶ κύριος κατέστη τῶν ἀντιταξαμένων· τῇ δ' εὐγνωμοσύνῃ καὶ μετριότητι πάντας Ἀθηναίους ἅμα καὶ τὴν πόλιν αὐτῶν ἔσχεν ὑποχείριον. ubi plura proſtant in hanc ſententiam. In Excerptis ex *Diodoro*, T. II, p. 589. 38, haec etiam de Philippo leguntur: ὁ διὰ πολλῶν ἀγώνων καὶ κινδύνων μὴ δυνάμενος τυχεῖν τῆς ἀρχῆς, διὰ μιᾶς φιλανθρωπίας ἔλαβε παρὰ τῶν πολεμίων ἐθελοντὶ τὴν τῆς Ἑλλάδος ἡγεμονίαν.

L. C. V.

O R A T I O

DE CRITICA EMENDATRICE, IN LIBRIS SACRIS NOVI F. A LITERATORIBVS, QVOS VOCANT, NON ADHIBENDA.

[Habita Franeq. CIƆIƆCCXLV.]

In hac ſede Muſarum collocatus, Academiae dignitatem, a ſingulis noſtri ordinis hominibus, & conſervandam eſſe ſemper credidi, & quantulis etiam cunque incrementis amplificandam. Opinio, ut equidem arbitror, honeſtiſſima, cum ſaepenumero ante, tum ab eo inprimis tempore animum occupavit, a quo, ſtudiis meis onerofum, Rectoris munus mihi fuerat impoſitum. Conſuetudini obtemperandum, & coram vobis, AVDITORES HONORATISSIMI, hac hora dicendum eſſe, laetus praevidebam; atque adeo commovebar animo, eam ut ſeligerem e multis materiam, quae huius loci amplitudinem pro meo quodam modulo tueri poſſet, quaeque Audientium aures minimum fatigatura videretur. Idcirco decreveram verba facere de laetiſſimo Academiae Franequeranae ſtatu, & in illorum laudes excurrere, qui ſeculo potiſſimum decimo octavo ſemotum hunc orbis terrarum angulum ſua claritate illu-

ſtra-

minaverunt. Religionis & Scientiarum Firmamenta, literarumque Tutores Potentiſſimi; capitalia Magnorum Virorum ingenia; Graviſſimus hicce hominum Clarorum conſeſſus; Adoleſcentes egregii, quorum dum alibi terrarum magna erat penuria, in hac Academia incredibilis fuit, & nunc adhuc, ſevera lege bonarum artium ſtudiis operantium, invidenda iſta eſt feracitas; illa univerſa facilem imparato oratori copiam ſubminiſtrabant.

Dum vero in eam materiem oculos protendebam, improviſi apparuerunt ſcopuli; qui, quocunque me verterem, non poterant evitari. Scopulis iſtis a celebranda hoc tempore Academiae felicitate deterritus, orationis meae curſum alio dirigendum eſſe animadverti. Coepi itaque, quam ſuſtineo, perſonam reſpicere, atque illud hominum genus, quocum maxima mihi intercedebat neceſſitudo; & meditatus cauſam inveni, quae veſtrum nemini, quantum opinabar, diſplicitura, quaeque animi mei ingenio ſatis eſſet accommodata. A me certe non iudicabitur alienum, ſi hac hora vobis audientibus diſſerere aggrediar, quid iſti hominum ordini, quos Literatores, ſive Criticos, appellant, ad vitae tranquillitatem, & ad famae commendationem, praetermittendum videatur.

Dicam itaque, AVDITORES, & dixiſſe non poenitebit, Critico, qui ceteras muneris

ſui

ſui partes impleverit, id inprimis eſſe curandum, ut a Sacris Novi Foederis libris, quos Chriſtiani omnes veneramur, publice explanandis, manus ſuas abſtineat; atque id ſibi firmiter in animum inducat, ſanctiores has partes ſeveriorum fuiſſe Disciplinarum conſultis concreditas. Qui in Auctoribus Profanis interpretandis & evulgandis per tria iam ſecula induſtriam ſuam collocaverunt, illos rite feciſſe contendo & providenter, ſiquidem ſacram, quam vocant, Criticen ſcriptis editis nunquam attigerint. Horum hominum, quos plurimi eo crediderunt vituperandos, cauſam agere & apologiam dicere inſtituo; ſi vos vultis huic declamatiunculae audientiam facere. Et accidit mihi hoc in loco ſecus ac vulgo Oratoribus ſolet: absque ut ullis blandimentis veſtram mihi benevolentiam conciliare connitar, auguror equidem, fore plurimos, qui mecum pie ſint opinaturi; unicum illud ſalutis comparandae inſtrumentum eximia eſſe veneratione animi contrectandum; Criticam licentiam refrenari debere; & Literatores, frena pati indociles, a Sacris Novi Foederis Libris illuſtrandis quam longiſſime eſſe abalienandos.

Materiae, a nemine priorum, quem quidem ego cognoverim, pertractatae, inexſpectata novitas efflagitat, Auditores Honoratiſſimi, ut ad dicenda mentes admovere dignemini. Atque ut oratio mea ſingulis eſſet

ac-

accommodata, primum mihi videbatur, ſed breviſſime, de Critico; tum de emendatrice in libris Novi Foederis adhibenda Critica eſſe dicendum; tandem praecipuum orationis argumentum ſua luce communiendum.

De Critico fatebor equidem me paulo aliter ſentire, ac vulgus ſolet: neque enim iſtam tenuem ſcientiam Criticen dixerim; quae in literis, in vocibus, in verborum interpunctione occupata, & arctiſſimis ſpatiis circumſepta, ex iſta ſua orbita nunquam evagatur. Iſtius nominis honore illos dignari nolim; qui, in purgandis momenti permediocris Auctoribus toti, leve tirocinii ſui ſpecimen protulerunt; & hoc illove Auctore edito aliquam inter harum rerum ſtudioſos ſibi famam comparavere; qui chartis vetuſtis impallescentes memoriam ſolam exercuere; qui in variarum lectionum differentiis coacervandis totam vitam transegere; qui, codicum lectionibus tenaciter adhaerescentes, nihil unquam genuinum, nihil unquam novi periclitantur. Si qui forte variarum lectionum acervos irridetis, earumve ſpectatores exagitatis, non vexatis Criticos; ſed divinae artis exordia ridetis atque elementa: atria contemnitis, in quibus lente progredientes caſti Muſarum Sacerdotes ad intimum penetrale deveniunt; ubi iis initiantur myſteriis, quae populo nunquam videbuntur revelanda. Literatores ubique gentium reperie-

mus,

mus, ſed Criticos, niſi me animus fallit, oppido paucos: atque ut descriptione quadam mentem aperiam; primi ordinis Criticos voco illos ſolos, qui, nativo celerrimi ingenii acumine ſuisque bonis opulenti, integram iudicandi vim, animo divinitus impreſſam, ac ſolido nutrimento educatam, indies roborant; qui, Linguarum peritiſſimi, & in Veterum monumentis aſſidua exercitatione occupati, iudicis perſonam nunquam deponunt; qui, quidquid ſpatioſa complectitur vetuſtas, quidquid recentioris eſt memoriae, capaci mente ita comprehendunt, ut nobilior illa cernendi & diiudicandi facultas, a tanta rerum, ſed in ſuas velut cellulas & apothecas diſpoſitarum, copia, minime oppreſſa, ſuum ſemper principatum obtineat.

Primi Ordinis Criticos appellamus Leopardos, Scaligeros, Caſaubonos, I. F. Gronovios, Nic. Heinſios, Bentleios, & quotquot Principibus Viris ita fuerunt inferiores, ut, longo licet intervallo, proximi tamen illis adnumerari mereantur. In cuiuscunque autem Scientiae parte potiſſimum eminuerint; ſive fuerint Iuriſconſulti, ſeu Medici; ſive Philoſophiam, ſeu, Scientiarum dominam, Theologiam profeſſi; iſtiuſcemodi homines Criticos appellamus. Iſtiuſcemodi homines in veſtris ſinguli Scientiis vobis repraeſentate, Viri Eruditiſſimi, atque illos ceteris anteponendos eſſe fatebi-

bimini. Ne eos, qui vivunt, nominem, cogitate mihi Budaeos, Auguſtinos, Cuiacios; Foeſios, Euſtachios, Boerhavios; Gaſſendos, Newtonos, Leibnitios; Bezas, Cocceios, Vitringas; & cogitate, ſi eos criticos appello, cum quam paucis ſuperbi nominis honos, meo certe arbitratu, videatur eſſe communicandus. Sed hac hora loquentium uſui me commodare conſtitui. Criticos ſeu Literatores appellant, qui, nullius Scientiae nomen profitentes, Auctores vetuſtos, Graecos & Latinos, interpretantur; & in mendis, quas temporis diuturnitas & malae hominum manus iis impreſſerunt, verſantur emaculandis, quique in ſpatioſiſſimo humanarum literarum campo dominantur.

Quotquot tales aut reperiuntur, aut fuerunt, hos recte feciſſe ſtatuo, ſi in ſolis Auctorum Profanorum monumentis artem iſtam ſuam exercuerint; illis omnibus a Libris Sacris, non privatim, ſed ſcriptis editis publice explicandis, & inprimis a contextu, quem vocant, Novi Foederis corrigendo, diſcedendum eſſe contendo.

Nonnullis videbitur admirabile, cuipiam, Sacrae Scripturae reverenti, placere poſſe, quod ego Criticis abiudico, & videor mihi dicentes audire: corrigere Novum Teſtamentum! quanta temeritas! quam veſana haec eſt impietas! Si qui tales, quos raros fore confido, in hac ampliſſima Hominum Doctorum pane-

negyri reperiamini, per Muſas vos obteſtor; pios pulcrosque terrores deponite; invidiam, ſi quam ſusceperitis, mitigate; & in hoc ingenuae libertatis Theatro Friſiaco per momentum ſaltem horae divinae mentis oculos libere erigite; atque aequi iudices rem omnem cognoscite, ſimplici vobis ſermone enarrandam.

Quod vetuſtis Scriptoribus ceteris accidit; quodque per rei naturam fieri non poterat aliter, evenit etiam Sacratiſſimis Libris, qui Novum Foedus conficiunt; ut per longum iſtum ſeculorum decurſum ab hominibus Linguarum imperitis, diverſiſſimis in locis, millenis vicibus describerentur. Aeque ac ceteri libri, & hi in malas incidere correctorum manus, quos nulla tetigit tanti Theſauri veneratio. Aeque ac ceteri libri, & hi describentium erroribus expoſiti patuerunt. Hoc certiſſimis rerum documentis conſtat, atque omnibus, qui haec ſtudia mediocriter attigerunt, eſt exploratiſſimum.

Poſteaquam admirabilis ars fuerat inventa; quum reliqui Veterum libri e ſuis clauſtris, in quibus per longam noctem delituerant, extrahebantur; primus (nam de Complutenſi editione alia res eſt) primus Graecum Novi Foederis Codicem cum publico his in oris communicavit Erasmus. Hic e pauciſſimis codicibus, (quatuor tantum habuit Erasmus) inter ſe diſſidentibus, probabiles hinc inde lectio-

nes elegit, atque editionem nobis adornavit, aliquoties eiusdem cura iteratam.

In eodem ſtadio inſequutus, qui melioribus erat libris ſcriptis inſtructus, Robertus Stephanus, ab Eraſmi tamen editione ſibi raro recedendum credidit; niſi quod hic, novo inſtituto, ſingula Librorum & Epiſtolarum capita, in minutas iſtas particulas, quas verſus vocant, (qui millenis totidem videntur velut aphoriſmi, ſic ab ipſis ſcriptoribus diſtincti) feſtinanter diſtraxit; ac venuſta, ſuiſque membris ſcienter illigata, Divinarum Pauli Epiſtolarum compage diſſoluta, hac ſua mala ſedulitate, iis tamen qui vocum ſingularum indices conficiebant neceſſaria, vulnus Sanctiſſimis Libris inflixit, nullo unquam aevo ſanabile.

Deinceps Novum Foedus in Latinum ſermonem convertit; a prioribus editum iteravit, ſuiſque adnotatis inſtruxit Latinarum elegantiarum arbiter, multo venuſtior, quam Theologo neceſſe erat, & inprimis Graece perdoctus, Theodorus Beza. Hic, ſua eruditione confidentiſſimus, &, ſi eventum ſpectemus, feliciter audax, unius & alterius codicis adiumento uſus, ac ſola ſaepe nixus ingenii ſagacitate, receptas in plurimis locis lectiones ſollicitavit. Ex tribus iſtis, quas memoravi, quidquid ferme habemus editionum Novi Foederis profluxiſſe recordabimini.

Sed quando Critice veterumque monumenta in-

indies magis ac magis exſplendeſcebant, Praeclari homines ſub finem praecedentis ſeculi Novum Foedus tandem tamen reſpicere, & coeperunt cogitare; Libris Sanctiſſimis nitorem, cuius videbantur in rebus etiam levioribus capaces, ſuum hactenus defuiſſe.

Pretioſi Codices in divites Anglorum, & Potentiſſimi Galliarum Regis, aliorumque bibliothecas interea temporis ex Oriente fuerant illati. Dum in araneoſis libris excutiendis, & in lectionum diverſitate ex iſtis libris enotanda, plurimi in variis Europae locis particulatim elaborarunt; hanc ſibi partem univerſe pertractandam vindicant Theologi Anglicani; quibus tantum debet, anteriorum ſeculorum commentis plurimis vacuefacta, Chriſtianorum diſciplina; ut, ſaepenumero formidatis ictibus impetita, nunc tandem ſuis ſit firmamentis impoſita.

Ioannis Felli, qui integra morum ſanctimonia Epiſcopus Oxonienſis inclaruit, Ioannis, inquam, Felli exemplo, & huius aliorumque admonitu, ad opus permoleſtum incitatus Ioannes Millius, tandem, edito Novo Foedere cum diverſis codicum lectionibus, nomen ſuum poſteritati commendavit.

Operoſa Viri laborioſiſſimi, ſed in acervum congeſta materies vindicem huc usque ſuum & diribitorem exſpectavit; qui molem iſtam indigeſtam diſponeret in ordinem, quique veram ubique locorum ſcripturam digito demonſtra-

 ret,

ret, ſive e ſcriptis libris, ſeu aliunde eruendam.

Egregia aliorum molimina ne commemorem, non unius retentu maligne retardata, ante hos undecim annos Tubingae laudabilis Auguſtanae formulae clariſſimi Theologi, Ioannis Alberti Bengelii, opera enituit. Hic in ſua Novi Foederis editione praeſtitit non pauca, & tamen, more rerum humanarum, plura reliquit aliis peragenda.

Sed ante mihi videtur, quam ulterius pergere inſtituam, nonnullorum dubitationibus hoc in loco occurrendum. Millii ſimiliumque operam eo cenſuere vituperandam, quod, ſcriptionis diverſitate e codicibus in lucem protracta, verebantur, ne certa tandem aliquando in dubium revocarentur. Verum pius iſte, ſi quis ita velit, metus vanus eſt & indecorus. Si codices Auctorum Profanorum eadem ſedulitate tractarentur, iſtiusmodi ſcripturae varietates etiam plures in illis reperirentur, neque tamen propterea eorum auctoritas ulla parte imminueretur. Prodeant e centenis Librorum Sacrorum codicibus aliquot variationum millia: tantus numerus hominem iſtarum rerum ſcientem non perterrefaciet, ipſamque Religionem corroborabit, nunquam ſuis fundamentis emovendam, & per immenſos variarum lectionum acervos ne tantillum quidem labefaciendam. Diſſident Codices Novi Foede-

deris; ſed & omnes conſpirant: diſſident in rebus (fas ſit ita dixiſſe) minutis; in magnis conſpirant: diſſident in apicibus literarum, in literis, in vocibus, in verborum ſtructura; conſpirant, quod veri amatores laeti ſemper praedicabimus, conſpirant in iis omnibus tradendis, quae Chriſtum amanti ad vitam bene informandam, atque ad aeternam animae ſalutem, ſcitu ſint neceſſaria. Eadem in omnibus libris ſcriptis, eadem in omnibus editionibus, eadem viget, Tua, Optime Maxime Ieſu, Doctrina, nullo unquam aevo obliteranda.

Eat nunc *Deiſtarum* ſignifer *Antonius Collins*, qui honeſtum libertatis cogitandi nomen effrenata ſua audacia infamavit! Eat nunc *Collinſius*, nobisque, Chriſtianae diſciplinae cauſam Millianā opera fuiſſe debilitatam, indocte oggauniat! Et vos, poſteaquam dux veſter ſuis armis devictus, & a Richardo Bentleio compreſſus obmutuit, & vos hinc abitote, humano generi infructuoſae ſapientiae ſectatores nimium cupidi, qui ſpecioſo *Deiſtarum* nomine in Anglia cenſemini: aut intra veſtra vos ſepta continete; aut aliorſum arma convertite; ſed ab hoc inexpugnabili munimento quantocius diſceditote. Sacerdotes indoctos, per me licet, criminamini; caſtiſſimae Religionis adminiſtros male religioſos, aeternarum humanitatis legum immemores, pacis fugitantes, rixarum cupidos, criminamini; & in fanaticis irridendis ſalſa veſtra dicte-

ſteria, ſi placet, abſumitote. Horum equidem cauſam non ſuſcepi defendendam; ſed illud usque tuebor, ſcriptionis differentia, quae in Novo Foedere omnium proſtat oculis expoſita, Religionem ne minimum quidem fatigatam debilitari: quandoquidem, immenſo Summi rerum Moderatoris beneficio, quae Chriſti Religionem conficiunt, paucorum capitum intellectu facilium, integritas ad nos usque eduravit intaminata.

Videtis, AUDITORES HONORATISSIMI, ut illuc oratio mea provehatur, videtis, Criticam iſtam, de qua dicere inſtitui, ſupellectilem a Religione curatiſſime eſſe ſeiungendam, & ab hominibus eruditis tantum contrectandam: Hos iuvat, non tantum Religionis cognoſſe capita; ſed & ea, quae populo minuta viderentur, ſed & ſingula verba, quae aeterni boni Pandectis continentur, diligentur exploraviſſe: Eam cognitionem ut adipiſcantur, ut Auctorum mentem inveſtigent, antiquitatis caligine frequenter obſcuratam; opus eſt Linguarum ſtudio, doctrina excellenti, ingenio fagace, calore coniectandi, iudicandi virtute, opus eſt Critica.

Has

(*) „ Doleo " inquit Vir Optimus „ maximopere, „ Eruditiſſimos quosvis hoc in ſtudiorum genere parum ea curare, quae ad Libros Sacros pertinent, „ operam ſuam in profanis Auctoribus — edendis lubentius collocantes, quum ſane ii aptiſſimi eſſent ad „ Criticam Sacram Novi Teſtamenti ita excolendam „ tra-

Has dotes cum Novi Foederis interpreti animadverterent eſſe neceſſarias, Praeclari Theologi, ſive aliis occupationibus diſtracti, ſeu ſuapte natura ab iſtiusmodi rebus pertractandis alieniores, Criticen iſtam Novi Foederis Sacram Humaniorum Literarum peritis propriam facere voluerunt, atque iis divinum huncce campum excolendum faciles aperuerunt. Plures in teſtimonium a me poterant citari; ſed duo tantum nominabo: „ mirari " ſeſe dicebat Eduardus Bernardus, „ cur neglecta hac parte „ Sacrae Criticae longe nobiliſſima humanio-„ ris literaturae deliciis ſe tantopere demerſe-„ rint Heroes literarii, Scaliger, Caſaubonus, „ Heinſius uterque, uterque Voſſius, alii; — „ cum in Sacris N. F. literis ampliſſimus patue-„ rit campus, in quo ingenium divinum exer-„ cere potuiſſent. " Non pauca etiam variis in locis ſcripſit Chriſtophorus Matthaeus (*) Pfaffius, ut Literatores ad nobile ſtudium ſuſcipiendum excitaret.

Eorum ſimiliumque orationem, ſanequam probabilem, multorumque mentibus etiam nunc inſitam opinionem convellere conabor; at-

„ tradendamque, ut ad perfectionem quandam ali-„ quando aſſurgeret, & praeiudicia hoc in argumento „ non refutarentur amplius, ſed, qui contrarium ſen-„ tiret, ut rerum omnium ignarus deſpectui riſuique „ doctiorum exponeretur. " At hi, poſtquam nobilem illam Summi Bentleii, in vexatiſſimo S. Pauli ad Ga-la-

atque oſtendere allaborabo, optimorum Virorum conſiliis hac in parte Critico non ita eſſe obſecundandum, ut cogitata ſua eliminet, aut in publicas hominum manus demittat.

In eam rem argumenta dici poterant plurima, quorum eam tantum partem depromam, quae huic Hominum Eruditorum concioni movendae videbatur accommodata: nam in primo cogitandi calore multo plura effuderam, quae hora prudentior & circumſpectatrix eo eſſe temperamento moderanda perſuaſit, ut ne aliquid dicendorum cuiquam ſano videretur invidioſum.

Atque ut inde hanc praecipuam orationis meae partem exordiar, cogitanti mihi, quid homines literatos in univerſum permoveret, ad ingenii ſui foetus in publicam lucem producendos, conſtitit, Auditores, binis eos potiſſimum cauſis concitari, publica hominum utilitate, & honeſta laudis cupidine.

Divinitus, quod omnes mecum arbitrabimini, divinitus animabus noſtris inditum immortalitatis deſiderium; aeternitatis deſiderio gloriae inniti cupiditatem, mulierum Sapientiſſima variarum rerum cauſas ſciſcitanti Socrati Platonis patefecit Diotima. Ad claritudinem com-

latas ſcribentis loco, emendationem adprobaverat, „ optandum, " inquit, „ foret, ut Vir iſte doctiſſi„ mus ad interpretationem librornm Novi Teſtamenti „ ex ampliſſimo, quem poſſidet, eruditionis ſuae the„ ſau-

comparandam, ad memoriam nominis diu duraturam, ſola eruditio, quod nonnullis incredibile videbitur, ſolae literae ſemper aditum aperuerunt.

Inter nationes quidem bellicoſas primitus unicam propemodum viam ad gloriam arma emuniebant: verum maioribus, ut fieri ſolet, perſpicaciores poſteri, quam viam primum ſoli rei militaris virtute Nobiles ſibi tenebant obvallatam, hominibus Eruditis patere tandem voluerunt. Quid enim iuvaret, fortitudinis laude inter ſuos inclaruiſſe, profunda venturi temporis oblivione obſcurandos? Quid iuvaret laudem adipiſci, uno aevo duraturam; niſi rerum bene geſtarum memoria, a Magnis ingeniis cuſtodita literarumque monumentis inciſa, ad poſteritatem propagaretur? *Dicenda Muſis praelia*, ipſa noverat Lacedaemon: quum enim natura Spartani infrequentes Muſarum eſſent cultores, tamen, ubi in praelium erat eundum, ut earum ſibi Sacerdotes conciliarent, Muſis facere Reges conſueverant, atque, ut militum animi ad vulnera inflammarentur, Tyrtaei carmina recitabantur. Ex hoc fonte fluxit amor, quo homines Literatos honeſtandos eſſe, vel crediderunt, vel certe, gloriae cupidine in-

„ ſauro quaedam conferret. Sed haec eſt temporis hu-
„ ius infelicitas, quae non patitur, Viros Doctiſſimos
„ & artis Criticae peritiſſimos animadverſiones ſuas in
„ lucem protrudere. "

incenſi, ſimulaverunt veteris & recentioris memoriae, Heroes eminentiſſimi, Alexander Macedo, Themiſtocles, Scipio Africanus, ſimilesque; ac patrum noſtrorum memoria Ludovicus XIV, Illuſtris etiam imitator Africani, Sabaudiae Princeps, Eugenius.

Et credemusne, Auditores, eos ipſos, qui aliorum memoriam aeternis monumentis cuſtodire valuerunt, ſuae fuiſſe negligentes? Ex veteribus certe non pauci tantam virtutis habuere fiduciam, ut vivi immortalitatem, quam & conſequuntur, ſcriptis ſuis polliceri non dubitaverint. Et ſi qui, inſitum animo deſiderium ſuperbe diſſimulantes, virtutem ſibi ipſi mercedem eſſe, Philoſophi profitebantur, eius tamen comitem nunquam repudiaverunt.

In hac rerum humanarum ſcena eadem etiam hodie luditur fabula; eadem omnes, qui noviſſimis hisce ſeculis in Literarum Republica eminuerunt, vexavit cupiditas. Vtrum illa Sanctiore diſciplina inſtitutos deceat, necne; nunc non eſt inveſtigandi locus. Dicat forte quis de triſtioribus, cupidinem inſanam, gloriam fumum eſſe & ſplendidum nihil: non valide profecto refragabor. Sed quaero, ſi inſania appellanda; num non inſania ſit amabilis? num non optimarum rerum utiliſſimarumque genitrix ac nutrix, ſi Religionem ſeiungamus, unica? Quod ſi cum fumo poterit comparari nominis memoria, non amplius miror, cur homi-

mines adeo eius ſint fuerintque captandae appetentes; nam fumo paſcimur homunculi, atque in hoc vitae Theatro ſpecioſa inaniarum imagine, praeter perpaucos, omnes deludimur.

Iſthoc famae deſiderio niſi homines Literati agitarentur, quid tandem poterit cauſae reperiri, cur tanto labore ubique terrarum iis artibus ſolis, iis ſtudiis invigilaverint, quibus publicitus honos eſſet ſtatutus. Ne graviorum Diſciplinarum conſultos nominem, Literarum Humanarum vindices, Auctoribus vetuſtis evulgandis, aliisve ingenii foetibus eliminandis, publica utilitate ſemota, quid tandem aliud ſpectaverunt, AVDITORES, praeter famam, quam & adipiſcuntur, proximis certe ſeculis non interituram?

Summi in his literis Viri, qui nullam paene antiquitatis partem reliquerant intentatam, qui ſe noverant ad eam rem tractandam idoneos, cur tandem a Sanctiſſimis Libris literarum & critices politura explanandis abſtinuerunt? Diceremus, Muſicas veterum delicias homines ſapientes ab unico vitae moderandae gubernaculo avocare potuiſſe, & ab unica ſalutis ancora abſtrahere? Minime gentium, AVDITORES; at vero hominum iudicia pertimuiſſe illos confitebimur; noverant, & ſaepe profitebantur, ſe nullam a poſteritate laudem, ſed criminationes atque calumnias iſtius laboris triſtem mercedem reportaturos.

Quis

Quis in Critica Sacra Novi Foederis tractanda ſcientius verſari potuiſſet Ioſepho Scaligero? Quis Iſaaco Caſaubono fuit ad eam rem accommodatior? Neuter tamen (nam in iſtis adnotatiunculis, quas, pio Parentis admonitu incitatus, adoleſcentulus ſcipſerat Bezae collega, Caſaubonum quaero,) Neuter tamen facere ſuſtinuit: &, dum tacent, clamant, non eſſe in ea parte Criticis, ad eorum laudis particulam adſpirantibus, elaborandum.

Noſtro autem aevo, ab aliis intermiſſa, mala importunitate, retractare aggreſſos ſi qua preſſerit calamitas, non premet improviſa. Nam quotquot Critici robore munitum pectus invidiae obiecerunt; quotquot, editis commentariis, vel obſervatis de Sacris Novi Foederis libris bene mereri voluerunt; illis omnibus turpis haereſeos aut impietatis plaga, vel a ſui aevi hominibus, aut a poſteritate fuit impoſita.

Quanta noſtrati fuit Eraſmo monachalis invidia ſuſtinenda? Quid Te, Sebaſtiane Caſtalio, permovit, ut Sacratiſſimis libris in Latinum ſermonem eleganter convertendis animum adiungeres? cur non iſtam magni ingenii vim in ſolis Scriptoribus Profanis defixiſti? cur non Sacra Tibi reſervaviſti? Dici non poteſt, quibus calumniis oppreſſa fuerit, in ipſis huius Academiae incunabulis, viri excellentis Ioannis Druſii virtus; cuius in Iudaeorum avita Lingua

mo-

moribusque, ut erant tum tempora, eruditiſſimi, cuius unius audiendi cauſa multo plures Franequeram commeabant, quam ferre poterat venenata obscurorum collegarum ſemper invidentia. Quantum dicendi locum mihi aperiret is, quo maius in omni genere Literarum ingenium Hollandia nondum protulit, Grotius? Sed finite, Auditores, finite me ex invidioſo hoc loco quantocius decedere. Sinite praeterire me inominatas criminantium voces, quibus aut oppreſſa fuerunt, aut repreſſa, quorumcunque Criticorum in Sacris tentamina.

Si qui ulceri inveterato, qualia in his Libris nonnulla reperiri, a ſe ſolo perſananda, ingenita animi magnitudine commotus, adſeverabat, ceteris iſtius aevi hominibus longe eruditior, Scaliger; Si qui, inquam, ulceri inveterato novis remediis ſubveniendum eſſe crediderint, periculoſam medicinam facere agreſſi; undique velut ad monſtrum aliquod expiandum concurritur; & in hominum, qui quidem iſtarum rerum ſunt inſcientes, in patulos hominum animos hae voces inſinuantur: res omnium conſenſu creditas petulanter in dubium vocari! Integritatem Librorum Sacrorum violari! ipſa Religionis fundamenta attentari!

Reſipiſcite, o boni, reſipiſcite; mentem ſacro tremore praecipitatam parumper ſuſtinete, & ad rem, quam agitis, reſpicite. An ita-

itaque adeo infirmis columinibus Chriſtianae Diſciplinae compages innititur, ut, ſcalpello Critico admoto, fundamenta Religionis poſſent everti, aut quati? Verum iſthaec oratio, tametſi verboſius dilataretur, hac in cauſa nihil promoveret. Opinio, quibuscunque tandem flabellis excitata, plerorumque animos veluti peſtifer quidam ventus infecit, qua Criticos perhibent minus eſſe Sacrae Scripturae & Religionis reverentes.

Teterrima iſta macula, Literatoribus impreſſa, non ante delebitur, quam a Scriptoribus Novi Foederis expoliendis ſibi recedendum eſſe judicaverint, ſeſeque modeſta taciturnitate poſterorum invidiae ſubduxerint. Flammis ſubtrahe altricem materiam, atque ignem repente exſtinxeris.

Illud interea tamen Criticos conſolabitur, quod ſunt, & fuerunt ſemper, in primario doctorum hominum ordine, etiam boni, & eruditiſſimi; qui Criticorum ea in parte collocatam diligentiam adprobare & collaudare non deſinunt. Sed paucorum ſuffragia, qui plerumque nihil publicantes latere malunt quieti, quam a ſui ordinis hominibus, ſi quid in lucem proferunt, contumelioſis dictis vexari; horum itaque ſuffragia an publicam plerorumque ab iis depellere poterunt invidiam?

Quod vero acrioris ac celſioris ingenii homines, fervida virtute irritati, dictitant, ad praecla-

clara quaevis animum erigendum eſſe, difficultates fortiter perrumpendas; invidiam iſtiusmodi unius aevi eſſe & imbecillam, invidiam iſtiusmodi, vehementer concitatam, mobilitate ſua debilitari; crederemus Auditores Ornatiſſimi, niſi certiſſima priorum ſeculorum experientia talem invidiam usque perdurare condocuiſſet. Crederemus etiam diffidentes omnium ludibrio expoſitum iri, ſi iunctis viribus integrum campum ſibi ſumerent occupandum Critici, ſuis tamen armis ipſis illis calumniatoribus vaniſſimis formidabiles. Sed & iſti veritatis candidati inteſtinis quoque diſſenſionibus colliduntur, & in ſua ſaepe ſaeviunt viscera.

Nihil itaque aliud ſupereſt, niſi ut ab emendatrice Critica in Libris N. F. ſeſe abſtineant Literatores, & planam viam, qua priores indelebilem ſibi memoriam acquiſivere, lubricae cenſeant ac praecipiti anteponendam.

Et tamen, quantumvis illud ſtudiorum genus difficile iudicaretur ac periculoſum, ſi iſte labor multis eſſet profuturus, difficultates ſibi non putarent defugiendas, atque utilitatis magnitudine ad eius tractationem impellerentur.

Sed quae obſecro tanta illinc utilitas; & ad quos tandem illa perveniret? Si quid hujus fecerint Critici, illi, quorum cauſa potiſſimum id facerent, iſtarum rerum ſaepe iudices minus periti, valide reclamarent; dum a contextu vulga-

gato non eſſe ſecedendum, multo minus con-ieċturis indulgendum, ſevera gravitate contendunt. Opinio perverſa, ſaepe confutata, videri poterat in hac luce literarum obſolevilſe: ſed non obſolevit. Latius diſſeminata, & apud indoctos pervagata, inter bonos etiam increbuit.

Aegrotis fomenta admovenda, & invitis medicamina ingerenda, nonnulli arbitrabimini. Sed hi de eorum ſunt genere plerique omnes, qui nullam orationis medicinam ſibi adhiberi patiuntur, importunis medicis vehementer pertimescendi. Quid itaque ſuis monitis atque obſervatis fatigarent Critici nunquam obtemperaturos?

In primis Editoribus laudandis facillimos, & tamen, quod ſatis eſt admirabile, in contextu non corrigendo disputantes, ſi adhibeas, ac moderate quaeras; an in noſtris Novi Foederis editionibus totidem atque eadem putent numerari verba, quae a Scriptoribus Sacris olim fuere poſita? ſi roges; in iſta veterum editionum, e quibus reliquas expreſſere, a ſe invicem diſcrepantia, cuius tandem contextum praecipue probandum cenſuerint, Complutenſium; an Erasmi? Stephanine; an Bezae? illud lucraberis, ut diſcas experimento, iſtiusmodi opiniones, tenaciter comprehenſas, nulla poſſe machinatione ex animis imperitorum dimoveri. O vim praeiudicatarum opinionum incredibilem!

Digitized by Google

lem! O editionum ſemel in vulgus receptarum auctoritatem, nullo rationum robore convellendam!

Cauſam tam parum probabilem, de contextu, quem vocant, Scriptorum Sacrorum nusquam immutando, eruditione minime vulgari Praeſtantiſſimos nactam fuiſſe ſuffragatores ac defenſores, non miror, Auditores, neque vos valide mirabimini, ſi ſcenicam humani ingenii fabulam, velo levato, & perſona poſita, introſpicere volueritis. Ita ſumus natura plerique conformati, ut, noſtrum ipſorummet amantiſſimi, ea fere ſola probemus, e quibus laus ad nos videatur redundatura. Conſuetum illud eſt ac pervulgatum humanae naturae vitium, nullo modo ſanabile, neque adeo etiam magno opere reprehendendum. Viri Literati illud ſtudiorum genus, ad quod adolescentes animum adplicuerunt, velut filiolam ſuam & amplectuntur, & fovent; ceterarum artium Profeſſores, ſi non palam criminantur, taciti ſaepius aut in circulis ut minutiſſima tractantes vituperant.

Ne quibusdam minus placitura confecter; ſpectemus Eloquentiam, rerum maximarum, dum homines verborum vi moveri poterunt ac flecti, moderatricem, & in Platonis Academia Philoſophiae comitem. Sed illam quandoquidem quisque ſibi vindicat, cogitemus potius Poëticen. Poëtas, olim fideliſſimos Imperato-

 rum

Digitized by Google

rum contubernales, Principum Regumve menſis accumbere ſuetos, cum animis veſtris putate, in quem hodie locum ſint plerorumque, Noſtratium certe, opinionibus reiecti. Homines etiam variarum rerum gnari, ſeverioribusque in Diſciplinis excellentes, ſi forte aures habuerint non perpurgatas, Homeri laudatorem diſertiſſimum, Platonem inconſiderate praetexentes, ſacrum furorem damnare, atque artium ingenioſiſſimam, velut noxium puerorum oblectamentum, publice privatimque traducere non reverebuntur. Quae magnam habent inter ſe, ſi originem reſpiciamus, neceſſitudinem, quae in una ſede pulcherrime conveniunt, eosdem ſaepe adverſarios experiuntur, & Critica, & illa divinior Poëtice: nihil eſt, quod adeo queratur Critica, dum hanc habet ſuae calamitatis ſociam & comitem.

Eorum autem, qui Literatores ab hac Critice in libris Sacris adhibenda deterruerunt, cauſam multo magis firmaverunt homines elegantes, & eruditi; qui, non ſane negantes, prae recentioribus palmam eſſe Veteribus in plerisque, quae ingenium ſpectent, deferendam; non negantes, Veterum monumentis permulta ineſſe praeclara ad quotidianam vitae ſcenam exornandam accommodata; tamen contendunt ea ipſa, Criticorum curatura nimis ingenioſa, magis ac magis depravari, atque adeo in vulgatis eſſe lectionibus adquieſcen-

cendum. Hi, dum ſentiunt, ſe ab iſta dote, quae Criticum perficit, remotos, ac nullo labore, ſi deſit ingenitum illud acumen, iſtam ſe poſſe artem conſequi, illuc facile delabuntur, ut Criticos tanquam literarum venatores ſuperbe deſpiciant. Hi, potente ſua auctoritate, totidem ſunt iſtorum columina; qui, absque his fuiſſet, armis verborum fugati, & in ſuas tenebras abſtruſi, in alta oblivionis nocte delituiſſent.

Tametſi gravis haec ſit ac deploranda calamitas, multo tamen Criticis accidit calamitoſius, quod eorum nonnulli, qui vulgo Philologi dicuntur Sacri, priorum coniecturas, quibus Scriptis Novi Foederis manu ſalutifera opitulari voluerunt, quocunque tandem animo, omnes ſpreverint, ac pleraſque contumelioſe repudiaverint.

Quid itaque iuvat improbus Ioannis Millii triginta annorum labos? ſi Humaniorum Literarum periti lectiones codicum lucri non faciunt; ſi acerba eiaculantur, quae nunquam irrita recidunt, in correctores dicteria; ſi emendationes veras & admirabili conſpiratione comprobatas, a Beza, Piſcatore, Caſaubono, Salmaſio, Grotio, Vitringa, tamen labefactare connituntur; ſi moderatioris animi Criticos, ſi Boſſium Noſtrum criminantur: & quis veſtrum, Auditores, Noſtrati Lamberto Bos Sacrorum Codicum reverentiam, & ingenitae

modeſtiae laudem dubiam fecerit? Si talia a noſtrarum Literarum ſcientibus proficiſcuntur, quid ab earum cognitione remotos non auſuros eſſe opinamini? Sed eorum, qui hic a me notari poterant, nomina ſatius videbatur ſilentio praetermiſiſſe; nihil tamen nocebit unum ex his nominaſſe Ioannem Chriſtophorum Wolfium.

Quidquid ad contextum Novi Foederis expoliendum fuerat a recentioribus Criticis tentatum, in Curis Philologicis conquiſivit Wolfius, ac legentium invidiae explicuit; nemini magis iniurius, quam Millio, cuius univerſa tentamina ambitioſe adeo conſectatur, ut modum omnem exceſſerit. Sed Anglum Theologum praeeuntem habuit, atque adeo Millii popularem, Danielem Whitby; qui, ſive quod Millius Reginae Annae beneficiis mactaretur, ſeu quacunque de cauſa, laborioſo Theologo inimiciſſimus, in libelli cuiusdam fronte ſplendidum hoc mendacium ſeptuagenarius ſenex ponere non erubuit: *Lectionem textus hodierni in omnibus defendi poſſe.*

Conſtituite nunc, quaeſo, atque decernite, Auditores Aequiſſimi, an vere videar dixiſſe, Critico in Sacris Scriptoribus explanandis non eſſe publice elaborandum; dum ad eos, ad quos maxima deberet, nulla perveniat iſtius laboris utilitas, neque hoc rerum ſtatu ulla videatur perventura.

Qui

Qui ſe Theologiae ſacraverunt adoleſcentes, ſi quando ſyſtématis, ſibi iam pueris praeſcripti, limites egredi, & integros Sacri Codicis fontes accedere ſuſtinent, ex omnibus unum inprimis Wolfium ſibi ducem deligunt. Hi, ubi laeti perceperunt, doctum adeò Philologum, de recepta editionum vulgatarum lectione emaculanda nusquam ſollicitum; aliorum hoc in genere molimina ſtrenue oppugnaviſſe, in opinione iam olim in paterna domo concepta roborati, & Wolfii praeſidio feroces, Criticos Sacrarum Scripturarum eſſe temeratores, rauca voce tanquam de tripode ponuntiant.

Quandoquidem vero nos decet eſſe ingenuos, fatebor praeterea lubentiſſimus, pleroſque Criticos ingenio ita eſſe comparatos, ut ad hanc partem ſacram maxima cum modeſtia tractandam minus apti videantur: neque id praeterea diffitebor, nonnullorum intemperantiam priorum opinioni firmandae ſuffeciſſe materiem; cum eam non adhibuerint Auctoribus, qui Divini Numinis afflatu concitati loquebantur, reverentiam, quam Profanorum ſcriptis deferendam eſſe contendimus. Tanaquilli Fabri, viri ad omnes elegantias ingenioſi, nimia fuit in Sacro Novi Foederis Codice & inconſiderata temeritas. Editoris Angli ante hos ſedecim annos licentia fuit non toleranda. At vero an paucorum peccata luerent

immeriti? an propterea, quod nonnulli arte ſua intemperantius fuerunt abuſi, moderatus Critices uſus in his Libris culpandus eſſe videbatur? An ob abuſum cibo potuque nobis erit abſtinendum?

Quantumvis autem profiteremur, emendatricem in his Libris Criticam conſiderate eſſe ac timide exercendam; libertatem Criticis propriam in horum Librorum tractatione, varia eſſe moderatione temperandam: tamen ſolet neſcio quo modo evenire, ut tum demum libertatis Criticae ſentiatur dulcedo, quum ea frui non datur integra; atque adeo, ut in vetita proni ruimus, Sacra haec monumenta tractantes Critici limites praeſcriptos interdum petulantius migraviſſe deprehendantur.

Nimis alte videlicet plerorumque mentibus inditum ſedet, Critices nervum eſſe libertatem, quam iſti licentiam vocant: hac frenata, Critices nervum incidi; ſublata, exſecari: ſedet alte infixum, Criticum candidum eſſe oportere, ac ſoli veritati mancipatum; veterum Scriptorum mentem non ad huius aut ad illius Doctoris diſciplinam aut formulam eſſe exigendam, ſed ſecundum certas artis regulas eſſe inveſtigandam. Sedet alte infixum, importunos obtrectatores ſevere eſſe excipiendos; &, ut ſunt plerique Critici acrioris ingenii, ac proinde etiam ad excandeſcentiam proni, dum alii maledictis laceſſere non deſinunt,

ſunt, laceſſiti nimiumque vexati tandem reſpiciunt, & remordent; a pacificis Legislatorum optimi mandatis male declinantes, qui, omni vindictae cupidine damnata, iniurias, nihil etiam mali commeritis illatas, manſuetudine ac lenitate compenſandas & compeſcendas eſſe, ſapientiſſime decreverat.

Quid itaque aliud reſtat, Auditores, niſi ut Auctoribus Profanis verſandis adſueſactos hinc amoliamur, atque eo relegemus, ubi campus patet liberrimus, in quo frena laxare ingenio, ac minimo peccare poſſint periculo; inprimis quum in Sacris Novi Foederis Libris, quibus nulli ex iſta antiquitate correctiores ad nos devenerunt, quae ſuperſunt codicibus antiquiora, vitia ſint perpauca, atque ab aliis felicius aliquando perſananda.

A quibus id exſpectari debeat, ſi qui rogabitis, & a quibus id cum laudis fiducia praeſtari poſſit, ſi Grammatici ab iſta parte ſint demovendi; equidem non dubitanter reſpondebo, iſtam Criticen a ſolis eſſe Theologis pertractandam. Quae hic a me dici poterant, ne quem offendam, univerſa reſecabo. Theologos intelligo catos illos & raros, qui, Linguarum Orientalium Graecaeque peritiſſimi, Antiquitatis Iudaicae & Chriſtianae, e ſuis fontibus derivatae, gnari, &, quod in hac cauſa palmarium iudico, ſanioris doctrinae laude in-

ter ſuos ſint florentiſſimi. His ſolis eam concredimus provinciam, ſapienter adminiſtrandam.

Sed Sacram Theologiam Profeſſis longe eſſe maiora peragenda, nonnulli arbitrabuntur, atque eam iam nunc graviſſimarum rerum molem impoſitam, cui ſuſtinendae cervices validiſſimae vix ſufficiant: tractandam Theologiam multiplicem, profundos grandiſonorum Palaeſtinae vatum ſenſus eruendos; ad fidei analogiam laborioſas eſſe Librorum Sacrorum *exegeſes* condendas; otium, quo ſe ad literas, de quarum tamen interdum apicibus multa diſputantur, demittant, ſupereſſe nullum; verborum tractationem Grammaticis eſſe committendam; ſibi, praeter *realia*, quae vocant, nihil aliud aut ſuſcipiendum, aut pertractandum.

Viros ego laborioſos obſecro atque obteſtor, ut animum tandem aliquando reflectere, atque id ſibi perſuadere dignentur, Sancto Auguſtino hac etiam in parte eſſe obſecundandum; qui, Scripturas Divinas noſſe deſiderantibus, codicibus emendandis primum eſſe invigilandum, providenter ſancivit. Critica ante exercenda, quam firmiter eſſe poſſint in omnibus perſuaſi, ipſa ſe legere Apoſtolorum verba, quibus *realis* eorum *exegeſis* inniti queat. Fieri enim poterat, ut, ea Critice neglecta, *pro Iunone nubem*, quod dicitur. Atque illud aliquando eveniſſe, quis tandem dubitet? In te-

tenebricoſa Ioannis Apocalypſi, pro ſua quisque ſapientia, illuminanda, occupati fuerunt plurimi. Et quis eorum fuit ſollicitus de reformanda primum Libri lectione, in noſtris editionibus frequentiſſime adulterata; quam nuperrime tandem e ſcriptis libris inſtaurare primus in Wirtenbergia aggreſſus eſt Praeſtantisſimus Bengelius. Huius editionem comparate mihi, quaeſo, ad ceteras, & plurima etiam in talibus praeſtari poſſe fatebimini.

Neque eſt, quod Eruditi Theologi, iis, quas dixi, dotibus inſtructi, vereantur, ſi ad iſtam Novi Foederis Criticen publice tractandam animum appulerint, eandem vituperationem, ac cetera mala, quibus Criticos oppresſos vidimus & deterritos, in ſe quoque redundatura.

Nam, quod in vita evenire ſolet quotidiana, in Literarum etiam Republica ſaepiſſime evenit; ut in illo tanquam impium vituperetur, quod, ſi alii fecerint, pulcrum videretur, atque in eorum laudibus ferendum. Claris Theologis, eruditione etiam ſua Reverendis, licuit, & ſemper licebit, quod in Literatore usque reprehendetur. Id ne calide dixiſſe videar, & re minus cogitata; ſumite mihi Veteres, Origenem, Hieronymum, Theodoretum, ſimilesque. Quisquamne repertus, qui viros Inſignes, nulla niſi eruditionis ac pietatis auctoritate munitos, adeo culpaverit, quod

coniecturis ſuis, tum temporis receptas, Librorum Sacrorum lectiones ſollicitaverint. Sumite mihi recentiores, Calvinum, Piſcatorem, Muſculum; & hi, codicibus deſtituti, ſola veriſimilitudine ducti, vulgatas Novi Foederis lectiones, quod hodie neminem latere poterit, ſaepenumero emendare allaborarunt. Sed e multis unum nominabo, virum egregiis ingenii dotibus clarum atque ornatiſſimum, Theodorum Bezam. Hic, quod expertus aio confidentiſſime, hic a prioribus editionibus frequentiſſimus declinavit, & lectionibus ante in Novo Foedere vulgatis alias ſubſtituere non fuit reveritus.

Et quis Theologorum noſtratium clariſſimum Bezam libidinis, cuius Literatores ubique incuſantur, criticae, quis Bezam malae fidei inſimulavit? Quis, velut temeraria, Bezae tentamina repellere inſtituit? Quis Bezam ſibi ſumſit propterea vituperandum? Quid dico vituperandum? Quis Bezam inter audaces Criticos nominare ſuſtinuit?

Belgae Interpretes, viri Praeſtantiſſimi, Interpretes Belgae, quod veriſſimum quibusdam, ſat ſcio, inauditum accidet atque inexſpectatum, nonnullas virorum Doctorum coniecturas, nullo etiam codice confirmatas, in vernaculam nobis interpretationem, eximiam illam & cum paucis comparandam, receperunt: hoc qui vituperare fuerit auſus ego quidem neminem novi.

Vi-

Videorne itaque, ne plura congeram, immerito contendere, ſeverioris Diſciplinae conſultis, & ſolis, eſſe in hac parte elaborandum?

Atque utinam ea mihi vis eſſet dicendi, qua Viris Praeclaris perſuaderem, amabile eſſe iſtius etiam Critices & Theologiae connubium! Verum huius perſonae convenientius videbatur, quae forte dici poterant, ſapientibus pleraque reliquiſſe cogitanda. Vellem equidem, modeſti aliqua tangerentur cupiditate laudis; atque eos ad priores ſui ordinis homines ablegarem.

Quotquot Theologorum ad Sacra haec monumenta Linguarum & Critices ope explananda acceſſere, vigebunt, & per ora Doctorum hominum usque volitabunt. Vnicum cogitate, venerandum illum Campegium Vitringa, quem quando nomino, & vera Theologi ſpecies veſtris ſingulorum mentibus obverſatur, atque ego mihi videor totius Theologorum ordinis dixiſſe apologiam.

Qui, a neceſſario doctrinae elegantioris inſtrumento minus parati, ingenii ſui foetus immaturos, ſermonis illuvie ſordidos, in publicum protrudere ſuſtinuerunt, latent, atque operoſa ipſorum volumina mercibus inſerviunt amiciendis.

Quod ſi ſplendidum lumen unanimes admitterent viri Primarii, motus animorum, verbis non ſatis ſpectatis ſaepe concitati ad Critices

ces arbitratum comprimerentur atque interquieſcerent. Quae pueros oblectaverant, crepundia a viris abiicerentur. Si quid forſan ex priſtina Scholaſticorum barbarie feritatis adhaereret, ingenuis artibus emolliretur. Deprehenderetur, in quantos errores per minutarum rerum ignorationem ſuperbientes homunculi delabamur. Simultates & odia, quae a renatis literis inter ſe exercuerunt Primi ordinis homines, & infimi ſubſellii Literatores, tandem tamen ſedarentur. Sacrae Disciplinae ſtudioſi adolescentes, a Veterum ſcriptis verſandis deſuefacti, illuc revocarentur, & ad praeclara ſtudia retentanda tandem permoverentur.

Vos, interea temporis, quotquot Literarum Humanarum peritia cenſemini, fortunatum iſtius connubii diem patientes exſpectate; &, dum iſta vobis accidat oportunitas, taciturnitate tranquillitatem & gratiam quaerite, invidendas laudes modeſtiae mercedem relaturi. Muſis caſte operantes, obſervata congerite, a poſteris olim depromenda. Errantes ex alto proſpectate, & vanis hominum laboribus taciti ingemiscite. Partem vobis concreditam retinete, ac ſtrenue tuemini, ne, hac quoque publice neglecta, prono curſu ad priorum ſeculorum barbariem praecipitemur.

D I X I.

CO-

COROLLARIVM

AD ORATIONEM DE CRITICA ETC.

Oratio, de Critica emendatrice in libris N. F. a Literatoribus non adhibenda, a quo tempore fuit ſcripta, hac in parte rerum facies in Germania quidem ſuperiore vehementer, multum tamen etiam his in oris fuit mutata.

Quales ante hos quinquaginta circiter annos cenſores adhuc erant, ut ante fuerant, correctorum ſeveri, ſuis etiam telis viſi nonnullis formidabiles, aliis illorum ignorantiam in ſinu ridentibus, cenſores, inquam, iſti *protervam libidinem* atque alia horum ſimilia Criticis iſtis obiiciebant; tanta quinimo nonnunquam cum acrimonia Criticorum etiam modeſta tentamina repellebant, ut ne artes quidem pueri iuvenesve didiciſſe viderentur ingenuas.

Hac vero aetate multum ab illis mutati, ac velut emolliti, humanitatis ſenſu laudabiliter afficiuntur. Ferunt a Praeceptorum ſcitis diſſidentes, qui olim ipſis erant αὐτοὶ φάμενοι, nihilque mali de veri amatoribus ſuſpicati Criticos, illos etiam, qui ſcriptis publicatis Libros attigere ſacros, audire nunc faciles dignantur.

Animadverterunt, credo, tandem ipſi quoque

que

que hoc ſeculo ſapientiores facti, non in literarum apicibus, aut in voculis rei cardinem verti; *neque* adeo *a tam tenui filo*, quod ſcribit in Orat. de Paulo Apoſtolo *Ti. Hemſterhuſius*, *ſuſpenſam eſſe, vel omnino ſuſpendendam chartarum Apoſtolicarum divinitatem.*

Hanc, alibi certe terrarum, in ipſa iam Germania, irrito atque infructuoſo molimine valde impugnatam, armis eſſe vident legitimis tutandam; adverſarios iſtos intelligunt, non clamore, *concionalem* quem vocat *Cicero*, qualis pueros terrefacit & mulierculas, ab incoeptis abſterreri; ſed ratiocinando tantum atque argumentorum pondere de arce ſua poſſe deiici.

Virum prioris iſtius claſſis Inſignem ſaepe vidi, qui moribus eſſet ad omnem humanitatem, ad beatiorum etiam elegantias conformatis, Graece & Latine eruditum; ſed eumdem illum noveram avitae his ipſis in rebus minutis formulae ſic affixum, ut, natura tractabilis, veteres iſtas avias ipſi de pulmonibus revellere tentanti tum vero durus atque intractabilis reluctaretur; hunc ſaepius audivi Criticos, *Ioannem* inprimis *Toupium*, huiusque tentamina in locis Novi Foederis, tanquam valde ingenioſa, verbis, ut erat diſertus, ornatiſſimis collaudantem; cuius Angli perdocti coniecturas in Novum Foedus nonnullas parum iudicabam conſiderate ſcriptas; de reliquis paucas veras: atque in univerſum multo mihi felicior fuiſſe

vi-

videtur *Toupius* in Comoediarum veterum fragmentis, atque in Epigrammatis, ad Atticam, certe legitimam, regulam redintegrandis, quam in Libellis Sacris Novi Foederis ſolius ope ingenii expoliendis; qui libelli vocibus quidem Graecis, ſed maximam partem phraſi Iudaica, qua ſcribi debebant, ſapientiſſime ſunt ſcripti.

Quando haec inexſpectata ſponte ſe offert occaſio, privatim ſaepe dicta publice repetere nunc non verebor, paucisque adeo indicare, quid de ſtylo cenſeam horum Librorum.

Quod ſuperiore ſeculo, huius etiam initio magna cum fiducia fecere nonnulli, de ſtylo, re perdifficili, ſicut caeci de coloribus, plerique iudicantes, quis hoc tempore ſcribere his in oris auderet, ſtylum Novi Foederis Librorum eſſe *purum* & *Graecum?* ex hominibus has literas tractantibus, qui Graece ſcientium paulo eſſet reverentior, nec vulgi vellet ſtupore nobilitari, ne unus quidem. Nemo, ut equidem arbitror, Belgarum, in Libris noſtris ſacris nunc Atticas ſtudioſe quaerere inſtituit elegantias. Quid vero quaerimus in illis, amatores etiam antiquitatis Graecae Romanaeque, qui ſimul ſapientiae ſtudemus & virtuti? Quam illic invenimus ἀφέλειαν, nativam, qualis alibi fruſtra quaereretur, in ſuis etiam ſuorumque vitiis erroribusque memorandis, narrandi ſimplicitatem, rerum Gentibus ignoratarum pondus; in Pauli Epiſtolis, in Oratio-

ni-

nibus Eiuſdem Lucanéis, in Epiſtola ad Hebraeos, Iudaicam, ſi quis ita velit, ſublimem tamen dicendi vim; qualem in Moyſis, ipſius iudicio *viri minime vulgaris*, ſive *excellentis* (ὁ τῶν Ἰουδαίων, inquit, Θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ; —— εἶπεν ὁ Θεὸς, φησὶ, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο· γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο.) qualem, inquam, in Moyſis dicto de Deo, hunc orbem nutu condente, homo Paganus *Longinus* admirabatur.

Exſtat denique in his libellis, quod praecipuum arbitror, Doctrina moralis, ſententiis illa quidem breviſſimis populariter expreſſa; perfectiſſima tamen, neque a Iudaeis iſtius aevi, quantum nobis innotuere, nugaciſſimis exſpectanda; Ethica, quam vocant, qualem, Graecorum in iſta caligine ſapientiſſimi, Pythagoras & Socrates dare non potuerunt.

Praeter cetera ſublimiora, quae huius non ſunt loci, hanc doctrinam ad mores emendandos, vitamque ſancte inſtituendam, Scriptores iſti, tribus velut chartis, eamdem ſinguli commendarunt; quam illi ipſi, qui geſtare ſe putant

—— *incoctum generoſo pectus honeſto*;

cultores ſuos in hac etiam vita felices reddere confiteantur oportet; ut certe confeſſus eſt eruditus in Gallia Philoſophus Ill. *de Montesquieu.*

Scripſerunt haec & reliqua ſermone Graeco, qui a genuino Graecorum, ſui quoque tem-

temporis quotidiano, plurimum diſtaret, Iudaeis Alexandrinis aliisque Graecienſibus uſitato.

Atque hac Oratione ſemigraeca, intra annos ferme triginta, aliquot millenos in Syria Palaeſtina, ac vicinis regionibus, in Aſia minore, in Aegaei maris inſulis, in ipſa Peloponneſo, in Macedonia, in Italia, millenos cuiusvis ordinis homines, etiam ἐθνικοὺς, a Maiorum ſacris, ab aliis quibusvis opinionibus praeiudicatis, a moribus corruptiſſimis, a parentibus atque amicis abſtractos, horae ſaepe momento commoverunt ad amorem Dei, gentibus ignotum, ad amabile Domini ſui iugum ſubeundum, vitamque ſecundum ſanctas Praeceptoris optimi Leges inſtituendam.

Quid nunc, obſecro, cum his comparati, ſua de moribus Doctrina effecerunt, viri in ſuo quisque genere Maximi, *Pythagoras*, *Socrates*, & *Plato.*

Si ſpectamus ad Apoſtolorum discipulos per orbem Romanum ſparſos, quantillus fuit Pythagoreorum numerus! Pythagoram non quivis audivere docentem, homines etiam de plebe, ſed civitatium Italicarum primi ordinis iuvenes virique, ad abſtruſioris etiam Doctrinae Geometricae ſemina felici pectore recipienda, a longo iam tempore atque ipſa educatione praeparati. Socrates, cum paucis iuvenibus Atticis quotidie familiariter & humane colloqui ſolitus, ſuper quibusvis rebus ad

Cum his tribus ex Antiquitate capitalibus ingeniis, ceterorum Philoſophorum, praeter unum illud omnium ſcientiarum capax Ariſtotelis, ne comparari quidem poſſunt.

Haec cum ſcripſerim occaſione Orationis de Critica in N. F. renovatae, ne illud quidem hic intactum dimittam, quod in illa legitur p. 314, „ Belgae Interpretes — nonnullas virorum Doctorum coniecturas, nullo etiam Codice confirmatas, in vernaculam nobis interpretationem, eximiam illam & cum paucis comparandam, receperunt. "

Hoc a me olim ſcriptum erant qui mirarentur, quique cupere ſe dicerent, ut talia quaedam in medium ignota ſibi proferrem.

Quando iam vacat & lubet, huic deſiderio tandem morem geram; atque alia quaedam Philologica additurus harum rerum ſtudioſis rem arbitror me iucundam facturum.

SCHEDIASMA,

SPECIMEN EXHIBENS ADNOTATIONVM CRITICARVM

IN

LOCA QVAEDAM LIBRORVM SACRORVM NOVI FOEDERIS.

Ex permultis N. F. locis, in quibus Interpretes Belgae, viri eruditiſſimi, a lectionibus vulgatarum ſua etiam aetate Editionum receſſerunt, nonnulla ſatis erit ad cauſam obtinendam, ſpeciminis gratia, protuliſſe: primum exempla nobis Epiſtola ſubminiſtrabit ad *Hebraeos*:

In illa cap. VIII, 10, non in Edd. tantum ſed & in Codd. collatis iſta leguntur: διδοὺς νόμους μου εἰς τὴν διάνοιαν αὐτῶν· eadem quae proſtant in Graeca verſione *Ierem.* XXXI, 33. — *Piscatorem*, qui ſuſpicabatur ſcribendum, voce interiecta,

διδοὺς δώσω νόμους μου εἰς τ. δ. α.

ſequuti Belgae dederunt:

ick zal Mijne wetten in haer verſtandt geven.

ad *Hebr.* c. X, 11, πᾶς μὲν ἱερεὺς ἕστηκε καθ' ἡμέραν λειτουργῶν·

τῶ

τοῦ ἕστηκε praetulerunt Noſtrates εἱστήκει· reddiderunt enim:

een yegelijk Prieſter ſtondt *wel alle dag dienende:* genuinam formam ἕστηκε ſervare debuerant, atque interpretari, *ſtaat.* ſive, ut tum ſcribebant, *ſtaet.* cum enim magnifica haec Epiſtola ſcriberetur, Hieroſolymis cultus adhuc vigebat Leviticus. Interpretes iſti, differentiam conſtantem inter ἕστηκα, *ſto*, & εἱστήκειν, *ſtabam*, obſervarunt, ἑστήκασι reddentes [zy] *ſtaen*; ἑστήκεισαν, vel ἑστήκεσαν, [zy] *ſtonden: Apocal.* VII, 11, πάντες οἱ ἄγγελοι ἑστήκεσαν (Codd. hic dant formam magis uſitatam, ἑστήκεισαν· alteram dederat ſcriptor) κύκλῳ τοῦ θρόνου. Belgae: *alle de engelen ſtonden rondom den throon.* dederunt etiam cap. VIII, 2,

de ſeven Engelen, die voor Godt ſtonden;

legentes, non nobiscum, τοὺς ἑπτὰ ἀγγέλους, οἳ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ ἑστήκασι· ſed, quod Codices hic nonnulli ſervarunt, ἑστήκεσαν. recte!

ad *Hebr.* X, 34, iſta: γινώσκοντες ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς κρείττονα ὕπαρξιν ἐν οὐρανοῖς, καὶ μένουσαν· duabus vocibus e coniectura probabili transpoſitis, legerunt: — κρείττονα καὶ μένουσαν ὕπαρξιν ἐν οὐρανοῖς.

wetende, dat gij hebt in u ſelven een beter ende blyvende goet in de hemelen.

Ex eadem ad *Hebraeos* Epiſt. duo loca adiiciam ad priora, quamvis haec paulo diverſi ſint generis; in quibus, a vulgatis ſecedentes Editionibus, Codicum tamen Auctoritate nituntur.

ad *Hebr.* XI, 4, laudata fide Abelis, iſta adduntur: δι' αὐτῆς ἀποθανὼν ἔτι λαλεῖται. Codices illic antiquiſſimi, qui ſuperſunt, (& qui perierunt a Patribus

lecti,)

lecti,) praebent λαλεῖ· genuinam procul dubio lectionem: hanc ſapienter probantes expreſſerunt:

door het ſelve [geloove] *ſpreeckt hy noch, na dat hij geſtorven is.*

Quid hic *Io. Chriſtoph. Wolfius* in Curis Philolog.? „ *Per hanc*, inquit, (fidem) etiam *mortuus adhuc* „ *loquitur*. Ita recte *Erasmus Schmidius*. Pro λαλεῖ- „ ται Codices quidam & Patres quoque habent λα- „ λεῖ· — Sed nihil mutatione opus eſt, cum vel ſic „ *loquendi* notio, in forma ſcilicet media, verbo „ conſtet.". Adeo verum eſt, quod de *Wolfio* dixi in Orat de Crit. p. 308. vix ille Codicum optimas, & ſine controverſia veras, lectiones admittit, mirificus vulgatarum Edd. patronus. Tanta paſſim loquitur cum confidentia Hamburgenſis iſte literator, ac ſi pueris, Graece ſaltem ignorantiſſimis, librum ſcripſiſſet, quibus facile decreta perſuaderet. Quod hic ponit *Wolfius* ut ſine controverſia verum, λαλεῖται *formam* eſſe *mediam*, *cui ſua* quod ait *conſtet notio loquendi*; eſt illud, ſi quid aliud, falſiſſimum. Cenſuit fortaſſe, cum ὁρᾷν & ὁρᾶσθαι· ἐρευνᾷν & ἐρευνᾶσθαι· pauca etiam alia promiscue uſurpentur, idem eſſe de plerisque verum: hoc ne quis ſibi in animum inducat, certus ſit, illud in paucis locum invenire; atque in hanc rem ſcripta legat ab *Hemſterhuſio*, Miſcell. Obſ. V. T. III. p. 64. ad *Thomam Mag.* in V. Ἀποσκοποῦμαι. ab *Abreſchio* Diluc. *Thucyd.* p. 167. *H. Stephano* in Append. Theſ. L. Gr. p. 15. 64. 65. aut, ſi Grammaticum requirit Graecum, *Euſtathium* adhibeat in *Hom.* Il. Κ. p. 727, 7. 10. Μ. p. 859, 1. Φ. p. 1306, 15. Ψ. p. 1453, 28.

Si legiſſet iuvenis *Wolfius Ariſtophanis* Comoedias, er-

errorem haec praecavere potuiſſent enotata ex Theſmoph. v. 585, ubi πρᾶγμα memoratur,

Ὀλίγῳ τι πρότερον κατ' ἀγορὰν λαλούμενον·

res, (non *quae loquitur* ſed) *quae in ore eſt omni populo*, ut ait *Terentius*, vel, *paulo ante in foro decantata*. *Demetrius*, qui dicitur *Phalereus*, π. Ἑρμ. §. LXII, ἅπαξ τοῦ Νηρέως ὀνομασθέντος ἐν τῷ δράματι μεμνήμεθα οὐδὲν ἧττον, ἢ τοῦ Ἀχιλλέως καὶ τοῦ Ὀδυσσέως, καίτοι κατ' ἔπος ἕκαστον λαλουμένων σχεδόν. τὰ λαλούμενα, ὑμνούμενα dicta in *Sophoclis* Aj. v. 293, frequentius Attici vocant θρυλλούμενα. — Quanto ſapientiores *Wolfio*, formulae eiusdem Auguſtanae clari & laborioſi Theologi, *Io. Albertus Bengelius*, & nuper etiam *Io. Iacob. Griesbachius*, in ſuas illud Editiones, iis, quae noſtris in oris circumferuntur, multo meliores, receperunt! Nihil aptius hoc in loco a Sacro Scriptore dici potuit de Abele quam: ἀποθανὼν ἔτι λαλεῖ· *etiam mortuus loquitur*, & admonet mortales, ut ſpem in Deo habeant repoſitam. *Virgiliana* nota ſunt de Theſeo ex Aen. VI, 618,

—— magna teſtatur voce per umbras:
Diſcite iuſtitiam moniti.

haec quoque *Pindari* Π. II, 40, *ſuo apud inferos ſupplicio* Ἰξίονα φαντὶ ταῦτα βροτοῖς λέγειν. minus vero nota quaedam addere lubet, qualia ſunt iſta *Demoſthenis* C. Eubuliden p. 711, (Ed. *Lamb.*) §. 60. ὅς, καὶ τετελευτηκώς, ὅμως μαρτυρεῖ τοῖς ἔργοις, ἀστὴν ταύτην καὶ πολῖτιν εἶναι. ſui ſaltem *Demoſthenis* iſta fortaſſe legerunt *S. Ioannis Chryſoſt.* in Eutropium, qui, unius Arcadii praeſidio ferox, cives homo peſſimus ante vexaverat, nunc humilis adſtabat oratori ſacro iſta ad populum dicenti: T. III. p. 383. E. γέγονε τῆς οἰκουμένης θέατρον, καὶ σιγῶν ἐντεῦθεν ἀφίησι φωνὴν, ἅπασι παραινῶν, μὴ ποιεῖτε τοιαῦτα ἵνα μὴ πάθητε τοιαῦτα· quibus vera vis ineſt orato-

toria. Primus, opinor, *Aeſchylus* in Perſis, v. 820, victum illa dicentem fecit Darium:

> Θῖνες δὲ νεκρῶν καὶ τριτοσπόρῳ γονῇ
> Ἄφωνα σημανοῦσιν ὄμμασι βροτῶν,
> Ὡς οὐχ ὑπέρφευ θνητὸν ὄντα δεῖ φρονεῖν.

Dum tacent, clamant μὴ φρονεῖν, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, ut loquitur *Paulus* Apoſt. quia nempe:

> *Sequitur ſuperbos ultor a tergo Deus.*

Aeſchylea (in quibus ὄμμασι vitioſum videtur) ſic Latina fecit *Grotius*:

> *Aggeſta cumulis oſſa ſine vocis ſono,*
> *Documentum ad oculos tertiae ſobolis ferent;*
> *Caveant ſibi placere mortales nimis.*

Herodotus etiam iſta Perſae dat Artayctae, IX, c. 120, ἐμοὶ σημαίνει ὁ — Πρωτεσίλεως, ὅτι, καὶ τεθνεὼς, — δύναμιν παρὰ θεῶν ἔχει τὸν ἀδικέοντα τίνυσθαι· haec etiam *Herodotea* forma verbi debuerat reſtitui: ad haec accedunt iſta quodammodo *Ciceronis* in Or. pro Corn. Balbo, c. XX, *horum, etiam mortuorum, ſi quiſquam huius imperii defenſor mori poteſt, vivet auctoritas immortalis.* — Immortalis vivit etiam Abelis *perſuaſio*, ſive *fides*.

In eiusdem Epiſt. ad *Hebr*. cap. IX, 1, vocem illinc alieniſſimam, quam eiecerunt e contextu vulgato *Bengelius*, & *Griesbachius*, Belgae noſtri dudum ante iam reiecerant ut ſpuriam: neque enim his in regionibus per Edd. recepta,

> Εἶχε μὲν οὖν καὶ ἡ πρώτη Σκηνὴ ———

reddi ab ipſis potuerunt:

ſoo hadde dan wel oock het eerſte [verbondt] ——
Recte *foedus* hic cenſuerunt intelligendum; in eiicienda autem voce Σκηνὴ, *tabernaculi*, Codicum plerorumque nitebantur auctoritate: — — Sed & hoc di-

diſcatur exemplo, quam ſaepe noſtra nos fallat etiam veriſimillima coniectura: una paene litera vitiata millenos illic in errorem induxit: duo Angli, *Thomas Mangey* & *Ier. Marklandus* viderunt, manum Apoſtoli in voce vulgata ΣΚΗΝΗ latere, commutanda in ΕΚΕΙΝΗ. *Marklandus*, occaſione κ & ε permutatarum a librariis, locum profert, & multis monſtrat Theologus eximius, *Foederis* illic *primi* mentionem requiri, Conject. in *Lyſiae* Orat. ad Pag. Ed. *Taylori* 28. l. 1. Forte fortuna evenit, ut, quod illi non viderant, ex Codd. collatis unus illud ipſum ἐκείνη cuſtodiverit. Vt autem ad talia attendere adſueſcant harum rerum ſtudioſi adoleſcentes, primum adhibeant *Io. Georg. Graevium* ad *Ciceronis* de Amicitia libellum p. 456; deinde ſpectata ſimilitudine literarum σ & ε, antiquo more ſcriptarum, ſimul diſcant, hunc etiam unum de multis fontem eſſe, ex quo derivari posſint vocum apud veteres in optimis etiam Edd. adhuc vitiatarum emendationes facillimae; quod ne dixiſſe videar inexpertus, ponam nonnulla, ne Graece quidem Doctis, ut ſpero, diſplicitura. *Trillerus*, infelix ſaepe Criticus, ingenioſe tamen in *Aeliani* de N. Anim. XII, c. 34, ἐκείνην convertit in σκηνήν. — In gemmis, in antiquis etiam marmoribus iſti proſtant harum literarum ductus; ut in his apud *Gruterum* Inſcript. p. MCLVIII, 7,

ΕΙ ΜΕ ΦΙΛΟΥΝΤΑ ΦΙΛΕΙC, ΔΙCCΗ ΧΑΡΙC,
ΕΙ ΔΕ ΜΕ ΜΙCΕΙC,

ſequentia minus recte *Rigaltius* expreſſit. Pars elegantis legitur Epigramm. quod in columna lapidea gravi morbo liberatus ex voto dedicavit Aeſculapio, p. MLXXIII, 4, in qua ΕΤΗΛΑΗΝ ΛΑΙΝΕΗΝ vulgavit *Gruterus:* vitia ex pronunciatione prava in iſtis relicta tollentur, ſi ſic emendate ſcribantur:

Σοί, Παιῆον ἄναξ Ἀσκλήπιε, τήνδ' ἀνέθηκεν
Εὐξάμενος στήλην λαϊνέην ὁ Βάλης·
Νοῦσον ἐπεί μ' ἀκέσω βαρυαλγέος. οὕνεκα τῶν πρὶν,
Ὧν πάθον, ἰαθεὶς ἐκ σέθεν, οἶδα χάριν.

Non niſi Criticus ſibi facile perſuaderet, ex hac literarum ſimilitudine vocem στηλῶν depravatam in εὔπλων· in *Lyſia Taylori* Ed. maioris, p. 478. ubi veram dedit ille lectionem: in iſta nempe voce ΣΤΗΛΩΝ primae tres literae iſtis fuere mutationibus in has ΕΥΠ ſaepius obnoxiae: Τ & Υ in verbis ἀροτεῖ, & κρύειν. Apud *Heſychium* Λόματα in Ἄτματα tranſiiſſe vidit *T. H.* In *Pindari* verbis apud *Clementem Alex.* Strom. III. p. 586, 2. λαμπετόωντα ſcribendum pro λαμπευθέντα. Apud *Plutarchum* T. II. p. 296. E. Μιξαρχαγέτας tranſiit, quod vidit interpres, in Μιξαρχαγιόας· illud etiam viderunt, Neptuno iam a Romulo dicatum feſtum, *Conſualia*, ſive, Graece ſcriptam, vocem Romanam Κωνσυαλίων in eodem libello mutatam in Κωνσαλίων, p. 276. B. Neſcio an quis viderit in Opere de Placitis Philoſ. II. c. 26. p. 891. C. κατοπτροειδὲς σῶμα Σελήνης, depravatum in κατὰ τὸ πυροειδὲς σ. Σ. Partim viderunt, *Iamblichum*, de V. P. §. 36, ſcripſiſſe, τῆς σαγήνης κατὰ βυθοῦ ἐμφόρτου συρομένης, non, quod vulgatur ἐρρωμένης. — apud *Diogenem Laërt.* VI, 56, Sinopenſis interrogatus, εἰ σοφοὶ πλακοῦντα ἐσθίουσι, πάνυ εἶπεν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἄνθρωποι. ſic corrigo vulgatum, πάντ' εἶπεν. — Qui noverit, literam Η in Π ſaepe mutatam a librariis, forte non animadvertit, e tabula Dorica *Reineſium* dediſſe (Inſcript. cl. IV. p. 347. v. 82) barbaricum ΑΒΑΠΡΟΥ, ubi nomen ſcribere debuerant, ΑΒΔΗΡΟΥ, *Abderi*. *Longi* Chloë etiam in Edit. cultiſſima *Villoiſoni* I. p. 9, v. 17, ἀνθείλκυσε ἀπολομένη πόθεν ἐξελθοῦσα ἀκριδοθήραν ἀνέπλεκε. ſcrupulum, quem ſenſit, opinor, vir Eruditiſſ. in πόθεν, eximam, vere

vere corrigens, ἕωθεν ἐξελθοῦσα ἀκριδοθήρας ἔπλεκε, *ſummo mane egreſſa;* ἅμα ἕῳ· vel, ut Attici ſcribebant, ἅμα ἕῳ. mea vid. in *Herodot.* P. 657. n. 19. — Sed huc delapſus dare nonnulla debueram, in quibus E & C eſſent male permutatae: verum talia iam proſtant in adnotat. ad *Herodotum* P. 621. b. unicum his addam exemplum: ſaepe permutantur voculae εὐ & σύ. apud *Athenaeum* VII. p. 290. B. iſtis velut ex Adelphis *Hegeſippi*,

Οὐκ· ἀλλὰ τὸ πέρας τῆς μαγειρικῆς εὗρε —:

violentam medicinam facere *Caſaubonus* inſtituit, vocem εὗρε mutans in τέχνης· hoc ipſi veniſſe ſuſpicor in mentem, cum in *Poſidippi* Com. loco legiſſet IX. p. 377. A. τῆς τέχνης πέρας. quanto mea lenior auferentis unam tantum lineolam: corrigo

Οὐκ· ἀλλὰ τὸ πέρας τῆς μαγειρικῆς, Σύρε,

Syro, qui ipſum in foro forte conduxerat, quemque vaniloquentia ſua dudum offenderat, coquus Atticus reſpondet: in eiusdem huius ῥήσεως v 20, *Syri* nomen occurrens mirum eſt ab errore *Caſaubonum* non retraxiſſe: *Hegeſippi* ſenarii hic etiam emendatius ſcribi poterunt, quam vulgantur: Syri dictum, & arrogantis coqui reſponſum, ſic arbitror legenda:

Σ. Βέλτιστε, πολλοῖς πολλὰ περὶ Μαγειρικῆς
Εἰρημέν' ἐστίν· ἢ λέγων φαῖνε τί μοι
Καινὸν παρὰ τοὺς ἔμπροσθεν, ἢ μὴ κόπτε με.
M. Οὐκ· ἀλλὰ τὸ πέρας τῆς Μαγειρικῆς, Σύρε,
Εὑρημένον μόνον εἰδέναι νόμιζ' ἐμέ· ——
Οὐ γὰρ παρέργως ἔμαθον ἐν ἔτεσιν δυοῖν,
Ἔχων περίζωμ' ἀλλ' ἅπαντα τὸν βίον
Ζητῶν κατὰ μέρη τὴν τέχνην ἐξήτασα.

S. Multa multis, amice mi, de arte coquinaria iam dicta ſunt; aut itaque dic aliquid indictum prioribus, aut obtundere me deſine. Coq. *Non faciam; ſed ſic, Sy-*

Syre, cogita, artis coquinariae nuper inventae ſolum me ſummam habere ſcientiam: hoc enim eſt τὸ πέρας τῆς Μαγειρικῆς· ut dicitur τὸ πέρας τοῦ κάλλους· & τῆς τέχνης πέρας· ad quod dictum pauca notat *Caſaubonus*: Ita *Suidae* verba legenda ſunt ex optimo Cod. Leid. Μάρκος Ἀπίκιος — ὡς ἦν ἀσωτείας πέρας, οὐδεὶς ἀντιφήσει.

In Epiſt. ad *Corinth*. I. c. IX, 10. ὁ ἀλοῶν, (ὀφείλει) τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν, ἐπ' ἐλπίδι.

Sic ſcripta cum ſenſum commodum non praeberent, hoc iſta modo Noſtrates legenda cenſuerunt: ὁ ἀλοῶν ἐπ' ἐλπίδι (nempe ὀφείλει) τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν. interpretantur enim:

die op hope dorscht [moet] *ſyner hope deelachtig worden.*

Diverſimode quidem in quibusdam Codicibus, in nullo iſthoc ordine voces collocantur: potuerant etiam ab illis omitti voces ἐπ' ἐλπίδι, velut adſumentum ex proximis repetitum.

In eiusdem Ep. ad *Cor*. caput XV, hic licebit, opinor, a prioribus diverſum quid interponere, & quidem in comma 29, permultis interpretamentis vexatum; nec mirum; nam, οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, nulli ſunt, aut unquam fuerunt: unam literam υ in α, Τ mutabam olim in Γ, enaſcebantur,

Οἱ βαπτιζόμενοι ἈΠ' ἜΡΓΩΝ νεκρῶν·

mihi quidem erant hi, qui, ante baptismum peccata ſua confeſſi, vetus palliolum reiiciebant, & novum adſumebant, quo ſe tegerent, pallium Chriſti: reſipiſcere ſcilicet debebant, per aquam luſtralem expurgandi, a peccatis, quae, ſignata loquendi formula, νεκρὰ ἔργα his in Epiſtolis vocantur: praeter cetera, Epiſt. ad *Hebr*. c. IX, 14. c. X, 22. ſed praeſertim

tim conferebam ex Epiſt. ad *Hebr.* VI, 1, 2. ubi mihi deprehendiſſe videbar ſex capita, quae partem confecerint iſtius temporis Theologiae:

I. Μετανοίας ἀπὸ νεκρῶν ἔργων.
II. Πίστεως ἐπὶ Θεόν.
III. Βαπτισμῶν διδαχῆς.
IV. Ἐπιθέσεως χειρῶν.
V. Ἀναστάσεως νεκρῶν.
VI. Κρίματος αἰωνίου.

hanc autem vim eſſe arbitrabar ſententiae Pauli, πρὸς ἄνθρωπον illic ſaepius argumentantis: qui putant mortuos in vitam non revocari, quamobrem ſe praebent baptizandos; cur aqua luſtrali fuerunt *ab operibus mortuis expurgati?* quid ſibi vult, cui ſponte ſe ſua obtulerunt, baptismus, ſi res illo ſignificata ipſa fuerit falſa? Cum prima vice Friſiis iuvenibus aliisque iſtam ad Corinthios Epiſtolam interpretabar, hanc coniecturam periclitatus, duobus mihi amiciſſimis Theologis paene adprobare potui, velut ipſam *Pauli* ſcripturam, per multa ſecula obliteratam, & iam ſeculo ſecundo forte vel tertio poſt C. N. vitiatam. Sed iuvenilem coniecturam ſi quis ſibi ſumet quomodocunque refutandam, quod eventurum facile praevideo, illam ego hac aetate minime defendam; atque, ut in multis, hic etiam veritatem nunc arbitror in profundo adhuc latere.

II Epiſt. ad *Cor.* I, 4 legere licet in Edd. & in Codd.

διὰ τῆς παρακλήσεως, ἧς παρακαλούμεθα αὐτοὶ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ.

Vſitata tamen ſtructura requirit, ᾗ παρακαλούμεθα· atque ita legiſſe Noſtrates iſta monſtrant:

door de vertrooſtinge, met welcke wij ſelve van Godt vertroost worden.

ut

ut recte ſcriptum II Ep. ad *Cor.* VII, 7. τῇ παρακλήσει, ᾗ παρεκλήθη ἐφ' ὑμῖν. quod ab illis redditum: *door de vertroeſtinge, met welcke hij over u vertroost is geweest.* Nemo hic, ut ſpero, abutetur uſitatiſſima Graecorum ſcribendi conſuetudine, qua pronomen relativum ὃς antecedentis etiam caſum ſequitur.

Sumamus libellum Ἀποκαλύψεως, in cuius fine tanta fuit licentia graſſatus *Erasmus*; cuius e Latina verſione facta ſemigraeca noſtris adhuc in Edd. circumferuntur; quibus tamen Tubingae *Bengelius* iam ante hos annos quinquaginta genuina ſubſtituit ex Codd. MSS.

Apocal. c. XVI, 5, in iſtis,

ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ὅσιος·

legendum, καὶ ὁ ἐσόμενος, pro ὅσιος, ſuſpicati ſunt *Piscator* & *Beza*: vera ſuſpicio viſa fuit Belgis Interpretibus; dederunt enim:

die is, ende die was, ende die zyn ſal.

Suam, ut puto, coniecturam expreſſerunt eiusdem Cap. XVI, 16, ubi Codices MSS. idem exhibent atque Edd.

Καὶ συνήγαγεν αὐτοὺς εἰς τὸν τόπον ———

emendantes illi, συνήγαγον, interpretantur:

Ende ſy hebbenſe vergadert in de plaetſe, ———

atque ita profecto ſcribi debuit ab illo, qui paulo ſcripſerat ante comm. 14, πνεύματα δαιμόνων (vel δαιμονίων) ——— ἐκπορεύεται ἐπὶ τοὺς βασιλεῖς ——— συναγαγεῖν αὐτοὺς εἰς τὸν πόλεμον.

Apocal. c. VII, 10, Καὶ κράζοντες φωνῇ μεγάλῃ, λέγοντες ———

Quod eſt in aliquot Codd. κράζουσι, a *Wetſtenio* proba-

batum, in ſuas receperunt Edd. *Bengelius*, & *Grieſbachius:* Belgae Noſtri correxerunt:

Καὶ ἔκραζον —— λέγοντες.

Ende ſy riepen met groote ſtemme, ſeggende ——

Apoc. c. IX, 19, iſta,

hare macht is in haren mondt, ende in hare ſteerten.
ubi tandem in Edd. Graecis harum regionum inveniantur ab ipſis reddita: *ende in hare ſteerten?* alibi tamen terrarum & Tubingae & Halae haec ex MSS. Codd. iam in ipſo contextu fuere publicata: Ἡ γὰρ ἐξουσία τῶν ἵππων ἐν τῷ στόματι αὐτῶν ἐστι, καὶ ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν. Addam e pluribus unum huius libelli locum, in quo Codicum non nituntur auctoritate:

Apoc. c. XVII, 5, Βαβυλὼν ἡ μεγάλη dicitur ἡ μήτηρ τῶν πόρνων, & in Edd. & in Codd. — Latinus Interpres, *Babylon*, inquit, *magna*, *mater fornicationum:* legit itaque πορνειῶν· atque ita Noſtrates:

de groote Babylon, de moeder der hoereryen.

Sed forte quis dixerit libellum iſtum *Ioannis* eſſe tenebricoſum, atque adeo cenſeat in hoc libello emendando maiorem quandam libertatem poſſe concedi. Proferam ex aliis libris Sacris loca, in quibus eadem Verſores iſti praeclari libertate fuerint uſi.

In Evang. *Lucae* c. I, 73, Codd. aeque atque Edd. praebent,

Ὅρκον, ὃν ὤμοσε —

neque dubito quin id ipſum dederit *Lucas: Vitringae* patri venit in mentem, melius fore,

Ὅρκου, ὃν ὤμοσε —

ita ſcribendum cenſuerant Belgae; reddunt enim

des eedts, dien hij — geſworen heeft.

Lu-

Lucae c. II, 11, Ὅτι ἐτέχθη ὑμῖν σήμερον σωτὴρ, ὅς ἐστι Χριστὸς Κύριος — Belgae:

dat u heden geboren is de ſalighmaker, welcke is
Chriſtus de Heere:

de ſalighmaker — de Heere, ſcribi non potuit niſi ab illo, qui recte viderit, articulo bis poſito, legendum ὁ σωτὴρ — & ὁ Κύριος. ex nullo tamen Codice hic articulum nobis enotarunt.

Lucae c. II, 15, οἱ ἄνθρωποι, οἱ ποιμένες, Noſtratibus ſunt ſimpliciter,

de herders.

Hoc autem in loco οἱ ἄνθρωποι noſtra aetate abſurda nobis commenta pepererunt, atque adeo indigna quae a me commemorentur.

Ill. *Grotius* in h. l. „ Bene, ait, omiſerunt Syrus „ & Latinus interpres, οἱ ἄνθρωποι· eſt enim πλεονασ„ μὸς ex Hebraismo, ut Matth. VII, 9. XI, 19. „ XIII, 45, 52. XVIII, 23. & alibi paſſim. ἄνθρωποι „ ποιμένες. אנשים רועי צאן / *viri paſtores ovium*, „ Geneſ. XLVI, 32." Iſta *Grotii* recte refutavit *Io. Vorſtius* de Hebr. N. T. c. XIII. quae vero profert ex Graecis Scriptoribus, ut ſimilia formis loquendi Graecienſium in libris N. F. alieniſſima ſunt: hac etiam in parte ne alios memorem, peccavit *Ier. Marklandus* in *Lyſiae* P. 484, 1. qui, „ Nota, inquit, „ loquendi formula, ἄνθρωπος ὑπογραμματεὺς, ut ἄν„ θρωπος βασιλεὺς Matth. XXII, 2. ita ἄνδρες ἀδελφοὶ, „ *fratres*, Act. XXII, 23. &c." — Nusquam in Graecis ſcriptoribus a *Marklando* fuit lectum de *Rege* ἄνθρωπος βασιλεύς. mirumque adeo eſt, dum *Lyſiam* commentabatur, non vidiſſe *Marklandum*, in iſto *Lyſiae* loco, oppoſite ad Solonem, Themiſtoclem, Periclem, memoratos, Tiſamenum quendam & Nico-

comachum, per contemptum ab Oratore dici ἀνθρώπους ὑπογραμματέας· alibi etiam vocem ἄνθρωπος in talibus adhibuiſſe, ſed ſemper in contemptu; de ancillis, meretricibus, atque huius generis mulierculis: p. 93, 8, πόρνης ἀνθρώπου· p. 97, 9, διὰ πόρνην καὶ δούλην ἄνθρωπον — εἰς κίνδυνον καθέστηκα. quam paulo ante dixerat θεράπαιναν, dicit τὴν ἄνθρωπον *Iſocrates* p. 381. B. ſimiliter Alcen, mulierculam, quae quaeſtum fecerat meretricium, deſignat *Iſaeus* p. 58, 20. *Demoſthenes* c. Androtion. p. 396. §. 98, Σινώπην προεστηκύ-ρᾳζα, καὶ Φανοστράτην, ἀνθρώπους πόρνας. Nusquam apud illos, vel alios ſcriptores veteres ἄνθρωπος ἄρχων, vel ἄνθρωπος βασιλεὺς, vel horum quid ſimile reperietur: Quantum in ſtylo praeſertim ſublimiore diſtant *vir* & *homo*, ἀνὴρ & ἄνθρωπος (mea vid. in *Herodot.* P. 604.) tam diverſo quoque modo in iſtis adhibentur locutionibus: *piſcator* iam ab *Herodoto* dicitur ἀνὴρ ἁλιεύς, III, c. 42. *vates*, ἀνὴρ μάντις, VI, c. 83. alia ſubeſt ratio, quam vicina monſtrabunt, cur *Agathon* in *Ariſtoph.* Theſmoph. dixerit v. 156, χρὴ τὸν ποιητὴν ἄνδρα. —— Ad normam Graecorum, quamvis de quovis illud vate mea ſententia non adhibuiſſet, *Propheta* dictus fuit a *Luca* ἀνὴρ προφήτης, Euang. XXIV, 19. Haec a me ſcripta ſunt, ut ſaltem iuvenes diverſa diſtinguere diſcerent; illud praeterea, quicquid huius fuerit generis a Philologis huc collatum, id omne fuiſſe hinc alienum; neque enim hic dicuntur ἄνθρωποι ποιμένες, ut alibi *paſtores* ἄνδρες βουκόλοι· ſed utraque vox (οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες εἶπον πρὸς ἀλλήλους) exornatur articulo; qui repetitus eamdem hic habet vim, qua ponitur ab optimis ſcriptoribus Atticis: quando *Thucydides* norma cenſetur Atticiſmi, hic unum alterumque articuli, ad rem declarandam ſic repetiti, nobis praebeat exemplum: L. VIII, c. 77. p. 551, 62, οἱ δὲ

πεμφθέντες ἐς Σάμον, οἱ δέκα πρεσβευταί, *in Samum vero miſſi, decem* (*nempe*, vel *ſcilicet*,) *legati* — L. IV, p. 301, 95, αἱ πόλεις πυνθανόμεναι, αἱ τῶν Ἀθηναίων ὑπήκοοι· *cum civitates intelligerent, quae nempe Athenienſium erant imperio ſubiectae.* — *Xenophon* Κ. Ἀ. V. p. 215, 16, καὶ οἱ ἄνδρες ἀποθνήσκουσι τρεῖς ὄντες, οἱ πρέσβεις, καταλευσθέντες. *& viri, tres numero, nempe legati*, (de quibus ante dixi) *lapidibus obruti moriuntur*: ſic iſta ſunt Latine vertenda. *Ariſtoph.* in Pace v. 643,

Οἱ δὲ τὰς πληγὰς ὁρῶντες, ἃς ἔτυπτον, οἱ ξένοι —

Qui vero, quas infligebant civibus demagogi, *videbant plagas, peregrini ſcilicet, auro ſtudebant illos delinire.*

Haec qui rite ſpectaverit, non dubitaturum confido, quin ad eamdem rationem ſcripſerit *Lucas:*

Οἱ ἄνθρωποι, οἱ ποιμένες, εἶπον πρὸς ἀλλήλους·

homines, iſti nempe paſtores (de quibus agere coepi comm. 8.) *dixerunt ad ſe invicem* —

In uſu articuli millenis fuit vicibus peccatum: de duabus vocibus cui praefigatur multum intereſt: qui ad manum eſt, exemplum dabit *Thucyd.* IV, c. XIII. ἐς πρώτην τὴν νῆσον *Valla* reddiderat, *in primam inſulam*: nomen inſulae eſſe *Proten*, Πρώτην; vidit monuitque *Palmerius: inſulam* inter multas *primam*, non πρώτην ν. quod putabat *Palmer.* ſed τὴν πρώτην νῆσον dicerent Graeci. *Homero* licebat a communi norma loquendi ſecedere, ex gr. in Il. Φ. v. 317,

Φημὶ γὰρ οὔτε βίην χραισμησέμεν, οὔτε τὶ εἶδος,
Οὔτε τὰ τεύχεα καλά.

ne hoc quidem ex Od. P, v. 10,

Τὸν ξεῖνον δύστηνον ἄγ' ἐς πόλιν·

dimiſit *Euſtathius* intactum, monuitque p. 617, 19, poſitum ἀσυνήθως, pro uſitato, τὸν δύστηνον ξεῖνον· ad priorem vero locum p. 1326, 5, ὅρα, ait, τὸ, τὰ τεύχεα κα-

καλὰ, ὡ συνήθως λεχθέν· τὰ καλὰ γὰρ φασὶν τεύχεα· tum addit & iſta: ἢ καὶ σὺν δύο ἄρθροις, τὰ τεύχεα τὰ καλά. cum poſtremis *Euſtathii* conveniunt ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή. *Callimachi* ὁ παῖς ὁ κατάπλεως· ὁ ἥλιος ὁ πολὺς *Porphyrii* apud *Euſebium* Praep. Ev. p. 117. c. Comparari poterunt *H. Stephanus* in Append. Theſ. Gr. Ling. p. 177. *Balth. Stolbergius* in Praelect. in Aiacem *Soph.* p. 110. *Raphelius*, Annot. in S. S. I. p. 657. & *Henr. Hoogevenius* ad *Viger.* de Idiot. p. 15. ſed ab iſtis, ἡ γυνὴ ἡ καλὴ ſimilibusque noſtrum *Lucanéum* multum diſtat.

1 Epiſt. ad *Theſſ.* cap. III, 3. Timotheum ſe ſuum miſiſſe ſcribit *Paulus*, qui ipſos in fide corroboraret, & conſolaretur afflictos:

τῷ μηδένα σαίνεσθαι ἐν ταῖς θλίψεσι ταύταις·

Qui reddiderunt, Belgae,

op dat niemant beweeght en worde in deſe verdruckingen:

aliud verbum, pro σαίνεσθαι, & probabiliter σαλεύεσθαι, quod *Bentlejo* quoque videbatur hic reponendum, legendum cenſuerunt. In II ad *Theſſ.* II, 2, εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ νοὸς, μήτε θροεῖσθαι — ſimiliter interpretantur: *dat ghy niet haeſtelick beweeght, en wordt van verſtandt, ofte verſchrickt,* — Verbum Σαίνεσθαι, his ſcriptoribus prorſus inuſitatum, in quamcunque partem vertatur, hunc in ſenſum, a *Wolfio* fortaſſe, a Noſtratibus accipi non potuit; quos ſaepe iam vidimus, Codicum auctoritate non munitos, ubi ſenſus id poſcere videbatur, a vulgatis lectionibus recedentes. —— Aevum *Pauli*, vel Paulino proximum, ſi nobis exemplum verbi ſubminiſtraret, infimi aevi Graecis notiſſimi, Σιαίνεσθαι, hoc, vulgatas literas prope accedens, forſan hic videri poſſet olim

poſitum. — *Io. Iac. Reiskius* in Animadverſ. ad *Polybium*, alia ante coniectura ſuper hoc loco propoſita, p. 68, „ Schedas, ait, denuo perluſtranti mihi ve-„ nit in mentem ſuſpicari, Paulum ſcripſiſſe non ταλ-„ νιᾷ, ſed σικινιᾷ· quod verbum ſignificat *taedio*, „ *moleſtia*, *aegritudine affici:* — Penes me quidem „ dubium nullum ſupereſt, Paulum dediſſe σικινιᾷ, „ quicquid de huius verbi novitate ad aetatem Pauli „ non aſſurgente poſſit in contrariam partem affer-„ ri. " — Σικινθεὶς in duobus tribusve infimi aevi libellis a *du Cangio* fuit inventum; in *Conſtantini Porphyrog.* opere de Cerimon. Aulae Byzant. quod primus *Reiskius* publicavit, lectum P. 233. C. ἐσικίνθη redditur in Comment. p. 125, *vexatus*, *aegrimonia affectus*, *offenſus*, *laeſus fuit.* In nota ad *Scholion* in *Lucian.* T. I. p. 372, *Hemſterhuſius* verbum illud attigit, ut, recentioris aevi, Σικίνειν, *faſtidium creare;* Σικινιᾷ, *faſtidire*, *averſari;* quod ex Σικχαίνειν fuerit corruptum: in *Scholiis* ad *Ariſtoph.* Ranas v. 442, idem ille vocem non Graecam συγχαινθίνζεις emendabat in Σικχανθίνζεις· rariſſimum verbum aliquoties adhibuit mirus interpres Ant. Foed. *Aquila*, *Geneſ.* XXVII, 46, *Ieſaiae* VII, 16 &c. nec *Symmachum*, ſed *Aquilam* ſcripſiſſe ſuſpicor τὰ σίκχη, *Ezech.* XX, 7. a Σικχὸς, quod duobus exemplis munivit *Toupius* Emend. in *Suid.* III. p. 128, formata nusquam adnotata ſunt Σικχότης, Ἄσικχος, & Ἀσικχότατον· quorum illud eſt apud *Euſtath.* in Il. Ξ. p. 959, 5. hoc apud *Plutarchum* T. I. p. 49. F. T. II. p. 132. B. *vinum* eſſe dicitur ὄψον ἀσικχότατον. —

Quam vero ſecundis curis retractatam illic reiicit, altera *Reiskii* coniectura, qua ne litera quidem mutatur, non dubito quin multis placuerit, ut docte excogitata, & fortaſſe priſtinam nobis dans *Pauli* manum:

num: „ videbatur, inquit, aliquando (pro μηδένα σαί-
„ νεσθαι) legendum eſſe

„ μηδὲν ἀσαίνεσθαι·

„ *ne taedium & impatientia doloris atque moleſtiae ve-*
„ *ſtros capiat animos*; in his malis ne ſtomachemini,
„ ne animum deſpondeatis ob diuturnitatem & magni-
„ tudinem vexationum. " Is ſenſus & verbo convenit Ἀσᾶσθαι, &, quod fatendum eſt, loco *Pauli*. Ἄση & Ἀσᾶσθαι, (Ἀσίεσθαι Ionice pronunciatum) vetera ſunt & optimae notae; frequentantur iſta ab *Hippocrate* praeſertim; in cuius ſcriptis quam diverſis uſibus inſerviant docuit *Foeſius* in Oecon. Ἄση, pr. *faſtidium* ſignificans *ex nimia ſatietate* ortum, ab alio forte nullo ſcriptore toties adhibetur, quam a Iudaeo *Philone*, qui *Paulo* certe fuit aetate proximus: ab illo voces, *taedium* atque *angorem animi* ſignificantes, cum ἄση iunguntur: p. 179. C. ἐν ἀηδίᾳ καὶ ἄσῃ· p. 173. B. *corpus morbo grave* ἄσης καὶ ἀδημονίας αὐτὸν ἐνέπλησεν. ſimiliter iſta iungit p. 539. C. p. 621. A. huc adde quae *Pierſonus* collegit ad *Moerin Attic.* p. 60. Quam illic profert ex *Olympiodori* Comm. inedito, dare potuerat ex dudum edito *Euſtathii* in *Hom.* Il. I. p. 635, 14. paulo etiam meliorem, in *Eurip.* Med. v. 245 lectionem,

ἔπαυσε καρδίαν ἄσης·

quam, ſive illinc ſumptam, ſeu e Codice MS. exhibet elegantiſſima *Brunckii*, viri eximii, Editio. Ἀσᾶσθαι & ἀσσηθῆναι hic illic occurrunt perperam σ duplicato ſcripta, ut in *Plutarchi* T. II. p. 918 C. ἀσσιᾶσθαι, & in Edd. *Hippocratis* & *Aretaei*: recte vidit *Pierſonus*, in horum ſcriptis Ionicam eſſe formam, in ἀσσιᾶσθαι latentem, Ἀσίεσθαι reſtituendam. Iſta forma verborum in άω, Ionica multos fefellit, Lexicorum quidem conditores, cum nobis dant ut novum verbum ex *Herod.*

'Αρτίομαι. Πλανίεσθαι· κοιμίεσθαι· χρίεσθαι· διαχρίεσθαι· & horum ſimilia proſtant apud *Herodotum*; cui ἀτίεσθαι reſtituendum eſt L. II, c. 66. P. 135, 4. κτείναντες μέντοι, οὐ πατίεσθαι· male *Weſſelingius* & ego ultimum illud probaſſe videmur: quod olim placebat, nunc dubio paene vacuum videtur, leniter illic corrigendum, κτείναντες μέντοι οὔτι ἀτίεσθαι, felium foetus *qui occiderunt*, *nullum tamen illinc damnum patiuntur*; cum contra aliorum illic animantium interfectores morte mulctentur. eſſe & illud οὔτι in talibus *Herodotéum*, monſtrabunt in Ed. *Gronov.* p. 281, 3. 20 p 368, 17. p. 427, 25. — *Noceo*, *damnum infero* dicebatur ἀτάω & ἀταίνω· ut erant huius generis multa in uſu ſub duplici forma: περάω, & περαίνω· ῥυπάω, & ῥυπαίνω· κ. τ. λ. — In hanc claſſem cui placuerit referre verbum 'Ασάω, 'Ασαίνω· vix dubito, quin ſit arbitraturus, pro μηδένα σαίνεσθαι, ſcripſiſſe *Paulum*, μηδὲν ἀσαίνεσθαι· cum alias etiam, in Cilicia natus, formas verborum adhibeat, quas vix alibi reperias.

Nunc ex iis etiam locis, quae Noſtrates ex Codicibus MSS. emendarunt, aut ſuppleverunt, pauca proponam:

Marci XV, 3.

d'Overprieſters beſchuldighden hem van vele [ſaken:] *maer hy en antwoordde niets.*

Vulgatarum Editionum defenſores, poſtrema ubi tandem in veſtris reperietis αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο; quae in quibusdam Codd. lecta Noſtratibus genuina videbantur.

Ad alteram claſſem locus a me referri potuiſſet ex Epiſt. *Iacobi* c. IV, 2. ubi legitur in Edd. non tantum, ſed in omnibus etiam, quotquot adhibiti fuere, Codd.

Ἐπιθυμεῖτε, καὶ οὐκ ἔχετε· φονεύετε καὶ ζηλοῦτε, καὶ οὐ δύνασθε ἐπιτυχεῖν.

B. *Gij begeert, ende en hebt niet, gij benijdet, ende yvert* [na dingen,] *ende en kundtſe niet verkrijgen.* —

Argutus aliquis ſophiſta ſi poteſt in aliis locis verba profundere, & ſuo quodam modulo diſputare, hic tamen perſuadere ſibi non poterit, φονεύετε, *occiditis*, reddi potuiſſe, *gij benijdet.* — *Erasmo*, φθονεῖτε corrigenti, adſtipulatur *Beza: Erasmi* quoque coniecturam Noſtrates probarunt; non certe talem, ut velut dubio vacuam auſus illam fuiſſem in contextum immittere. Non dubitanter *Io. Pricaeus*, „ ego, in„ quit, haec dicta accipio pro φθονοῦντες ζηλοῦτε· non „ dubitem ideo vertere, *invidendo ardetis*, " Quid vero ſacrorum Interpretum Illuſtriſſimus? „ ſunt, in„ quit, qui legunt φθονεῖτε· non male; niſi quis ma„ lit φονᾶτε· ſaevitis alii in alios; & felicibus invide„ tis, & tamen ad eorum felicitatem (vitam tran„ quillam) pertingere non poteſtis. "

Vi ſuae formae φονᾶ ſignificat φονεύειν ἐπιθυμεῖ· vel, ut loqui ſolent in talibus Grammatici, τοῦ φονεύειν ἐπιθυμητικῶς ἔχει. — Scriptoribus noſtris ſacris, Iudaeis etiam Graecienſibus prorſus inuſitatum, ex veteribus Atticis neminem novi, qui verbum illud adhibuerit, praeter unum *Sophoclem*, qui, ut eſt novator, illud poſuit pro θανατᾶν· *mortem deſiderare*, in Philoct. v. 1205,

φονᾷ, φονᾷ νόος ἤδη·

Florens Chriſt. Mori, mori iam anima optat. Suo legitur ſignificatu apud *Suidam* in Φονᾷν· — *pater filiam* διώκει φονᾶν, καὶ ἀπεκτόνηκε γλιχόμενος. — in v. Φονῶντες· οἱ ἢ λέγονται (λέγονται δὲ *Aelianus* etiam alibi ſcribit) ἱερουργεῖν φονῶντες. praeter alia, forte centum, ſine Aucto-

 ris

ris nomine prolata fragmina, haec quoque ſunt ex *Aeliani* libello perdito περὶ Προνοίας. — *Aelianus* in V. Hiſt. II, c. XLIV, de pictura quadam agens Theonis, miles, ait, γυμνὸν ἐπισείει τὸ ξίφος, φονῶντι ἐοικὼς καὶ σφάττειν βλέπων. corrigo, σφαγὴν βλέπων. quod idem eſt ac φονια δεϱκόμενος *Aeſchyli*; *torva tuentem* dixeris cum *Virgilio*: κάϱδαμα βλέπειν, & σκότη βλέπειν plebeiae ſunt, paene proverbiales, praeter alias huius generis permultas, formulae in *Ariſtoph*. Veſp. v. 453. 641. — Idem *Aelianus* V. H. III. c. IX, in fine ſcripſit, τῷ ἐξ Ἄρεως καὶ Ἔρωτος φονῶντι. — in L. XII. de Nat. An. c. XLIV, initio, captus elephas Indus iam robuſtus manſuefieri vix poteſt, καὶ τὴν ἐλευθερίαν ποθῶν φονᾷ. — idem illud φονᾷν bis terve *Philoſtratus* etiam adhibuit. Amabant id genus Sophiſtae talia frequenti uſu terere, quae uno nonnunquam in loco legerant Scriptoris Attici. — Putidi quoque novatores confingebant; qualia ſunt Lexiphanis *Luciani*, — quae tamen in Comoedia forte locum invenerunt, T. II. p. 320, λουτιῶ, *lavaturio*; p. 326, τὰ ὄμματά μοι φαϱμακᾷ. (*Euſtathius* in *Hom*. Od. A. p. 54, 19 attigit) p. 337, §. 15, ἐμοὶ ἡ γλῶττα ἤδη λογᾷ. *Macrobius* Saturn. VII. c. II, *milites*, — *fortiter a ſe facta ſemper dicturiunt*.

Eiusdem generis eſt in *Luciani* Pſeudol. T. III. p. 180, Ἀθηνιᾶ· cuius illic adiectum legitur interpretamentum, τὸ Ἀθηνῶν ἐπιθυμᾶ. — Vt has literas rite tractaturi iuvenes ad talia etiam attendere diſcant, de hoc genere quaedam adiiciam: ſciant itaque apud antiquiſſimos Scriptores verba huius formae *deſiderativa* pauca reperiri, quae tamen in vita quotidiana frequenter adhibita fuiſſe monſtrare poterit *Ariſtophanes*. Nihil horum dabit *Herodotus*; nihil *Thucydides*, cui huius ſignificatus verba in ιω placuerunt. — Vnum for-

forte Στρατηγιῶν. eſt in *Xenophontis* Κ. Ἀ. VII. p. 233, 6. Nihil tale, quod ego meminerim, apud ullum legitur Oratorum veterum: quod enim velut *Andocidae* proſtat in Lexicis, ψευδομαρτυριῶν, cum centenis aliis in iſtis libris vitioſum eſt: apud *Andocidem* p. 2, 3, ἑάλωσαν —— ψευδομαρτυριῶντες· quamvis legatur etiam in Or. *Iſaei* IV. p. 52, 14. mutandum eſt in ψευδομαρτυρῶντες. ſive potius, ſignata in talibus locutione, ἑάλωσαν — ψευδομαρτυριῶν. ſic quivis loquuntur Oratores, *Lyſias* p. 182, 7. *Iſaeus* p. 51, 40. *Demoſthenes*, ceterique. — *Archytae* Epiſtola praebet μένοντί τε καὶ ἀφορμιῶντι, *Laërt.* III, 22. — Vnus multo plura dabit huius generis *Ariſtophanes*, Pluti v. 1025. 1100. Nub. v. 183. v. 1390. Ran. v. 484. v. 519. v. 1313. Vesp. v. 803. Eq. v. 61. Pace v. 1210. quo reſpicit *Photius* in Lex. Λοφᾷν, λόφου ἐπιθυμεῖν· οὕτως Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ. Quibus opus erat helleboro, in *Calliae* quadam Comoedia dicebantur Ἐλλεβοριᾷν· *Etymologici M.* auctor p. 331, 29. Ἐλλ. τὸ ἐλλεβόρου δεῖσθαι ὡς φαρμάκου· οὕτω Καλλίας. talia ſunt ὑδεριᾷν· σπληνιᾷν· χαλαζᾷν· (*Schol.* ad *Ar.* Εἰρ. v. 1210.) ὀφθαλμιᾷν· *priſtinum oculorum uſum deſiderare.* Haec ferme tantum reperientur apud veteres.

In Evang. *Lucae* c. V, 7,

ſij — vulden beijde de ſchepen, ſoo dat ſy byna ſoncken.

In Graecis exemplaribus inveniuntur iſta: ἔπλησαν ἀμφότερα τὰ πλοῖα, ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά. neque aliter ediderunt *Io. Millius*, *Kuſterus*, *Io. Iac. Wetſtenius*, *Bengelius*, *Griesbachius:* hic tamen, ut lectionem minus probabilem, memorat hanc, quam duo tantum praebent Codices Graeci,

ὥστε παρά τι βυθίζεσθαι αὐτά.

Latinus dat id ipſum interpres:

impleverunt ambas naviculas ita ut pene mergerentur.

Sic ſatis pro imperio *Beza*, cum edidiſſet, ὥστε παρά τι βυθίζεσθαι αὐτά· „ Hoc, ait, adiecimus Graeco contex„ tui, quod Syrus interpres habet, & in vetuſtiſſimo „ Codice meo, & alio praeterea MS. inveni: " — Sed duo Codices reliquis, opinor, omnibus non anteponentur in admittendo adſumento, quod nullius eſt uſus. Neminem, qui ad ſermonem gentium diverſarum quotidianum attendit, iſta talia offendent. — Quod praeceſſit, διεῤῥήγνυτο τὸ δίκτυον αὐτῶν, unusquisque facile intelligat, ac ſi ſcriptum eſſet, μικροῦ ἐδέησε τὸ δίκτυον διαῤῥήγνυσθαι. prout loquuntur Attici. — Eſt autem παρά τι prorſus idem ac παρ' ὀλίγον, quod & hic ex uno fuit Cod. adnotatum a *Millio*, & παρὰ μικρόν. *Luciani* Prometheus T. I. p. 23, 6, Φαυλότερος ἐμοὶ ὁ πηλὸς, οἷος ἐν τριόδῳ, βόρβορός τις παρὰ μικρόν· *coenum propemodum. vulpem praevertere* παρ' ὀλίγον, & παρ' ἓν μόνον βῆμα dixit *Dion Chryſt.* Or. IX. p. 141. D. ubi Dionyſius a *Diodoro Siculo* XIV, c. 100. p. 719, dicitur ἐπὶ πεντήρους πλέων, καὶ πολλάκις παρ' ὀλίγον ἐλθὼν ὑποβρύχιος· nonnulla *Weſſelingius* V. C. adſcripſit.

In *Lucae* c. VI, 9,

Ick ſal u vragen: wat is geoorloft op de ſabbathen, goet te doen, of quaet te doen.

In Edd. hic vulgatis legimus:

Ἐπερωτήσω ὑμᾶς τι· Ἔξεστι τοῖς σάββασιν ἀγαθοποιῆσαι, ἢ κακοποιῆσαι;

quae reddi potuerant:

Ik zal u iets vragen: is het geoorloofd op de ſabbaten goed, of kwaad te doen?

Non aliter *Io. Millius* & *Io. Iac. Wetſtenius*; ſed *Bengelius* & *Griesbachius* ediderunt: Τί ἕξει — In uno alterove Cod. ſcriptum, εἰ ἕξει — equidem ſuſpicor hic locum invenire poſſe, ſed ita, ut ſimul τὶ ſua ſede relinquatur. *Lucam* ſcripſiſſe ratus:

Ἐπερωτήσω ὑμᾶς τι· εἰ ἕξει ———

nullus enim dubito quin τι pertineat ad ἐπερωτήσω. dici quoque potuerat ἕν τι, vel, more ſcribendi Graecienſium, ἕνα λόγον. in Evang. *Matth.* c. XXI, 24. ἐρωτήσω ὑμᾶς κἀγὼ λόγον ἕνα· totidem verba, ſed ἕνα λόγον, dant *Lucas* in Evang. c. XX, 3. & *Marcus* Ev. c. XI, 29. *Quaeſtionem alicui proponere* dicebant ἐρωτᾷν τί τινα· vel ἕνα λόγον. In eumdem paene ſenſum ab illis ſcribi potuiſſet, ἐρωτήσω ὑμᾶς ἓν ῥῆμα· *aliquid*, vel *ſuper re quadam vos interrogabo.* Illud εἷς, pro uſitato τὶς, ſic aliquoties occurrit in Evang. *Matthaei*: c. VIII. v. 19, προσελθὼν εἷς γραμματεὺς εἶπεν αὐτῷ —— ubi idem dictum memorat *Lucas*, Ev. c. IX, 57, εἶπέ τις πρὸς αὐτόν· neque adeo probanda Codicum lectio τὶς, vel εἷς τις, ubi ſcripſerat *Matthaeus*, quod vulgatur, c. XIX, 16, ἰδοὺ εἷς προσελθὼν εἶπεν αὐτῷ. vocem ἄνθρωπος in hunc etiam ſenſum adhibuit, ſecundum Interpretes Belgas, *Matth.* c. XVIII, 23, ἀνθρώπῳ βασιλεῖ reddentes: *bij een ſeker koninck.* Εἷς τις a Graecis frequenter, a *Sophocle* dicitur & τὶς εἷς, in Antig. v. 275. in Oed. T. 255. — Pro *quidam* autem Graecos Εἷς dixiſſe nonnunquam, Latinos *Vnus*, negari quidem non poteſt: vid. *Io. Pricaeus* in *Matthaei* Ev. c. VIII, 19. *Berglerus* in *Alciphr.* p. 15. *P. Burmannus* in *Ovid.* Her. Ep XV, v. 162. &c. ſed ſaepe tamen certa quaedam ſubeſt ratio, cur ab uſu nonnihil recedant: — Iſthoc in loco *Lucae* cum praeceſſerat τὶ, facile ſequens Εἰ ab iſta vocula potuit elidi: ſcripſerit autem, me iudice, ſuo more in inter-

terrogatione, εἰ ἔξεστι; *Evang.* XIV, 3, interrogat Ieſus Iuris peritos & Phariſaeos, εἰ ἔξεστι τῷ σαββάτῳ θεραπεύειν; *Act. Apoſt.* c. XXI, 37, Paulus λέγει τῷ χιλιάρχῳ, εἰ ἔξεστί μοι εἰπεῖν τι πρός σε. hanc vero in rem plura iam conduxit Eruditiſſimus *Henr. Hoogeveenius* in laborioſa Doctrina Partic. T. I. p. 327.

In I Epiſt. *Petri* c. I, 8,

Ὃν οὐκ εἰδότες ἀγαπᾶτε·

reddi ab Ipſis non potuit,

Den welcken gij niet geſien en hebt, ende [noch-tans] *lief hebt.*

ſed ſic iſta transferri debuerant:

Den welken Gyl. niet gekend hebbende bemint.

Bezam iterum ſequuti legerunt ἰδόντες· qui in hunc locum ſcribit: „ Οὐκ ἰδόντες. ſic reſtituo ex MS. bonae „ fidei Cod. adſtipulante Vetere Latino interprete." — Hic etiam a *Beza* diſſentientes, εἰδότες retinuerunt *Millius*, *Wetſtenius*, *Bengelius*; alterum tamen commemorantes, ut in Codd. nonnullis lectum. — Quamvis autem eodem de fonte manent iſta duo, diſtinguuntur tamen uſu, in Linguis tyrannidem exercente, cui nobis etiam Phileleutheris eſt obtemperandum.

In Evang. *Marci* c. VIII, 24, caecus, ubi viſum recuperaſſet, dixiſſe traditur,

Βλέπω τοὺς ἀνθρώπους ὡς δένδρα περιπατοῦντας·

in vernacula nobis Verſione,

Ick ſie de menſchen, want ik ſieſe als boomen, wandelen.

Quae vulgantur Graeca, nihil utique aliud nobis ſignificant, niſi

Ik zie de menſchen, als boomen, wandelende,

In multis vero Codd. iſta leguntur

χλί-

Βλέπω τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ὡς δένδρα ὁρῶ, περιπατοῦντας.
hoc, ab *Erasmo* probatum, in ſuarum Editionum ſecundam recepit *Beza*; in quartae vero Edit. adnotationibus alteram lectionem, qua ὅτι — ὁρῶ omittuntur, genuinam declarat; illud praeterea, cur Graeca reddiderit, *inſtar arborum, ambulantes.* Belgis, in altera lectione probanda, ſuffragantur *Millius*, *Wetſtenius*, *Bengelius* aliique.

In Ev. *Marci* c. XI 32,

Ἀλλ' ἐὰν εἴπωμεν· Ἐξ ἀνθρώπων· ἐφοβοῦντο τὸν λαόν.
poſtrema non ſignificant, ut Belgae dederunt:

(*Maer indien wy ſeggen, Uit de menſchen*) *ſoo vreeſen wij het volck.*

legerunt ſcilicet φοβοῦμεν· quod in paucis Codd. repertum Editores reiecerunt recentiores. Ex Codicibus MSS., praeter alia, haec etiam loca Belgae cenſuerunt Interpretes emendanda:

in Evang. *Lucae* c. XIII, 23.
—— — —— c. XVI, 9.
—— — —— c. XIX, 47.
—— — *Iohannis* c. XVII, 25.
in *Lucae* Act. Apoſt. c. X, 22.
in *Pauli* Ep. ad Rom. c. V, 11.

Quod ſumſeram demonſtrandum ſic opinor clariſſimis exemplis probatum, ut qui hoc legerit Schediasma neminem hac de re putem amplius dubitaturum; atque ita videri poteram praeſtitiſſe, quod facturum me fueram pollicitus.

Quando vero hac tempeſtate plerique aequi ſunt harum rerum iudices, & per hoſce dies aliquot Libri noſtri ſacri me tenuerunt occupatum, necdum illos de manibus deponam; ſed in gratiam eorum, qui hoc genere delectantur, in alia quaedam loca coniecturas

ras proponam & animadverſiones a Philologis examinandas.

In Ev. *Matth.* c. XXVIII, 17,

Ἰδόντες αὐτὸν προσεκύνησαν αὐτῷ· οἱ δὲ ἐδίστασαν·

Saepe breviloquum, in re tamen nonnullius momenti *Matthaeum* mirarer verbis aliquot parcere maluiſſe, quam, quid hic ſignificatum vellet, paulo plenius nobis declarare. Non negari quidem poteſt, οἱ δὲ, pro τινὲς δὲ, hic illic poſitum, etiam ubi οἱ μὲν noſtris in exemplaribus non praecedit. Hoc vero loco, quem duae voculae omiſſae prorſus obſcuraſſent, ſcripſiſſe potius videtur:

"Ἰδόντες αὐτὸν [οἱ μὲν] προσεκύνησαν αὐτῷ· οἱ δὲ ἐδίστασαν.

omitti hic quoque potuerat ab alio pronomen αὐτῷ, non a *Matthaeo*, qui hoc ſemper modo verbum adhibuit προσκυνῆσαι. Sed vellem certo ſciremus, ſcripſeritne οἱ δὲ ἐδίστασαν· an aliud; praeterea, ſi verbum hic, ut c. XIV, 31, quod verum arbitror, Διστάζειν adhibuit, qua tandem illud ratione voluerit acceptum. Simul atque Ieſum in monte viderent Galilaeae, προσεκύνησαν αὐτῷ· quinam tandem? an *undecim* viri? οἱ ἕνδεκα, §. 16. Non omnes; addidit enim: οἱ δὲ ἐδίστασαν· & qua de re dubitarunt? πότερον εἰ, ὃν εἶδον, ὄντως αὐτὸς ἦν Ἰησοῦς, ἢ ἄλλος; an alia mentem quorumdam de his ſubiit dubitatio? haec nempe: πότερον, ὃν πρὶν οὐδέπω προσεκύνησαν, νῦν ἤδη προσκυνεῖν ἔδει. — In quinta ſive ultima Editione ſua N. F. multa verba profundit *Beza*, ut perſuadeat Lectori, noſtrorum exemplarium, etiam MSS. vitioſam eſſe lectionem; ac tandem, „ Mihi ait, veriſimile eſt, potius ſcripſiſſe „ Evangeliſtam, οὐδὲ ἐδίστασαν, id eſt, *neque dubitarunt*, ut intelligamus, tum demum Chriſtum fuiſſe „ ab omnibus illis XI, omni dubitatione ſublata, ſum-

„ ſummo conſenſu agnitum & adoratum. " Hanc mutationem, qua nodum ſecare tentavit *Beza*, neminem novi qui probaverit; qui publice reiecerint, praeter *Io. Iac. Wetſtenium*, plures. — Theologus, harum Literarum peritus, me rogavit aliquando, putaremne hic, pro ἐδίστασαν, ſcribi poſſe διέστησαν, & Latine reddi, *a reliquis ſtabant remoti*; cui interpretationi favere quae proxima ſequuntur arbitrabatur: καὶ προσελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἐλάλησεν αὐτοῖς — ego vero *Lucaeum*, διέστη ἀπ' αὐτῶν, illinc dicebam longe diverſum, quaeque proferri a me poſſent ad διέστη & διέστησαν, pauca quaedam exempla veterum nihil tamen facere ad hunc *Matthaei* locum: hinc etiam multum diſtant, in quibus tamen, ut hic, οἱ δὲ ſunt τινὲς δὲ, *Xenophontea* Κ. Ἀ. I. p. 153, 7, οἱ δὲ καὶ ἔστασαν ἀπορῶντες τῷ πράγματι.

In Ev. *Marci* c. III, 21,

Ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη.

Sic verba vulgata nativo videntur ſitu collocanda: Οἱ παρ' αὐτοῦ, ἀκούσαντες λέγοντας (huc enim redit ἔλεγον γὰρ) ὅτι ἐξέστη, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν. Quinam vero erant abſurdi iſti λέγοντες, ὅτι ἐξέστη; illi ipſi, ni fallor, qui memorantur in proximis: οἱ γραμματεῖς οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων καταβάντες, (hi enim) ἔλεγον· ὅτι Βεελζεβοὺλ ἔχει κ. τ. λ. Ab his utique erant diverſiſſimi, qui ad illum comprehendendum exierant, (οἳ) ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν ſed hi quales fuerunt, & qua dici ratione potuerunt οἱ παρ' αὐτοῦ; — mihi, fateor, olim fuerat etiam viſum, uſitato more loquendi ſcripſiſſe *Marcum*, quod in uno ſaltem Codicum fuit inventum: Καὶ ἀκούσαντες περὶ αὐτοῦ ἐξῆλθον· — ſed manebat, hoc etiam admiſſo, tamen incertum, quinam eſſent illi ἀκούσαν-

σαντες. qüa de re Chriſtianos etiam veteres dubitaſſe monſtrat *Scholion* ex Codice ſcripto hic a *Wetſtenio* publicatum: τινὲς δὲ οἱ ἀκούσαντες, ἢ πόθεν ἐξῆλθον, οὐ σαφῶς διηγήσατο ὁ Εὐαγγελιστής· ſuam tum coniecturam Auctor iſtius adnotationis expromit: νομίζω οὖν περὶ τῶν Φαρισαίων καὶ Γραμματέων λέγειν. Qui hoc Scholion probabiliter legerat, nodum, difficulter ſolvendum, ſecandum cenſuit *Jo. Toup*. Em. in *Suid*. I. p. 143, Suo more, praefatus, *Marci verba*, *quod nemo vidit*, *corrupta eſſe & mutila*, mutila ſupplenda hunc in modum paulo iam modeſtius proponit: Καὶ ἀκούσαντες οἱ Φαρισαῖοι περὶ αὐτοῦ, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· — ſed, amore mox filiolae abreptus *Toupius*, vix ulla, ait, „ vix ulla, „ opinor, poterit eſſe dubitatio, quin hunc locum, „ qui pene conclamatus fuerat, recte reſtituerimus. " ego vero ne dubito quidem, quin iſta, nulla Codicum, vel verſionum, vel Patrum auctoritate munita, ſupplendi vel emendandi ratio violenta, non Philologis tantum ſacris, ſed quibuscunque ſit Criticis diſplicitura. — Nihil hic omnino mutandum eſt. Non ab uſu tantum Graecorum veterum, ſed & ceterorum Novi Foederis Scriptorum multum diſtat ſtylus *Marci*: Scriptoribus Graecis οἱ παρ' αὐτοῦ eſſent οἱ παρ' αὐτοῦ πεμφθέντες, eximie πρέσβεις· οἱ παρ' αὐτοῦ ἐπιστολαί, *Literae ſunt ab ipſo miſſae*; οἱ παρὰ Μεγαβάζου, *a Megabazo miſſi*, reſtitutum *Libanio* a *T. H.* in *Luciani* Timon. p. 134. B. Apud *Lyſiam* p. 235, οἱ παρὰ Λακεδαιμονίων ἥκοντες, ſunt *legati a Laced. miſſi*: οἱ παρ' ἡμῶν πρέσβεις *Demoſtheni* p. 13, §. 17. recte vidit *Sylburg*. ſcribendum apud *Pauſan*. IX. p. 788, τοὺς παρὰ Ἀγαμέμνονος πρέσβεις. *Ariſtoph*. Ach. v. 61. ubi v. 134, Πρόσιτω Θέωρος ὁ παρὰ Σιτάλκους. Scripſiſſe ſuſpicor *Aeſchinem* c. Cteſ. p. 62. §. 37, σπείσασθαι τῷ κήρυκι τῷ παρὰ τοῦ Φιλίππου, καὶ τοῖς πρέσβεσι. Huius geno-

neris ſunt e Graecis expreſſa Latina: *literae ab Annibale*, *Livii* XXIII, c. 34. *legationes a Regibus* in Orat. C. *Gracchi* apud *A. Gellium* N. A. XI. c. X. *Legati ab Alexandro*, *Ciceronis* Tuſc. V, c. 32. *a Pyrrho perfuga* de Off. I, c. XIII. *perfuga ab eo venit*, III. c. XXII. Sic ſcribere ſolent Graeci; neque iſta deberent in alium ſenſum detorqueri. Optime primum *Io. Boiſius* in Collat. Vet. Interpr. cum *Beza*: „ Οἱ παρ' αὐτοῦ, ait, id eſt οἱ οἰκεῖοι καὶ προσῆ„ κοντες, quibus furioſi tradi ſolent." Exempla, quae eam in rem adfert *Boiſius*, praeter unum *Marci* (c. V, 26,) ſunt aliena. Οἱ παρ' αὐτοῦ *Marco* ſunt, qui dicerentur a Graecis οἱ αὐτοῦ· ut *ſui* dicuntur οἱ ἑαυτοῦ. elegantioribus etiam dicti οἱ πρὸς αἵματος· non tantum συγγενεῖς & οἰκεῖοι, ſed & *proximo ſanguinis nexu iuncti*, *parentes*, *fratres*; quales hic in cenſum veniunt: duo loca ſufficient *Platonis* e Menexeno T. II. p. 237. A. πόθεν ἂν ὀρθῶς ἀρξαίμεθα ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐπαινοῦντες; οἳ ζῶντες τοὺς ἑαυτῶν εὔφραινον δι' ἀρετήν. per τοὺς ἑαυτῶν intelligi voluit *Plato*, quorum paulo ante meminerat, ἐκγόνους καὶ ἀδελφοὺς, — πατέρας καὶ μητέρας, καὶ εἴ τινες τῶν ἄνωθεν ἔτι προγόνων λείποιν). In eadem Orat. p. 246. D. ἡγούμενοι, ait, τῷ τοὺς αὐτοῦ αἰσχύνοντι ἀβίωτον εἶναι. *ſuo generi infamiam inferenti vitam non eſſe vitalem.* Idem *Plato bona ſua* dixit τὰ ἑαυτοῦ· in Epiſt. VII. p. 346. B. ἀπολαβεῖν τὰ ἑαυτοῦ· & μηδὲν ἀποδοὺς τῶν Δίωνος (nempe χρημάτων) p. 348. A. *Sophoclis* Neoptolemus in Philoct. v. 362,

Τάθ' ὅπλ' ἀπῄτουν τοῦ πατρὸς, τά τ' ἄλλ' ὅσ' ἦν.

Marcus vero, cui quicunque ad genus alicuius pertinent, (οἱ αὐτοῦ Graecis) dicuntur οἱ παρ' αὐτοῦ· *bona eius* dixiſſet τὰ παρ' αὐτοῦ· nam in eius Evang. cap. V, 26, mulier per annos duodecim aegrota, quae in medicos quicquid habebat bonorum impenderat, di-

citur δαπανήσασα τὰ παρ' ἑαυτῆς πάντα. ubi correctores illud παρὰ ſuſtulerunt, in nonnullis Codd. omiſſum, recte in plerisque conſervatum. Vbi vero de vidua loquitur *Lucas* paupercula, Ev. c. XXI, 4. ἅπαντα, dicit, τὸν βίον ὃν εἶχεν ἔβαλεν. atque hinc *Marcus* Ev. c. XII, 44, de eadem illa: πάντα ὅσα εἶχεν ἔβαλεν, ὅλον τὸν βίον αὐτῆς. — Cum iam *Marci* loquendi forma *parentes & fratres* etiam complectatur; penes me dubium nullum eſt, quin hoc *Marci* dictum,

Ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν,

de *Matre* & *Fratribus* Ieſu, poſt pauca interiecta hoc ipſo cap. V, 31, 32, commemoratis, ſit intelligendum. — Accuſatione enim Scribarum in aedibus, quas cum diſcipulis dicitur ingreſſus §. 19, confutata, ad illud, quod incoeperat, ſic redit *Marcus*:

30. Ὅτι ἔλεγον, Πνεῦμα ἀκάθαρτον ἔχει, (quod idem hic ſignificat ac ἐξέστη, §. 21.) 31. Ἔρχονται οὖν οἱ ἀδελφοὶ ϗ ἡ μήτηρ αὐτοῦ· — Non tamen intrant domum; ſed foras eum iubent evocari; monitus autem Ieſus,

ἡ Μήτηρ ϗ οἱ ἀδελφοί σου ἔξω ζητοῦσί σε·

quae reſpondit, nec Fratribus, neque, ut ego quidem iudico, Matri valde ſunt honoriſica. Turbâ hominum, qui docentem illic audiebant, & popularem ſapientiam Ieſu mirabantur, abſterriti, qui venerant ad Ieſum prehendendum deſtiterunt ab incoepto; ut alibi in Evangeliis, & *Marci* XII, 12, ἐζήτουν αὐτὸν κρατῆσαι, ϗ (*ſed*) ἐφοβήθησαν τὸν ὄχλον. — Nusquam tamen leguntur aut *Fratres*, aut *Mater* ipſa Ieſum ſuum docentem audiviſſe. Non ſane miror *Theod. Bezam*, cuius aures immodicae adhuc circumſonabant Beatae Virginis laudes, haec ſcribentem: „Vt taceam, quae „ de cognatorum Chriſti incredulitate & malevolentia „ narrat Ioannes (c. VII, 3, 4, 5.) certe ea quae „ in hoc extremo capite narrantur de iisdem Chriſtum

„ ac-

„ acceſſentibus, quos ipſe contemſit, videntur indi-
„ care de ipſius cognatis haec quoque eſſe accipien-
„ da: quos tamen facile *concedo non omnes in hoc ſce-*
„ *lus conſpiraſſe*, *cum paulo poſt inter eos etiam Ma-*
„ *ria ipſius mater recenſeatur*: *de qua abſit ut tale*
„ *quicquam cogitetur.*" —

Quam adeo averſabatur *Beza*, ut ne ſubnaſceretur opinio de Maria, matre Ieſu, tanquam eiusdem cum eius Fratribus facinoris affini, credi vix poteſt in quam mira interpretationum devia viros etiam primi ordinis, ipſum *Grotium* perduxerit; eo etiam, ut in hac narratione verbum κρατῆσαι interpretentur, *ut eum ex domo*, in qua premebatur a turba, *deliquium animi paſſum* ex nimio concurſu, *deductum alio abducerent*; quaſi vero κρατῆσαι non hic legeretur quo legitur ſenſu in hoc ipſo etiam Ev. VI, 17. XIV, 44, 46, 49, 51. *Grotii* non nominati miram explicationem, verbis quibusdam adiectis, facile iuvenibus, quibus ſua ſcribebat, adprobare potuit *Georg. Frid. Heupelius*, hunc ſenſum eſſe dicti arbitratus, „ propinquos Chriſti —
„ acceſſiſſe eo conſilio, quod vellent ipſum — a tur-
„ ba abſtrahere, ut vires cibo reficeret; nam dixiſſe
„ inter ſe [ſic iſta accipit, ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη·] *ſui*
„ *eſt oblitus & ſalutis ſuae*, fervore & zelo munere
„ ſuo fungendi & concionandi abreptus." — Sed, ſi tantam Ieſu, munere ſuo Doctoris fungentis, curam gerebant & Fratres qui dicuntur, & ipſa mater Maria, ne dicam de illis, quos malevolos fuiſſe conſtat, cur nusquam in Evangeliis Maria mater Filium legitur vel ſequuta vel cum aliis audiviſſe docentem? Non Apoſtoli duntaxat in illum usque diem, quo fuit Ieſus in coelum relatus, animis fuere caecati, ſed ipſa Maria gentis ſuae praeiudicatis opinionibus ſic fuiſſe videtur addicta, ut, quem illuſtrem fore ſperaverat

 lie-

heroa & bellatorem, populi, plebis etiam, Doctorem aegre tuliſſe videatur.

Adſtabat tandem in cruce pendenti, atque ab illo tum *Ioanni* fuit commendata: καὶ, inquit ipſe *Ioannes* Ev. c. XIX, 27, ἀπ᾽ ἐκείνης τῆς ὥρας ἔλαβεν αὐτὴν ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος εἰς τὰ ἴδια. Agnito tandem mentis errore, Maria, a *Ioanne* meliora de Regno Chriſti edocta, & nova luce coelitus colluſtrata, poſtquam Ieſus in ſuum coelum eſſet relatus, mox adfuiſſe narratur diſcipulis Ieſu, atque iisdem exercitiis vacaſſe pietatis: enumeratis Apoſtolis *Lucas* Act. I, 14, οὗτοι, inquit, πάντες ἦσαν προσκαρτεροῦντες τῇ προσευχῇ — σὺν γυναιξὶ, καὶ ΜΑΡΙΑΙ ΤΗΙ ΜΗΤΡΙ τοῦ Ἰησοῦ, καὶ σὺν τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ. Mutata Maria, Fratres tandem etiam reſipuerunt, & veritatem agnoverunt. — Haec, ſi quorumdam in manus inciderent, Mariam, velut τὴν Θεοτόκον, immoderate laudantibus diſplicitura, a noſtrae formulae hominibus probari forte poterunt, Beatam Virginem honorantibus ut mulierum ſanctiſſimam; ſed ut hominem & humana paſſam. — Atque ita nunc videri poſſum hunc *Marci* locum, primo adſpectu tenebricoſum, quodam modo reddidiſſe clariorem. Quod vero dixi in initio huius Adnotationis de ſtylo *Marci*, paucis adhuc videtur adfirmandum. Sed quia haec quoque me nimis diu detinere poterant, ſi ſingula penſiculatius vellem exigere, ponam ſimpliciter nonnulla *Marci*, qualia nusquam alibi, nec apud Sacros, neque apud Scriptores profanos, me legere memini:

Cap. IV, in Parabola, quam ſolus, ut puto, *Marcus* nobis conſervavit §. 26—29. iſta mihi certe videntur καινῶς ῥηθέντα.

27. ὡς ἐὰν — ὁ σπόρος — μηκύνηται, ὡς οὐκ οἶδεν αὐτός.

29. Ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπός.

36. παραλαμβάνουσιν αὐτὸν ὡς ἦν ἐν τῷ πλοίῳ.

C. VI,

C. VI, 20. *Herodes metuebat Ioannem*, καὶ συνετήρει αὐτόν.

IX, 49. Πᾶς — πυρὶ ἁλισθήσεται.

XII, 24. οὐ διὰ τοῦτο πλανᾶσθε.

XIV, 3. νάρδου πιστικῆς.

—— 8. Ὃ εἶχεν (aut ἔχει e Codd.) αὕτη, ἐποίησε.

—— 70. ἡ λαλιά σου ὁμοιάζει.

—— 72. ἐπιβαλὼν ἔκλαιε.

XV, 8. ὁ ὄχλος ἤρξατο αἰτεῖσθαι, καθὼς ἀεὶ ἐποίει αὐτοῖς.

—— 24. ἐδίδουν αὐτῷ πιεῖν ἐσμυρνισμένον οἶνον.

Huius generis alia reperientur

Cap. II, 2. 21. IV, 14. 15. 16. V, 15. 29. VI, 21, 39. 40. 52. VII, 3. 26. VIII, 25. IX, 1. 8. 25. X, 11, 35. XI, 16. XII, 5. 40. XIII, 19. 28. XIV, 2. 41.

Quantumvis alibi nusquam reperta, talia tamen in *Marci* libello conjecturis tentari non equidem probo: in illo tamen etiam ex Codicibus ſcriptis, aut abſque illis, nonnulla poſſunt redintegrari.

—— *Illotis manibus* cibum capere, dicere potuiſſet uſitato more χερσὶν ἀνίπτοις ἐσθίειν· ſed quis tandem Iudaeus, more gentis vocem adhibens Κοινός, de *polluto*, vel *inquinato*, (*coenum* & *inquinare* coeno dixere Romani) ſcriberet:

Κοιναῖς χερσὶ, τοῦτ᾽ ἔστιν ἀνίπτοις, ἐσθίοντας ἄρτους· quae leguntur *Marci* VII, 2. *Ariſtophanis* certe Editor hoc ſibi perſuadere non potuit *Kuſterus*. — Sequentis etiam Cap. VIII, 1, vocem Παμπόλλου, his Scriptoribus ignotam, ex Codd. MsS. omnino corrigendam in πάλιν πολλοῦ ὄχλου ὄντος, attendenti monſtrabit *Marci* c. VI, 34.

Marci I, 1–4. Multum diſputant Viri Docti, ſcripſe-

ſcritne *Marcus* ἐν τοῖς προφήταις, an ἐν τῷ προφήτῃ, §. 2. & hanc certe veterem fuiſſe lectionem fatendum eſt. Sed, quod noſtris in Edd. quartum eſt comma, ſi ſecundum poneretur in ſcriptis Codd. viderentur iſta fortaſſe melius ſic collocata:

1. Ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.
2. Ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.
3. Ὡς γέγραπται ἐν τῷ Προφήτῃ· ——
4. Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ· Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ.

Cap. I, 16. Περιπατῶν δὲ παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, εἶδε Σίμωνα. ——

Ob quam tandem rationem Περιπατῶν hic in παράγων fuiſſet a correctore mutatum? Cum illud multo ſit uſitatius & facilius intellectu, quod optimi quidam Codices offerunt hic arbitror a *Marco* ſcriptum:

Καὶ παράγων παρὰ τὴν θάλασσαν τ. Γ. εἶδε Σ. —— ut ſcripſit c. II, 14, Καὶ παράγων εἶδε Λευὶν —— c. XV, 21, Καὶ ἀγγαρεύουσι παράγοντά τινα Σίμωνα.

Marci cap. IX, 23,

Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· τὸ, εἰ δύνασαι πιστεῦσαι.

Ex ſyllaba praecedente repetitum τὸ Codicum auctoritate reiiciendum eſt: aliena protulit ad illud firmandum *Wetſtenius*.

Cap. X, 30. Pro μητέρας ſcripſiſſe ſaltem videtur μητέρα· quod praebent Codd. niſi dederit etiam, καὶ πατέρα καὶ μητέρα. —— Sed, vocibus quibusdam mutatis, & repetitis, cum eadem in hoc ad Petri dictum reſponſo dederit *Marcus*, quae legerat apud *Matth.* c. XIX, 27, 28, 29. *Lucam* cap. XVIII, 28, 29, 30. —

30. — mirum profecto, cur duas voces reſponſo interſeruerit, μετὰ διωγμῶν· lenius quidem paulo, quod tres ſaltem Codd. praebent, μετὰ διωγμόν. Sed cur vel hoc inſeratur minus liquet. — Sunt & alia in Evangelio *Marci*, de quibus illud ipſum dici poſſit: unum hic ſufficiet: de Ioſepho Senatore corpus Chriſti petente, cur potius ſcripſit c. XV, 43, καὶ τολμήσας εἰσῆλθε πρὸς Πιλάτον, καὶ ᾐτήσατο τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ· quam ſimpliciter, ut legebat in Ev. *Matth.* c. XXVI, 58. & in Ev. *Lucae* c. XXIII, 52, Οὗτος προσελθὼν τῷ Πιλάτῳ ᾐτήσατο τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ. aut certe, Οὗτος εἰσῆλθε πρὸς Πιλάτον, καὶ —— Verbis diverſis rem eamdem narrans *Ioannes* Ev. c. XIX, 38, in iſta petitione Ioſephi ab Arimathea nihil etiam τολμηρὸν invenit, quae Pilato non poterat diſplicere.

In *Lucae* Ev. c. I, 47,

Ἠγαλλίασε τὸ πνεῦμά μου ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρί μου.

Suo aliorumque more ſcripſerat probabiliter *Lucas*, ἠγαλλιάσατο τὸ πνεῦμά μου —— Frequens in his Libris Novi Foed. & in Alex. Verſione Foed. Antiqui Ἀγαλλιᾶσθαι, in quibus altera forma nusquam reperitur; ut mirum ſit in ne uno quidem Codice veram hic fuiſſe lectam: ſequens τὸ, ut hic, frequenter alibi librarios in errorem induxit.

Lucae c. II, 2,

Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου.

Si ſcripſit iſta *Lucas*, quod vix opinor, nonnullis certe placituram arbitror, quam Clarus eruditione Theologus mecum aliquando communicavit, conjecturam, qua legi poſſe putabat:

Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη· [ἡ β′, id eſt, ἡ δευτέρα] ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου.

Hae duae literae facile potuerunt a vicinis elidi.

Ibid. §. 38,

ἐλάλει περὶ αὐτοῦ πᾶσι τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἰερουσαλήμ.

Quod in paucis tantum Codd. fuit inventum, ἐν τῷ Ἰσραήλ· arbitror vulgatae lectioni anteponendum: voces iſtae ſcribuntur in Codd. ſemper compendifactae ἰηλ & ἰλημ. ut mirum non ſit, a librariis ſaepe fuiſſe inter ſe permutatas. Vid. Editio *Breitingeri Geneſ.* XXXVI, 31. 1 *Reg.* XIV, 45. IV *Reg.* XIV, 2. 1 *Chron.* VI, 15. 2 *Chron.* XII, 2. XXX, 25. XXXIV, 9. *Amos* I, 1. *Ieſ.* I, 24. XLIII, 28. *Ierem.* XIII, 20. XVIII, 13. XXXVIII, 21. — Haeret adhuc vitium *Zephaniae* III, 14, ubi procul dubio ſcripſerat Interpres Graecus, κήρυσσε Ἰσραήλ.

In *Lucae* c. III, 22, [Ἐγένετο] — καταβῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστερὰν, ἐπ' αὐτόν.

Tres reliqui τὸ πνεῦμα ſimpliciter dixere καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, *Matth.* III, 16. *Marcus* I, 10. *Ioannes* I, 32. niſi quod *Matthaeus* ſcripſit τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ. *Lucam* quoque ſcripſiſſe ſuſpicor, καταβῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὡσεὶ περιστερὰν ἐπ' αὐτόν. interpretandi cauſa hic adiectum, ἐν σωματικῷ εἴδει. hinc natam lectionem receptam, quam in ſui temporis exemplari non legit *Chryſoſtomus*.

Lucae c. IV, 8, Optime nuper *Griesbachius*, Codicum auctoritate, edidit:

Ἀπο-

Ἀποκριθεὶς αὐτῷ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς· γέγραπται· προσκυνήσεις κύριον τὸν Θεόν σου, —

reiectis, praeter γὰρ, vocibus, ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ. quae in nonnullos Codd. irrepſere, primum in margine ſcripta ex Ev. *Marci* c. VIII, 33. nam in hac eadem hiſtoria tantum legitur in Ev. *Matth.* c. IV, 10, ὕπαγε σατανᾶ.

Lucae c. X, 11,

τὸν κονιορτὸν, τὸν κολληθέντα ἡμῖν ἐκ τῆς πόλεως ὑμῶν, ἀπομασσόμεθα ὑμῖν.

Verbum Ἀπομάσσεσθαι his in libris inuſitatum, neque ab aliis, quod ſciam, Iudaeis Graecienſibus adhibitum, ne hic quidem a *Luca* poſitum arbitror; ſed, quod duo Codices cuſtodiverunt, ἀποτινασσόμεθα ὑμῖν· hoc idem eſt ac εἰς vel ἐφ' ὑμᾶς. *pulverem pedum in vos excutimus*: optime Belgae: *ſchudden wij af op ulieden.* in eodem dicto permutantur his in Libris ἀποτινάσσειν· ἐκτινάσσειν· & ἐκτινάσσεσθαι. *Matth.* X, 14. *Marci* VI, 11. *Lucas* Ev. IX, 5, τὸν κονιορτὸν — ἀποτινάξατε — ἐπ' αὐτούς. *Act. Ap.* c. XIII, 51, ἐκτιναξάμενοι τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν αὐτῶν ἐπ' αὐτούς.

Lucae c. XI, 29,

Ἡ γενεὰ αὕτη πονηρά ἐστι· σημεῖον ἐπιζητεῖ, καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, εἰ μὴ —

Vna lineola interiecta libenter legerem: Ἡ γενεὰ αὕτη πονηρὰ εἰς τί σημεῖον ἐπιζητεῖ; σημεῖον οὐ δ. — atque illud hic *Marcum* legiſſe ſuſpicor, qui in iſtum ſenſum ſcripſit Ev. c. VIII, 12, τί ἡ γενεὰ αὕτη σημεῖον ἐπιζητεῖ; haec quidem frequentior, ſed his etiam in libris obtinet plena ſcribendi forma: *Marci* Ev. c. XV, 34, εἰς τί με ἐγκατέλιπες; *Matth.* c. XIV, 31, εἰς τί ἐδίστασας; c. XXVI, 8, εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη; Scripto-

 res

res Graeci ſic ſaepe loquuntur: *Maximus Tyrius* Diſſ. XXXVII, 6, τὰ δὲ τούτων ἀρχαιότερα εἰς τί χρὴ λέγειν; ipſe *Bion*, Carminum fragm. XVII, rogat Venerem ſuper filiolo: Ἐς τί δέ νιν πλαιὸν καὶ ἰξοβόλον ὤπασας ἄμμιν; quaedam iam adſcripta ſunt in *Eurip.* Phoen. v. 624. εἰς τί μ' ἱστορεῖς τόδε; cuius loco *Demoſthenes* dixit p. 679, §. 8. πρὸς τί ἐρωτᾷς; *Propterea*, vel *hunc in finem*, *huius rei cauſa* dicebant εἰς τοῦτο· *in hoc* Romani: nemo forte frequentius ſic loquutus eſt *Quinctiliano*, cuius iſta ſunt: Inſt. Or. I, c. XI, initio, *puerum in hoc inſtituimus.* II, c. V, *praelectio*, *quae in hoc adhibetur*, *ut* &c. IV, c. II, *pronunciationa in hoc accommodata*, *ut* &c. VI, c. III, *natura non tantum in hoc valet*, *ut* &c. X, c. III, *qui credunt*, *aptiſſima in hoc nemora ſylvasque.* X, c. V, *in hoc optime facient infinitae quaeſtiones.* L. XI, capitis II, haec ſunt ultima: *habenda tamen fides eſt vel in hoc*, *ut*, *qui crediderit*, *& ſperet.* iſtum Graecismum attigit Clar. *Ruhnkenius* in *Velleium Paterc.* p. 216.

Lucae c. XII, 7,

Ier. Marklandus, qui ſuis in *Lyſiae* Orat. Conieċturis, viginti minimum locis N. F. aut obſcuris aut vitiatis plus luminis intulit, quam Obſervationum integris alii fecere voluminibus, ad *Lyſiae* P. 479. lin. penult. hoc in loco *Lucae*, & *Matth.* c. X, 31, *ſine dubio legendum* decernit:

πολλῷ στρουθίων διαφέρετε.

vos multo excellentioris eſtis naturae, *quam ſunt paſſeres.* — Doċta atque ingenioſa coniectura ſententiam praebet Auċtore ſuo dignam. — Ab illa recipienda me retinet mentio *duorum* & *quinque* paſſerum a *Matthaeo* & *Luca* facta, quorum ne caſus quidem in terram ſit fortuitus: οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται; — οὐχὶ πέντε

στρου-

στρουθία πωλεῖται ἀσσαρίων δύο; in ipſis rationibus Providentiae divinae, non cum *duobus* vel *quinque*, ſed ne cum *multis* quidem paſſerculis poteſtis comparari, quibus humana mente praediti longe praeſtatis: πολλῶν στρουθίων διαφέρετε ὑμεῖς· a qua ſcriptura nullum Codicem ſcriptum recedere, eſt certe aliquid in re Critica.

Ibid. §. 11,

Ὅταν — προσφέρωσιν ὑμᾶς ἐπὶ τὰς συναγωγὰς, καὶ τὰς ἀρχὰς —

In quinque mininum Codd. inventum, Ὅταν — εἰσφέρωσιν ὑμᾶς — hic genuinum videtur: φέρειν pro ἄγειν, εἰσφέρειν pro εἰσάγειν adhiberi potuit a *Luca*. Scripſit *Matth.* c. X, 18, ἐπὶ ἡγεμόνας — καὶ βασιλεῖς ἀχθήσεσθε — (19) Ὅταν δὲ παραδιδῶσιν ὑμᾶς, —— hinc *Marcus* c. XIII, 11, Ὅταν δὲ ἀγάγωσιν ὑμᾶς παραδιδόντες. —— *Res inanimatae*, ἄψυχα dictae Grammaticis, poterant προσάγεσθαι· animantia etiam ad altare *deducta*: quo Herculos certe *Sophoclis* Trach. v. 775,

Ἑκατὸν προσῆγε συμμιγῆ βοσκήματα·

dici vero Graece non poterat, εἰς vel ἐπὶ δικαστήριον προσάγεσθαι, vel προσάγειν· neque adeo a *Luca* προσφέρειν. ſed εἰσφέρειν ab illo ſcribi potuit, ubi Graeci ponunt εἰσάγειν. *Plautus* in Pſeudolo II. Sc. IV, 21,

C. *Attuli hunc.* P. *Quid, attuliſti?* C. *Adduxi volui dicere.* *Harpocration* in Διαμαρτυρία· πρὸ τοῦ εἰσαχθῆναι τὴν δίκην εἰς τὸ δικαστήριον. *Lyſias* c. Andoc. p. 113, Ἀνδοκίδης —— εἰσαχθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον, *in ius raptus.*

Lucae c. XVIII, 7.

Ὁ δὲ θεὸς οὐ μὴ ποιήσῃ (ſic *Bengel.* edidit ex Codd.) τὴν ἐκδίκησιν τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ τῶν βοώντων πρὸς αὐτὸν ἡμέρας καὶ νυκτὸς, καὶ μακροθυμῶν ἐπ᾽ αὐτοῖς;

Poſtre-

Poſtrema diverſis vexantur interpretamentis: quam dedit explicationem *Io. Boiſius* in Veteris Interpr. Collat. cum *Beza* p. 249—253. *Grotio* debet; a quo Codicum quorumdam lectio fuit, ut & a *Bengelio*, probata, nempe μακροθυμεῖ· haec vero ut admitti poſſet, duabus literis repetitis legendum videretur — νυκτὸς, ὃς καὶ μακροθυμεῖ ἐπ᾽ αὐτοῖς. mirum eſt *Iacobi Elsneri* commentum, participium μακροθυμῶν convertentis in adiectivum plur. μακροθύμων· ut meminerit *Lucas* τῶν ἐκλεκτῶν — βοώντων — καὶ μακροθύμων· ſi quaeris, quid tum fiet iſtis ἐπ᾽ αὐτοῖς, ut ſolent iſti literatores, quos raptim legerunt, Scriptoribus Graecis abuti, exempla dat, in quibus illud ſignificet *ideo*, *propterea*: ut hic dicerentur *clamantes*, — *& propterea patienter* (*omnia*) *ferentes.* Dum ſcribebat iſta, non recordabatur, neque ἐπ᾽ αὐτοῖς hunc in ſenſum, nec his in libris N. F. usquam legi μακρόθυμος· ubi phraſis eſt uſitata μακροθυμεῖν ἐπί τινι. In Evangelica ſimilitudine qui reddere creditori non poterat, quae debebat, orabat illum, μακροθύμησον ἐπ᾽ ἐμοὶ, καὶ πάντα σοὶ ἀποδώσω, *Matth.* c. XVIII, 26. hoc interpretari Belgae potuerant: *heb met mij wat geduld:* qui *iratus*, ὀξύθυμος· (*Eurip.* Med. v. 315,) acriter urget debitorem, illi opponitur, qui patiens & in exigendo lentus exſpectat: hic dici poteſt μακρόθυμος· hoc certe ſenſu dictum *Matthaei* capiendum eſt: *hanc meam* in ſolvendo debito *moram fer*, *quaeſo*, *patienter.* Qui facilis & benignus noſtra nobis debita remittit, Deus ſaepius Alexandrinis ἐλεήμων dicitur & μακρόθυμος. — Noſtro loco *Lucae* mea quidem ſententia ὁ κριτὴς τῆς ἀδικίας, & ὁ θεὸς opponuntur: ille ad ius dicendum atque ad vindicandam iniuriam viduae ſe precibus tandem tamen facilem praebet, homo moroſus, iniuſtus, atque ὀξύθυμος· quanto facilius Deus, ὁ μακρό-

κρόθυμος, piorum continuis ſe precibus patietur expugnari, ad propulſandas ab ipſis inimicorum iniurias, qui ſibi illatas & omnia ipſorum debita benigniſſime remittit. — Cum hac parabola comparari poterit, quod de Philippo Macedone, & vetula ius ſibi dici poſtulante, narrat *Plutarchus* in Demetrio, T. I. p. 909. D. & T. II, p. 179, C.

Lucae c. XIX, 38,

Εἰρήνη ἐν οὐρανῷ, καὶ δόξα ἐν ὑψίστοις.

Nihil hic inveniſſe videntur Philologi, quod ſit animadverſione dignum. Nihil tamen uſu Iudaeorum differunt ὁ οὐρανὸς, & τὰ ὕψιστα· Quid vero cauſae eſt, cur *pax in coelo* optetur;

Omnis enim per ſe Divûm natura neceſſe 'ſt,
Immortali aevo ſumma cum pace fruatur.

Nihil ex Codd. hic enotatur differentiae, niſi quod ſcriptum eſt in Alexandrino, pro ἐν οὐρανῷ, ἐν οὐρανοῖς. Semper iſta vox in Codd. ſcribi ſolet ουνοις· ut ανοις, pro ἀνθρώποις. iam olim ſuſpicatus ſum, ſcripſiſſe *Lucam:*

Εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις, καὶ δόξα ἐν ὑψίστοις.

Haec dixiſſe narrantur τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν, qui ἤρξαντο — χαίροντες αἰνεῖν τὸν Θεὸν, — λέγοντες κ. τ. λ. Cum his comparetur coeleſtium votum *Lucanéum* c. II, 13, 14, αἰνούντων τὸν Θεὸν καὶ λεγόντων, Δόξα ἐν ὑψίστοις [Θεῷ,] καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη [ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας.] His in rebus exercitati fatebuntur, opinor, hanc coniecturam habere gradum probabilitatis. Ἄνθρωπος, ſcriptum in quorumcunque ſcriptorum Codicibus ἄνος, credi vix poteſt quot errores pepererit; ſunt mihi loca ad manum permulta, in quibus cum voce ἄνθρωπος permutatae ſunt a librariis, praeter compendifactum ἄνος, voces καὶς· ἄλλος· αὐτός· ὄνος· ἄνω· ἔνιοι· ἄνευ· νοῦς. —

Ho-

Horum primum nunc ſatis erit paucis confirmaſſe: *Apocal.* c. XVI, 18. pro ἄνθρωποι ex Cod. enotatum οὐρανοί. vid. *Philoſtratus Olearii* p. 34. n. 22. *Cornutus* de N. D. *Galei* p. 209. n. 16. in *Dion. Chryſ.* P. 590, 30, *Reiskius*: *Gataker* in *M. Antonin.* p. 47. D. p. 289. B. *Io. Alberti* in *Heſych.* ad Δίαιτα τοῦ οὐρανοῦ, (τοῦ ἀνθρώπου) τὸ φαγεῖν, τὸ πιεῖν. In iſta *Ariſtidae* Panathen. T. I. p. 327, ἀγάλματα, ἄνευ τῆς οὐρανίων, οἱ πρώτως τέχνης τὰ πρῶτα· hoc *Scholion* legitur in Cod. MS. qui pervenit ex *Burmanni Secundi* Bibl. in Batavam: Παλλάδια ἐκάλουν, καθὰ λέγει Φερεκύδης, τὰ βαλλόμενα εἰς γῆν ἐκ τοῦ ἄνω (L. οὐρανοῦ) ἀγάλματα· πάλιν (L. Πάλλειν) γὰρ, φησὶ, τὸ βάλλειν ἔλεγον. Ἄνευ δὲ τῆς ἀνθρωπίνων, (L. οὐρανίων,) τουτέστι τῶν Διϊπετῶν. Ἄνευ τῆς ἀνθρώπων] Τρία ἦσαν ἀγάλματα ἐν ἀκροπόλει τῆς Ἀθηνᾶς· ἓν μὲν τὸ ἀρχαῖον καὶ Διϊπετές· ἕτερον δὲ χαλκοῦν, ὃ ἀνέθεσαν μετὰ τὸν Περσικὸν, [πόλεμον addendum] τρίτον τοῦ Φισίου, (L. Φειδίου, *Phidiae*) τὸ ἐκ χρυσοῦ καὶ ἐλέφαντος κατεσκευασμένον. —— Latina quoque vox, *homines*, ſcripta *hoies*, erroribus fuit obnoxia: *Ciceronem* ſcripſiſſe arbitror Cornificio XII. Ep. 17, *Quod mihi exiſtimationem tuam — commendas, facis tu quidem* hominum *more*; non, quod vulgatur, *omnium more*. Non facile mihi perſuadebo, iſta ſic, ut proſtant, a *Cicerone* ſcripta Tuſc. II, c. XXVII, §. 65, *Graeci autem* homines, *non ſatis animoſi, prudentes, ut eſt captus hominum, ſatis, hoſtem adſpicere non poſſunt*. Cur obſecro *Graeci homines* potius dicerentur, quam in ſeqq. *Cimbri & Celtiberi homines*: taceo vocem *hominum* mox repetitam: ex *hoies* ne litera quidem peribit, ſi ſcribamus: *Graeci autem* hodie *non ſatis animoſi*: hoc tempore, quo *languentem* dixit Graeciam.

Lu-

Lucae XXI, 1, 2.

Ἀναβλέψας δὲ εἶδε τοὺς βάλλοντας —

Εἶδε δὲ καί τινα χήραν πενιχράν, —

Quanto rectius iſta ſic ſcripta plus ſemel exhibet *Origenes*: Ἀναβλέψας δὲ εἰς τοὺς βάλλοντας — Εἶδε καί τινα χήραν πενιχράν. Permutat *Lucas* eadem ſtructura verba Ἀναβλέψαι & Ἐμβλέψαι. — Haeret huius non diſſimile vitium in *Lucae* A. A. c. X, 1, Ἀνὴρ δέ τις ἦν ἐν Καισαρείᾳ — 3. Εἶδεν ἐν ὁράματι — Niſi ſcribatur, ex voce παντὸς duabus literis repetitis, Ὃς εἶδεν — cum nullum inter ſe nexum habeant ἦν, & Εἶδεν, quorumdam Codicum auctoritate, deleto ἦν, omnia legenda ſunt continua:

Ἀνὴρ δέ τις ἐν Καισαρείᾳ —— Εἶδεν ——

Lucae c. XXII, 16,

Λέγω — ὑμῖν, ὅτι οὐκέτι οὐ μὴ φάγω ἐξ αὐτοῦ, ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ.

Praeter illud dictum aliud etiam ſubiungit *Lucas* §. 18, Λέγω — ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ πίω ἀπὸ τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου, ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ. De *eſu* agni Paſchalis nihil *Matthaeus*, ſed tantum de potu dicentem in coena facit Ieſum, c. XXVI, 29, Λέγω — ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ πίω ἀπ' ἄρτι ἐκ τούτου τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου, ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ὅταν αὐτὸ πίνω μεθ' ὑμῶν καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρός μου· eadem fere dedit *Marcus* c. XIV, 25. Poſtrema *Matthaei*, atque adeo etiam *Marci*, ſatis explanant alteram formam loquendi *Lucaneam*, ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ. —— Sed altera eius forma loquendi, ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ, meo quidem arbitratu, multo difficiliorem habet explicatum. Simplex certe veri ſigillum neque *Grotii* neque aliorum praeferunt verbi πληρωθῇ interpretationes. Requiri videtur verbum, quod τῷ πίνω reſpondeat,

deat. Fac, una litera detrita, ῥωθῇ lectum in veteri exemplo: β reſtituta, dabit aptiſſimum: ἕως ὅτου βρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ. atque illud ipſum in uno quidem tantum, at omnium forte, qui ſuperſunt, antiquiſſimo, ſed &, quod fatendum eſt, inquinatiſſimo, Codice Cantabrigienſi repertum, veram *Lucae* manum repraeſentare videtur. De verbo nemo dubitabit quin à *Luca* potuerit aeque atque a *Ioanne* & ab Alexandrinis adhiberi: legitur noſtrum etiam illud *Levit.* c. XIX, 7, [ᾗ ἂν ἡμέρᾳ θύσητε (θυσίαν σωτηρίου) βρωθήσεται, καὶ τῇ αὔριον —] Ἐὰν δὲ — βρωθῇ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ, ἄθυτόν ἐστιν. — In his nemo me temeritatis incuſabit, niſi multo magis *Bezam* velit criminari, qui hic narrata ſic transponenda ſuſpicatur, ut quodammodo cum *Matthaei* narratione magis conveniant; quae ratio mihi quidem diſplicet.

Eiusdem cap. XXII, 31,

Εἶπε δὲ ὁ Κύριος· Σίμων, Σίμων, ἰδοὺ ὁ Σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς, τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον·

Vna voce transpoſita, prout haec invenit apud *Baſilium M.* legenda cenſet *Weſſelingius* ad *Diodor. Sic.* T. I, p. 497, 40, ἐξῃτήσατο τοῦ σινιάσαι ὑμᾶς — mihi haec uni dicta videntur Petro; nec quidquam eſſe cauſae, cum toties in Evangeliis Simonem, nomine ſemel poſito, alloquatur, cur hoc uno loco bis fuiſſet adhibitum. Praeterea ſuſpicor Petrum iſta ſolum ſpectare; pronomen autem σὲ pertinens ad verbum utrumque ad ἐξῃτήσατο, & σινιάσαι, hic iam olim a verbo σινιάσαι eliſum, interiectum illud ὑμᾶς nobis peperiſſe, legendumque:

Εἶπε δὲ ὁ Κύριος Σίμωνι· Σίμων, ἰδοὺ ὁ σατανᾶς ἐξῃτήσατο τοῦ σινιάσαι σὲ, ὡς τὸν σῖτον.

Hanc, me iudice, lectionem quae proxima ſequuntur,

tur, ſolum utique Petrum ſpectantia, monſtrare debuiſſent: Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου. Quae praecedunt omnibus dixerat diſcipulis §. 25, Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, ſcripta §. 26—31, ubi ſolum alloquitur Simonem, more ſuo: vid. *Matth.* XVII, 25. *Marci* XIV, 37. *Lucae* V, 4. c. VII, 40, 44. Noſtro vero loco graviſſima erat ratio, cur unum illum ex omnibus alloqueretur, qui, iam iam dominum amantiſſimum abnegaturus, ob illius preces mox tamen ad ſanam eſſet mentem rediturus. — Qui hoſtem ſibi dedi poſtulat, ab Oratoribus & Hiſtoricis Graecis illum dicitur ἐξαιτεῖσθαι· *expoſcere*, vel *depoſcere: Livius* XXII, c. 33, *Legati ad Philippum — miſſi, ad depoſcendum Demetrium Pharium, qui bello victus ad eum fugiſſet.* L. XXXVIII, c. 31, *ad expoſcendos eos legati extemplo Lacedaemonem miſſi ſunt.*

In ſingulos N. F. libellos horum ſimilia cum a me dari poſſent, unius ſaltem loca paulo plura mihi ſumam tractanda.

Act. A. cap. I, 4, Pro συναλιζόμενος, quod viro Summo placebat, συναλιζομένοις παρήγγειλεν αὐτοῖς ἀπὸ Ἱεροσολύμων μὴ χωρίζεσθαι· *congregatis illis praecepit, ne ſecederent Hieroſolymis*, primo quamvis aſpectu vulgato melius videatur, atque huic loco accommodatius; alterum tamen arbitror a *Luca* ſcriptum, quia Scriptores illud Chriſtiani veteres ſuis in exemplaribus invenerunt, accipientes Συναλίζεσθαι pro *familiariter cum aliquo vivere*, *eiusdem menſae participem*; *ſalem ſimul edere: verum illud* eſſe ſcribit *Cicero* de Amic. c. XIX, *quod dicitur, multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, ut amicitiae munus expletum ſit: Ioannes Chryſoſtomus* T. III. p. 88. D. Interpretatur illud τραπέζης κοινωνῶν· p. 89. A. Συναλιζόμενος τοῖς ἀποστόλοις·

ὁρᾷς ὅτι καὶ τραπέζης ἐκοινώνει. p. 91. D. &c. quin ipſe *Lucas* illud explanat, ubi Petrum facit dicentem ad Cornelium & familiares *Act.* c. X, 40, 41, ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι, — οὐ παντὶ τῷ λαῷ, ἀλλὰ — ἡμῖν, (συναλιζόμενος) οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ, μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. *Io. Alberti* ad Gloſſar. in N. F. p. 61. ſcribere debuerat in gloſſa Cod. Coislin. ἀντὶ τοῦ ἐσθίειν καὶ πίνειν, κοινωνῶν ἁλῶν, κοινωνῶν τραπέζης· non, κοινῶν ἁλῶν, κοινῶν τρ. Scriptor Homil. *Clement.* in Hom. XIII, §. IV, τραπέζης ἐθνῶν οὐκ ἀπολαύομεν, ἅτε δὴ οὐ συνεστιᾶσθαι αὐτοῖς δυνάμενοι· — Sed *aqua luſtrali purgatis* (τότε) αὐτοῖς συναλιζόμεθα, *tunc una cum eis veſcimur*; ut recte vertit *Cotelerius*. §. 8, *fias eorumdem bonorum particeps*, ὅπως κοινῇ ἁλῶν καὶ τραπέζης μεταλαβεῖν δυνηθῶμεν. uno ante verbo dixerat *Lucanéo* Συναλίζεσθαι. Illud in ipſo fine Hom. vel Colloquii VI dicitur, ἁλῶν μεταλαβεῖν.& in fine Hom. XV, ubi μετὰ interſerto, legendum, μετὰ τὸν συνηθέστερον ἁλῶν μεταλαβὼν, ὕπνωσεν. hunc *Archilochi* tetrametrum Iambicum in Lycamben,

Ὅρκον δ' ἐνοσφίσθης μέγαν, ἅλας τε καὶ τράπεζαν·

Origenes c. *Celſ* II. p. 72, nobis ſervavit; verſum iſtum his opponens *Celſi:* ἀνθρώπῳ μὲν ὁ κοινωνήσας τραπέζης οὐκ ἂν αὐτῷ ἐπιβουλεύσειεν.

Act. cap. I, 25,

τὸν τόπον τὸν ἴδιον

variis vexant interpretamentis: Amico cuidam meo venit olim in mentem ſcribendum τὸν ἀΐδιον· unus dat Alex. Cod. τὸν τόπον τὸν δίκαιον· *non male*, inquit *Grotius*, qui propterea dici non debuerat illud *probaſſe* tanquam genuinum; quod olim ad ἴδιον, ut Scholion, fuit adſcriptum: quicquid, *iuſtam* habet *cum aliqua re proportionem*, δίκαιον in ſermone Graeci di-

ce-

cebant quotidiano. Alexandrinis hic Interpretibus abutitur *Keuchenius*. More Scriptoribus Sacris uſitato, nihil hic definiunt Apoſtoli: dixit tamen in parabola *Lucas* τὸν τόπον τῆς βασάνου· hunc locum proditori debitum intelligentes, modeſte τὸν τόπον τὸν ἴδιον dixerunt: dicere potuerant in eumdem ſenſum, τὸν τόπον τὸν οἰκεῖον· ut Socratis loquebantur diſcipuli: qui ſcripſit *Axiochum*, ab *Aeſchine* diverſus, §. 5, τῆς ψυχῆς εἰς τὸν οἰκεῖον ἱδρυνθείσης τόπον, — τὸ ὑπολειφθὲν σῶμα — οὐκ ἔστιν ὁ ἄνθρωπος. bonorum & malorum animabus οἱ ἴδιοι vel οἱ οἰκεῖοι ſingulis τόποι illic deſcribuntur §. 20 & 21. ſecundum ipſum Socratem in *Platonis* Phaedone T. I. p. 108. c. de bonorum & malorum animabus, ᾤκησεν τὸν αὐτῇ ἑκάστη τόπον προσήκοντα. —— Bonorum animas, e coelo vel ex aethere in corpora delapſas, his ſolutas illuc remigrare velut in ſuam domum, εἰς τὸν οἰκεῖον τόπον, hariolabantur: *poſſe animos, cum e corporibus exceſſerint, in coelum quaſi in domicilium ſuum pervenire*, *Cicero* Tuſcul. I, c. XI. ibid. cap XLIX, *aut in aeternam & plane in noſtram domum remigremus*, *aut* &c. illic legere maluiſſem *aethercam*, niſi *hanc ſedem & aeternam domum* dixiſſet in Somnio Scipion. c. VII. *Manilius* I, 758, *An fortes animae, dignataque numina coelo — Huc migrant ex orbe; ſuumque habitantia coelum Aethereos vivunt annos?*

Act. A. c. II, 9,

Οἱ κατοικοῦντες τὴν Μεσοποταμίαν, Ἰουδαίαν τε καὶ Καππαδοκίαν, Πόντον καὶ τὴν Ἀσίαν.

Petrus, Epiſtolam ſcribens ad Chriſtianos, quos ex Iudaeis fecerat *Paulus* (non quibus ipſe Chriſti diſciplinam primus praedicaverat, ut dicitur in Scholio quod vulgavit *Cotelerius*,) ſparſis per *Pontum*, *Ga-*

latiam, *Cappadociam*, *Aſiam*, & *Bithyniam*; διασπορᾶς Πόντου, Γαλατίας, Καππαδοκίας, Ἀσίας, καὶ Βιθυνίας, meo quidem iudicio, ceterorum tentaminibus Criticis multo reddit magis probabilem Clar. noſtri *Hemſterhuſii* coniecturam, vitiatam ſine controverſia, vocem ΙΟΥΔΑΙΑΝ convertentis, una tantum litera praefixa, in ΒΙΘΥΝΙΑΝ. nam non ſolum Θ in Ο, ſed & ſaepe Ν tranſiit, in ΔΑ, vel horum ſimiles ductus; quod multis a me poſſet exemplis adfirmari: nomini Ἀθηνᾶν, in *Scholiis* ad *Theocriti* Eid. XIII, 30, illic legitimum nomen Βιθυνᾶν dudum ante ſubſtituerat *Hemſterhuſius*, quam vidiſſet illud *Toupius*. — Nemo autem, ſciens hiſtoriae veteris & Geographiae, mirabitur Iudaeos in una ſede memorari, habitantes in *Bithynia*, *Cappadocia*, *Ponto*, *Aſia* minore, quibus iungit *Petrus* habitantes in *Galatia*. Apud *Lucianum* in Alexandro T. II. p. 225, ad huius praeſtigias videndas, quae regiones hominum erant credulorum plenae, ἡ Βιθυνία, καὶ ἡ Γαλατία, καὶ ἡ Θρᾴκη συνέῤῥει· ſupra, p. 216, dixerat Chalcedona viſam fraudibus commodam: χωρίον τῇ τε Θρᾴκῃ καὶ τῇ Βιθυνίᾳ πρόσοικον, οὐχ ἑκὰς οὐδὲ τῆς Ἀσίας, καὶ Γαλατείας, p. 218, διαφοιτῆσαι — τὸν λόγον ἐς πᾶσαν τὴν Βιθυνίαν καὶ τὸν Πόντον ἐποίησαν. p. 262, non valde laudatur ὁ τότε ἡγούμενος Βιθυνίας καὶ τοῦ Πόντου. nomine nempe Romanorum: *Cicero* Philipp. XI, c. XII, *ut imperandi in Syria*, *Aſia*, *Bithynia*, *Ponto*, *ius poteſtatemque habeat*. Secundum *Cteſiam Diodori Siculi* II, c. 2, Ninus ſibi iam ſubiecerat τὴν Βιθυνίαν, καὶ Καππαδοκίαν καὶ τὰ κατὰ τὸν Πόντον ἔθνη βάρβαρα κατοικοῦντα. *Herodoto* teſte I, c. 28, Croeſo, praeter ceteras gentes, paruerunt Θρᾶκες, οἱ Θυνοί τε καὶ Βιθυνοί. hoc quando nomen acceperint, idem tradit VII, c. 75.

Act. *A*. c. V, 15, ad iſta *Lucae*,

ἵνα

ἵνα ἐρχομένου Πέτρου κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν.

Quae in Cod. antiquiſſimo Baſileënſi adduntur,

καὶ ῥυσθῶσιν ἀπὸ πάσης ἀσθενείας, ἧς εἶχον. — etiam ab Interprete Latino vetere lecta, & reddita, *& liberarentur ab infirmitatibus ſuis*; ſi in aliis proſtarent Codd. vetuſtiſſimis, genuina poterant videri. Longe aliter iudicandum eſt de additamentis, quae leguntur in Codice adhuc antiquiore, Cantabrigienſi, quorum Auctor impudentiſſimus ubique in Evangeliis & in Actis ea graſſatus eſt licentia, quae modum omnem ſuperat. — Talium ignaris adſumenta quaedam iſtius hominis legenda dabo: hic ad verba Sacri Scriptoris haec adduntur in Cod. Cantabrig. Graeco-Lat.

ἀπηλλάσσοντο γὰρ ἀπὸ πάσης ἀσθενείας, ὡς (L. ἧς) εἶχεν ἕκαστος αὐτῶν.

In huius cap. V, 18, vocem δημοσίᾳ haec excipiunt:

Καὶ ἐπορεύθη εἷς ἕκαστος εἰς τὰ ἴδια.

— §. 39, Horum loco, οὐ δύνασθε καταλῦσαι αὐτό, — Cantabrig. haec exhibet:

οὐ δυνήσεσθε καταλῦσαι αὐτὸ, οὔτε ὑμεῖς, οὔτε βασιλεῖς, οὔτε τύραννοι· ἀπέχεσθε οὖν ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου τούτου.

C. VI, 10, ad iſta *Lucae*,

Οὐκ ἴσχυον ἀντιστῆναι τῇ σοφίᾳ καὶ τῷ πνεύματι, ᾧ ἐλάλει·

haec adiecit interpolator: — διὰ τὸ ἐλέγχεσθαι αὐτοὺς ὑπ᾽ αὐτοῦ μετὰ πάσης παῤῥησίας. Μὴ δυνάμενοι οὖν ἀντοφθαλμεῖν τῇ ἀληθείᾳ, — *homines ſubornarunt, qui dicerent* —

C. VIII, 24. *pro me orate Dominum*, ὅπως μηδὲν ἐπέλθῃ ἐπ᾽ ἐμὲ ὧν εἰρήκατε. Cantabrig. ὅπως μ. ἐ. μοι τούτων τῶν κακῶν, ὧν εἰρήκατέ μοι, ὃς πολλὰ κλαίων οὐ διελίμπανεν. vocem male ſcriptam dat *Wetſtenius*. — Facile credimus in fabella Auctorem legiſſe Iudaica *Tobith* c. X, 5, οὐ διελίμπανε θρηνοῦσα Τωβίαν. eamdem formam poſuit *Act. A.* c. XVII, 13, pro τοὺς ὄχλους ſcribens, καὶ ταράσσοντες τοὺς ὄχλους οὐ διελίμπανον. Rariores apud ve-

 te-

teres Atticos formas, Καταλιμπάνειν dat *Machon* Comicus ap. *Athen.* VIII. p. 341. c. — ἐξελίμπανον δόμους πατρῴους, *Euripides* in Medea v. 800.

Cap. X, 25, loco paucorum, quae dedit *Lucas*, haec auſus eſt ſcribere interpolator:

> Προσεγγίζοντος δὲ τοῦ Πέτρου εἰς τὴν Καισάρειαν, προδραμὼν εἷς τῶν δούλων διεσάφησεν, παραγεγονέναι αὐτόν· ὁ δὲ Κορνήλιος ἐκπηδήσας, καὶ συναντήσας αὐτῷ, πεσὼν πρὸς τοὺς πόδας προσεκύνησεν αὐτόν.

Huius generis inſigniora reperientur etiam in *Actis Ap.* c. XI, 2. 25. 28. c. XII, 10. c. XIII, 43. c. XIV, 2. 8. c. XV, 2. 12. 20. c. XVI, 4. 35. 39. c. XVII, 15. c. XVIII, 27. c. XIX, 1, 14. — poſtrema capita *Actorum* nunc quidem abſunt a Cod. Cantabr. — Ex Evangeliis pauca tantum attingam.

Matth. cap. XX, poſt §. 28, & voces ἀλλὰ πολλῶν, *Hic*, inquit *Beza*, in illo meo admirandae vetuſtatis Codice iſta inſeruntur: — Ὑμεῖς δὲ ζητεῖτε ἐκ μικροῦ αὐξῆσαι, καὶ ἐκ μείζονος ἐλαττῶσαι. (ἔλαττον εἶναι *Wetſtenius* exhibet, qui totum Codicem deſcripſit: neuter ſyllabam compendifactam videtur aſſecutus: reſtituendum, ἐλαττονῆσαι, *minui*, verbum Alexandrinis Interpr. A. F. uſitatiſſimum:) Εἰσερχόμενοι δὲ καὶ παρακληθέντες δειπνῆσαι, (recte *Wetſten.* male *Beza*, δειπνεῖσθαι) μὴ ἀνακλίνεσθε εἰς τοὺς ἐξέχοντας τόπους, μήποτε ἐνδοξότερός σου ἐπέλθῃ, καὶ προσελθὼν ὁ Δειπνοκλήτωρ εἴπῃ σοι· ἔτι κάτω χώρει· καὶ καταισχυνθήσῃ. Ἐὰν δὲ ἀναπέσῃς εἰς τὸν ἥττονα τόπον, καὶ ἐπέλθῃ σου ἥττων, ἐρεῖ σοι ὁ Δειπνοκλήτωρ, σύναγε ἔτι ἄνω· καὶ ἔσται σοι τοῦτο χρήσιμον. in ultimis male dat *Wetſt.* ἔσται. — ἔσται σοι δόξα *coram convivis*, inquit *Lucas* Ev. XIV, 10. ubi aliis iſta verbis expreſſa ſua ſede haerent. *Beza* vero his iſta ſubdit: *ſed maneto recepta lectio.* quaſi vero quis, abſque iſto edicto, in animum induxiſſet, ut iſtud emblema genuinum crederet.

Matth.

Matth. cap. XXIV, inter §. 31, & §. 32, haec in iſthoc Cod. leguntur interiecta:

Ἀρχομένων δὲ τούτων γίνεσθαι, ἀναβλέψατε, καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν, διότι ἐγγίζει ἡ ἀπολύτρωσις ὑμῶν.

Lucae cap. VI. poſt comma 4. iſta ſcripta ſunt in Cod. Cantabrig.

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ θεασάμενός τινα ἐργαζόμενον τῷ σαββάτῳ, εἶπεν αὐτῷ. ἄνθρωπε, εἰ μὲν οἶδας τί ποιεῖς, μακάριος εἶ. εἰ δὲ μὴ οἶδας, ἐπικατάρατος, καὶ παραβάτης εἶ τοῦ νόμου. — Haec enotavit etiam *Beza*, tanquam in duobus Codd. lecta: male; in uno tantum leguntur, & loquente prorſus ſunt indigna.

Lucas c. XXIII, ubi corpus Ieſu depoſuiſſe Ioſephum Senatorem dixerat §. 53, Ἐν μνήματι λαξευτῷ, οὗ ἦν οὐδέπω οὐδεὶς κείμενος. in aliis quibusdam Codd. hoc legitur additamentum: καὶ προσεκύλισε λίθον μέγαν ἐπὶ τῇ θύρᾳ τοῦ μνημείου. lapidem grandem fuiſſe noveramus, ſed vide mihi hominis impudentiam, qui haec ſcribere fuit auſus, lecta in Cantabr.

Καὶ θέντος αὐτοῦ ἐπέθηκε τῷ μνημείῳ λίθον, ὃν μόγις εἴκοσι ἐκύλιον. —— hoc *Bezae*, non memoratum, aeque tamen ac mihi arbitror vehementer displicuiſſe. — Quae ſunt ad manum permultae, reliquas iſtius hominis interpolationes ſuo loco relinquam.

Act. Ap. c. VI, 7.

Πολύς τε ὄχλος τῶν ἱερέων ὑπήκουον τῇ πίστει.] *Beza*, „Mihi, inquit, ſuſpectum hoc videtur, cum vix probabile ſit, ut ex ſacerdotibus etiam aliqui — doctrinam ſalutis ſint amplexi; — et, ut ita ſit, quis tamen credat tam multos illos fuiſſe, ut ὄχλου nomen iis conveniat." paulo poſt probare ſe vehementer ſcribit collegae *Iſ. Caſauboni* coniecturam, legentis καὶ πολὺς ὄχλος, (imo πολύς τε ὄχλος,) καὶ τῶν ἱερέων (ſcil.

(ſcil. τοῖς) ὑπήκουον τῇ πίστει. Hoc uno in loco diverſos ab aliis, his in libris toties memoratis, *ſacerdotes* deſignari prorſus eſt incredibile: cum vero *Lucas* hoc ipſo etiam libro eadem fuerit uſus ellipſi, mihi quoque *Caſauboni* ſemper placuit emendatio; ut dicantur, praeter *homines de plebe*, *ſacerdotum nonnulli* Chriſti diſciplinam amplexi: ſimiliter *Act.* c. XXI, 16, Συνῆλθον δὲ καὶ τῶν μαθητῶν ἀπὸ Καισαρείας σὺν ἡμῖν. ſic II *Reg.* c. XI, 24, ἀπέθανον τῶν παίδων τοῦ βασιλέως. In argumento operis *Athenaei* legitur, φιλοσόφων δὲ παρῆσαν, & ἰατρῶν. L. VI. p. 242. B. ἠρώτησεν τῶν συμπαρόντων. hanc vero ellipſin poſt *Henr. Stephanum* in Append. Theſauri Gr. L. p. 45. recentiorum plures attigerunt.

In huius *Act.* capitis VI, 9, pro Λιβερτίνων, Λιβυστίνων legentibus adſentior; quae forma, *Heſychio* pro Ἀβυστκῖοι, vel potius Ἀρβύσται, non eſt obtrudenda; neque *Herodoto* IV, c. 192. P. 366, 16, cui reddi potuerat ex optimis Codd. quorum uſum valde deſiderabam, dum ſcriberem in *Herodotum* adnotata, ὄνομα — Λιβυστικόν. haec forma veteribus placuit prae altera: *Aeſchylus* in Supplic. v. 287, Λιβυστικαῖς — γυναιξί. in Myrmidonibus (hinc ſumptum fragmentum ſequentia *Scholia* monſtrabunt) ap. *Schol.* in *Ariſtoph.* Aves v. 808,

Ὡς δ' ἐστὶ μύθων τῶν Λιβυστικῶν λόγος·

Act. A. c. VII, 26,

Τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ ὤφθη αὐτοῖς μαχομένοις, καὶ συνήλασεν αὐτοὺς εἰς εἰρήνην, εἰπών, Ἄνδρες ἀδελφοί ἐστε ἱνατί ἀδικεῖτε ἀλλήλους;

Nihil horum narrat *Moyſes*, niſi illud unum *Exodi* c. II, 13, Ἐξελθὼν — τῇ ἡμέρᾳ τῇ δευτέρᾳ, ὁρᾷ δύο ἄνδρας Ἑβραίους διαπληκτιζομένους quod ultimum, ſignificans *pugnis inter ſe certantes*, obvium in *Schol.* ad *Ari-*

Ariſtoph. Aves v. 440, pertinet ad iſtam verborum claſſem quam attigi ad *Herodot.* P. 379. — Viderat Moyſes die praecedente Aegyptium, qui Hebraeum quemdam iniuſte verberaret: non itaque die ſequente, quod dicitur in Edd. & in Codd. *Lucae*, ὤφθη αὐτοῖς μαχομένοις, *vidit ipſos pugnantes*; hic enim eosdem oportet intelligas, quos memorat paulo ante: ſunt, fateor, alia quaedam in egregia hac Oratione Stephani, quae difficulter poſſint cum hiſtoria *Moyſis* in concordiam redigi; ſed hac in re errare non potuit Stephanus, nedum *Lucas*; quem ſcripſiſſe arbitror,

ὤφθη ἄλλοις μαχομένοις·

alios vidit pugnantes; hos autem Moyſis fuiſſe gentiles Hebraeos vicina declarant, ex Codd. ſic, ut puto, ſcribenda:

καὶ συνήλλασσεν αὐτοὺς εἰς εἰρήνην, εἰπὼν, ἄνδρες ἀδελφοί ἐστε· ἱνατί ἀδικεῖτε ἀλλήλους;

Vulg. Interpres, *& reconciliabat illos:* ſignificatur, *reconciliare illos nitebatur*: more enim loquendi quibusvis in Linguis *facere* dicitur *qui conatur quid efficere*: εἰς εἰρήνην additur ex Hebraismo: ſatis fuerat dixiſſe συνήλλασσεν αὐτούς. cuius loco *Paulus*, ut ſuſpicor, ſuo potius verbo ſcripſiſſet, κατήλλαξεν αὐτούς· vid. *T. H.* ad illud *Thomae M.* Διαλλάγη δοκιμώτερον, ἢ Καταλλάγη. Invidis ſe adverſariis reſpondiſſe dicit *Dion Chryſ.* Or. XLII. p. 505. ἵνα, ἐὰν μὲν δυνατὸν ᾖ, διαλλαγῶσιν· (*ut reconcilientur*) ὃ τῇ πόλει πάσῃ βέλτιστόν ἐστι. ſic corrigo vulgatum διαῤῥαγῶσι· *rumpantur:* Or. XL. p. 493. c. ſuadet cives omnesque adeo homines τὰς ἀπεχθείας ὅσας (ἔχθρας) καταλύσασθαι πάντα τρόπον, ἂν ᾖ δυνατόν. conf. Or. XLI. p. 501. D. Διαλλαγεὶς etiam *Lyſiae*, pro ἀπαλλαγεὶς, reddendum eſt apud *Dionyſ. Halic.* II. p. 276, 30.

Act. cap. VII, 57, 58, 59, Quaedam inſunt obſervatis Criticis tentata. Non illa quidem dubio vacua *Battierii*, elegans tamen eſt & valde veriſimilis coniectura, pro

Κράξαντες —

corrigentis, leniſſima mutatione, quam unus etiam Codd. ſcriptorum confirmat,

Κράξαντος δὲ φωνῇ μεγάλῃ, συνέσχον τὰ ὦτα αὐτῶν. —

Cum animoſus Orator ſententiam eorum, quae *Lucas* dat proxime praecedentia, altiore voce pronunciaret, auditores indignati συνέσχον τὰ ὦτα αὐτῶν, *aures ſuas obturarunt*; hoc quem tandem in finem facerent qui ipſi alta voce clamarent? Quod *Lucas* vocat συνέχειν τὰ ὦτα, *Plato* dixit in Symp. T. III. p. 216. A. ἐπισχὼν τὰ ὦτα· ubi Alcibiades Βίᾳ οὖν, inquit, ὥσπερ ἀπὸ τῶν Σειρήνων, ἐπισχόμενος τὰ ὦτα, οἴχομαι φεύγων, ἵνα μὴ αὐτοῦ καθήμενος παρὰ τούτῳ (de Socrate loquitur) καταγηράσω. ubi voci βίᾳ ſubſtituendum βύων putabat *Fred. Lud. Abreſchius* Lect. Ariſtaen. p. 147. Βύειν τὰ ὦτα recentiorum eſt Sophiſtarum; etiam *S. Ignatii* Ep. ad Epheſ. cap. IX. *Clem. Alex.* Strom. VI. p. 784, 37. reſtituendum in *Clement.* Homil. I. §. XII.

§. 58, — ἐλιθοβόλουν, —

Cum §. ſequente 59 legatur,

Καὶ ἐλιθοβόλουν τὸν Στέφανον, —

incommodum prius; neque apparet, quem in finem fuiſſet illic a Luca poſitum: legitur quidem in Ev. *Ioannis* c. X, 33, περὶ καλοῦ ἔργου οὐ λιθάζομέν σε. prout a quibusvis Scriptoribus de *conatu* ponuntur verba *actum* ipſum ſignificantia: ſed ſi, *quod facere conſtituerant*, ſic fuiſſet ante indicatum, ſaltem αὐτὸν addidiſſet, & ne hoc quidem modo verbum illud, mox proprio ſenſu repetendum, poſuiſſet: hoc animadverſo, & praeterea more Iudaeorum, quum quem lapida-

darent iure damnatum, ut teſtes grandem lapidem primi in eius caput deiicerent; quem in finem proferuntur iſta *Iohannis*, ex Ev. c. VIII, 7, ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν πρῶτος τὸν λίθον (eximie ſic dictum) ἐπ' αὐτῇ βαλέτω. *Ierem. Marklandus* in *Lyſiae* P. 167, l. 3, priore loco ſcripſiſſe *Lucam* ſuſpicatur ἐλιθολόγουν, vel ἐλιθοφόρουν. — Hanc legem de parricida civibus tulit *Plato*, ut morte mulctati cadaver, antequam regione exterminetur, in trivium extra urbem nudum proiicerent, & *ſinguli magiſtratus*, *civium loco*, *lapidem quisque geſtans iaceret in illius caput ad totam civitatem* ob immane ſcelus commiſſum *expiandam*, L. IX, de LL. p. 873. B. ἀποκτείναντες ἔξω τῆς πόλεως ἐκβαλλόντων γυμνόν· αἱ δὲ ἀρχαὶ πᾶσαι ὑπὲρ ὅλης τῆς πόλεως, λίθον ἕκαστος φέρων, ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ νεκροῦ βάλλων ἀφοσιούτω τὴν πόλιν ὅλην. frequens ſit lapidationis ſupplicii, ut apud antiquiſſimos Graecos uſitati, mentio apud Tragicos, quorum loca in alium finem conduxit *Rich. Daweſ.* in Miſcell. Crit. p. 315. ſed nihil alibi gentium uſitatum legere me memini Legis *Platonicae* ſimile, multoque minus, quod Iudaeorum conveniat conſuetudini. Sed neque in horum ſcriptis Graecis verbum λιθοφορεῖν, aut elegantius λιθολογεῖν, usquam invenietur: & profecto, *qui* lapidem vel *lapides ſumebant*, *quibus damnatum obruerent*, Graece mea ſententia dici non poſſent λιθολογεῖν, vel λιθολόγοι. Sic non *architecti*, ſed *fabri* vocabantur *caementarii*, qui aedificaturi λέγουσι, *ſeligunt* ex paratis lapidibus, qui ſuis quisque locis apte haereat: τεκτόνων καὶ λιθολόγων mentionem facit *Xenophon* Ἑλλην. IV, p. 307, 27. & p. 314, 25. a quo dici non potuere τέκτονές τε καὶ λιθοδόμοι, quod tamen legitur Κ. Π. III. p. 43, 9. cuius loco nunc verius puto τ. τ. κ. λιθοτόμοι· quod ex MS. Cod. *Polluci* quoque reddendum eſt L. VII, 118. ſemel

mel etiam dixit *Xen.* p. 514, 17, Τέκτονας καὶ οἰκοδόμους. nihil enim me movet illud *Thomae M.* p 615, Οἴκων ἐργάτης, καὶ Τέκτων· οὐκ οἰκοδόμος. cui reddi illud poterit pro λίθων ἐργάτης, in v. Λατόμος. male vero a Grammaticis Λιθολόγοι eſſe dicuntur οἰκοδόμοι, niſi ab *architectis aedificatoribus* diverſiſſimos *fabros caementarios*, quod non opinor, ſic putes appellari poſſe: conf. Cl. *Ruhnken.* in *Timaei* Lex. *Platon.* p. 125, 126. — Nihil vero nos iuvant iſta ad firmandam *Marklandi* hoc in loco coniecturam, quo mihi tamen etiam prius illud ἐλιθοβόλων non videtur a *Luca* profectum: quid poſuerit, forſan aliquando detegetur. — Sed neque in ſeq. commate 59 ſcribere potuit *Lucas*, quod vulgatur:

Καὶ ἐλιθοβόλουν τὸν Στέφανον, ἐπικαλούμενον, καὶ λέγοντα —
Et Stephanum lapidibus obruebant, invocantem.

Quem? verbum illud ἐπικαλεῖσθαι nomen utique requirit, quod his in libris ſemper additur. Θεὸν adiiciendum vidit *Bentleius:* ego legere malim cum *Chryſoſtomo*, ἐπικαλούμενον τὸν Θεόν.

Act. Ap. c. VIII, 37,

Εἶπε δὲ ὁ Φίλιππος· Εἰ πιστεύεις ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, ἔξεστιν· ἀποκριθεὶς δὲ εἶπε, πιστεύω τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι τὸν Ἰησοῦν Χριστόν.

Ab Optimis Codicibus, minimum triginta, abſunt iſta omnia, quae reiicienda propterea cenſuerunt, ut emblema ſpurium, *Millius*, *Wetſtenius*, *Bengelius*, & dudum ante ſic iam cenſuerat, cum pauci tantum Codices eſſent adhibiti, *Grotius;* unus nuper *Griesbachius* ex Editionis ſuae contextu ſemota reiecit in marginem; ut ex margine cuiusdam exemplaris in recentiores aliquot Codices fuerunt recepta.

Com-

Comma 39 purum ab emblemate primi nobis dederunt Editores, quale noſtris legimus in Edd. Nonnullis in Codd. uncis a me incluſa proſtant:

Πνεῦμα [ἅγιον ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν εὐνοῦχον, ἄγγελος δὲ] Κυρίου ἥρπασε τὸν Φίλιππον —

quae ſuis iam in exemplaribus veterum Chriſtianorum nonnulli legerunt: a *Chryſoſtomo* non inventa, haec illius monſtrat interrogatio, διατὶ οὐκ ἄγγελος, ἀλλὰ πνεῦμα ἁρπάζει; —— Auctor ſupplementi loquendi formulam *Lucanéam* de Sp. S. legerat *Act. A.* c. X, 44. & c. XI, 15.

Act. cap. IX, 5, 6,

σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν. Τρέμων τε καὶ θαμβῶν εἶπε· Κύριε, τί με θέλεις ποιῆσαι; καὶ ὁ Κύριος πρὸς αὐτόν· ἀνάστηθι ——

Idem de his ſentiendum, quod de cap. VIII, 37. nihil horum reperitur in Codd. optimis & pleriſque, niſi illud unum [ὃν σὺ διώκεις·] ἀλλ' ἀνάστηθι. Nec ab aliis veteribus Chriſtianis, neque a *Chryſoſtomo* lecta, ab Editoribus Criticis reiecta, *Griesbachius* omiſit in Edit. nupera, atque in ſuum iſta locum relegavit. Ne quis vero Confeſſionis Auguſtanae Theologum his in regionibus propterea publice temeritatis inſimulet, forte impediet *Theod. Beza*; qui Codicum auctoritate eadem illa reiicienda iudicavit, locum proferens *Aeſchyli* ex Prom. Vincto v. 323. legerat illius aptiora in Agam. v. 1633,

Πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε· —

Aequalis *Aeſchyli*, *Pindarus* dixit Pythion. Oda II, v. 173, — ποτὶ κέντρον δέ τοι λακτιζέμεν, τελέθει ὀλισθηρὸς οἶμος. eamdem ſententiam aliquoties hoc expreſſit *Euripides* proverbio, velut in Peliaſin apud *Stobaeum* Floril. p. 37, 1. *Grot.* p. 19. Iphig. Taur. v. 1396.

Ze-

Zenobius Cent. V. Prov. 70, unius dat *Euripidae* verſum, qui eſt in Bacchabus 794,

Πρὸς κέντρα λακτίζοιμι θνητὸς ὢν Θεῷ;

qui ad hoc emblema aptiſſime reſpondet, commodum huc etiam allatus a *Io. Pricaeo*; ſicut ad iſta *Lucae*, Σαοὺλ, Σαοὺλ, τί με διώκεις; Apollinis reſpondent ad Achillem *Homerica* in Il. X. v. 9,

Τίπτε με, Πηλέος υἱὲ, ποσὶν ταχέεσσι διώκεις,
Αὐτὸς θνητὸς ἐὼν θεὸν ἄμβροτον;

Sed interpolatoris iſta, τρέμων τε καὶ θαμβῶν, non ſunt coloris *Lucanei*: ſequentia ſumſit ex *Act. A.* c. XXII, 10, Εἶπον δέ· τί ποιήσω, Κύριε; ὁ δὲ Κύριος εἶπε πρός με, ἀναστὰς πορεύου εἰς Δαμασκόν.

Act. c. X, 6, Iſta, οὗτος λαλήσει σοι τί σε δεῖ ποιεῖν· Codicum auctoritate, reiecit in marginem *Griesbachius*; &, §. 7, τῷ Κορνηλίῳ, ex Codd. ſubſtituit αὐτῷ. Plus ſemel in *Actis* nomen ſcripſerunt librarii, ex margine deſumtum, ubi pronomen poſuerat *Lucas*; ut c. XII, 13. Codices dant, Κρούσαντος δὲ αὐτοῦ — In noſtri cap. X. §. 23, recte *Griesbachius* recepit ἀναστὰς, quod ſic verbis motum ſignificantibus prae ceteris adiicere ſolet *Lucas*; qui unus omnium, & ſolus ex Evangeliorum ſcriptoribus, frequenter adhibet, ex Hebraica phraſi ductum, ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ· quod propterea, §. 33, mutandum non eſt. — Sed in huius cap. X, 17, vellem in aliis legeretur antiquiſſimis Codd. quod in uno tantum repertum fuit Cantabrig.

Ὡς δὲ ἐν ἑαυτῷ γενόμενος διηπόρει ὁ Πέτρος, τί ἂν εἴη τὸ ὅραμα —

Abeſt a Codd. & ab Edd. γενόμενος· huic loco tamen, quod fatendum eſt, aptiſſimum: nam ſecundum §. 10, ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἔκστασις· *cum ad ſe rediisſet*, διηπόρει, *prorſus haerebat incertus animi, quid tandem iſta re ſigni-*

ſignificaretur, quam viderat. Quid ſibi vellet ad διηπόρει adiectum ἐν ἑαυτῷ; — *Lucas*, qui *Act.* c. V. 24, ſcripſit: Ὡς δὲ ἤκουσαν τοὺς λόγους — διηπόρουν περὶ αὐτῶν, τί ἂν γένοιτο τοῦτο. id ipſum dedit cap. XII, 11, ὁ Πέτρος γενόμενος ἐν ἑαυτῷ εἶπε, admiratione *Petrus* velut extra ſe raptus, *cum ad ſe rediiſſet, dixit.* —— Graeci dicebant εἰς ἑαυτὸν ἐλθεῖν, & ἑαυτοῦ γενέσθαι· cuius contrarium erat ἐκστῆναι ἑαυτοῦ. *Plutarchus* T. 1. p. 903. B. τούτου καθεστηκότος ἐξίστη δι' ὀργὴν αὐτοῦ· *cum hoc eveniret, ira a ſe ipſe diſceſſit:* ſic corrigo vulgatum τοῦ καθ. *Plato* in Phaedro p. 250. A. ἐκπλήττονται, καὶ οὐκέθ' αὐτῶν γίγνονται. *Sophocles* Oed. in Col. v. 651, ὁ νοῦς ὅταν αὑτοῦ γένηται. *iratus* ταχέως ἐπάνιθι εἰς ἑαυτόν, inquit *M. Antoninus* VI. §. 35. *cito ad te redi:* praeter alia, commode *Gataker.* ex *Lucae* profert Ev. c. XV, 17, εἰς ἑαυτὸν ἐλθών, de prodigo ſcriptum qui reſipuerat: plurima protulit *Gataker.* in A. M. P. c. 29. p. 738. nonnulla *Iac. Elsner.* in Schediasm. Crit. p. 34, 35. & *Abreſchius* Anim. ad *Aeſchyl.* p. 173.

Act. c. XI, 28,

λιμὸν μέγαν —— ὅστις ——

Cum hoc genere recentioribus Lexicographis tantum innotuerit ὁ λιμός, altero ſcriptum τὴν λιμὸν ſuſpicor hic illic mutatum ab Editoribus in τὸν λ. — Hoc *Lucae* loco in antiquiſſimis Codd. legerunt λιμὸν μεγάλην —— ἥτις ——. In Euang. c. XV, 14. vulgatur λιμὸς ἰσχυρός, ubi in quatuor Codd. eſt λιμὸς ἰσχυρά. *Wetſtenius* quidem oſtendit λιμὸν ἰσχυρὸν optimos dixiſſe Scriptores Graecos, ipſum etiam *Thucydidem*; ſed alterum, multo rarius, uſu vulgi tamen tritum, iſtis in locis *Lucae* reſtituendum eſt, & Ev. c. IV, 25. ubi ſaltem ex duobus libris ſcriptis λιμὸς μεγάλη fuit enotata. reiecit λιμὸν πονηρὸν Alex. Codicis *Grabius* *Jerem.* XVII, 18, qui hoc

hoc in genere centenos errores commiſit. Ex Doriſmo multa remanſerunt in communi Lingua; inter iſta referatur ἡ λιμός. *Etymologus M.* p. 566, 10. ὁ λιμὸς Ἀττικῶς, ἡ λιμὸς Δωρικῶς. ad *Phrynichi* Ecl. & ad *Thom. M.* quaedam leguntur notata. — *Eram*, elegantioribus ἦν, in communi Dialecto dicebatur ἤμην· quod ab ἐμὶ, ἐμαὶ ducit *Heraclides Euſtathii* in Od. I. p. 372. 48. & in Od. Ξ. p. 558. 33. *Moeris Attic.* Ἦν ἀντὶ τοῦ ἤμην, Ἀττικῶς. Ἤμην, Ἑλληνικῶς. Haec & horum ſimilia ſi tractaſſet *Beza*, non ſcripſiſſet iſta in huius *Act.* cap. XI, 17, (ubi optime legitur: ἐγὼ δὲ τίς ἤμην;) „ Expunxi particulam δὲ — ſed & fortaſſe rectius „ legeris εἰμὶ, *ſum:* nam iſtud ἤμην penitus Poëticum „ eſt." imo ἤμην communis eſt Graeciſmi, neque usquam apud *Homerum* invenietur.

Act. c. XIII, 6,

Διελθόντες δὲ τὴν νῆσον ἄχρι Πάφου —

Qualia in contextum Scriptorum Graecorum & Latinorum mox ex Codd. reciperentur, his in libris a plerisque negliguntur. — Halae nuper adeo *Griesbachius* optime vocem ὅλην ex Codd. recepit, ſua ſede ſic collocandam:

Διελθόντες δὲ ὅλην τὴν νῆσον ἄχρι Πάφου. —

Seleucia Paulus & Barnabas nave vecti in inſulam Cyprum pervenere; in eius portum Orientalem delati, primum Evangelica doctrina Iudaeis illic Salaminiis annunciata, Cyprum *totam* peragrarunt, Paphum usque, in Occidentali inſulae latere ſitam. Quis itaque dubitet quin vocem in optimis libris ſcriptis inventam ipſe *Lucas* addiderit?

Paulo poſt, §. 8, ubi dicitur Elymas voluiſſe

διαστρέψαι τὸν ἀνθύπατον ἀπὸ τῆς πίστεως.

vellem Codices nobis darent, ἀποστρέψαι, *avertere:* volebat

lebat etiam Sergium Paulum διαστρέψαι *pervertere*; ſed, quod additur, ἀπὸ τῆς πίστεως, alterum, ut puto, requirit: *conabatur proconſulem avertere a fide*. Hac ſtructura ſemper ἀποστρέφειν etiam ab Alexandrinis adhibetur A. F. Interpretibus, ab ipſo *Luca* Act. A c. III. 26, ἀποστρέφειν ἕκαστον ἀπὸ τῶν πονηριῶν. *Iobi* c. XXXIII, 17, ἀποστρέψαι ἄνθρωπον ἀπὸ ἀδικίας. atque eodem modo verbum adhibent *Thucydides*, *Xenophon*, *Plato*, ceterique ſcriptores optimi: *Thucyd.* p. 295, 58. p. 573, 76. in horum duobus locis codices illud ſervarunt: *Xenophon* p. 70, 21. p. 171, 42. p. 326, 7. &c.

In eiusdem cap. XIII, 23, de Davide loquutus Paulus, ex huius, inquit, poſteris Deus

Ἤγειρε τῷ Ἰσραὴλ σωτῆρα Ἰησοῦν.

Wolfius in Curis Philolog. „ Codd. ait, nonnulli, „ verſiones item & Patres hic legunt: ἤγαγε τῷ Ἰσραὴλ „ σωτηρίαν Ἰησοῦν." — Quis tandem Patrum, quis interpretum tam abſurdam lectionem exhibuiſſet, vel adprobaſſet? qualis in nullo fuit Codice reperta; nam qui dant σωτηρίαν omittunt nomen Ἰησοῦν. Vulgata defendendi ſtudio *Wolfius* abreptus hic etiam multos in errorem induxit. — Pro ἤγειρε, nonnulli veterum hic ἤγαγε legerunt, quod multi Codices etiam praeferunt; in quibus, pro σωτῆρα Ἰησοῦν, totidem literis legitur σωτηρίαν. nam binas iſtas voces librarii ſcribere ſolent in Codd. N. F. σρα ιν. — Hoc in loco miror adeo placere potuiſſe nonnullis ἤγαγε· ut illud nuper in contextum fuerit receptum. Quia paulo ante *Lucaneus Paulus* dixerat ἤγειρεν αὐτοῖς τὸν Δαβὶδ εἰς βασιλέα, hic idem verbum repetitum mutandum videbatur correctoribus; male: uſitata Hebraeis iſta eſt forma loquendi. — Sive autem dixerit, *Iſraëlitis* ἤγειρε σωτῆρα Ἰησοῦν· ſeu σωτηρίαν· idem eſt ſenſus: per σωτηρίαν enim

nemo dubitabit, quin *Ieſus Salutifer* ſit intelligendus: hoc itaque ex Codd. recepto, libenter legerim:

ἤγειρε τῷ Ἰσραὴλ σωτηρίας.

Act. c. XIV, 13,

Ὁ — ἱερεὺς τοῦ Διὸς τοῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως. ——

Simulacrum Iovis ante urbis portam poſitum hic intelligunt Interpretes; ſed Deorum ſtatuae ſic ſub dio collocatae *ſepto*, ἕρκει vel περιβόλῳ, cinctae ſuos certe non habebant ſacerdotes. *Templum Iovis*, prope urbem Lyſtrorum conditum, hic intelligendum eſt; quod ſi more Graecorum deſignavit *Lucas*, articulum eliſum, ſcribendumque arbitror:

ὁ ἱερεὺς τοῦ τοῦ Διὸς, τοῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως, — ἤθελε θύειν.

Articulo, qui ſemel a librariis fuerat ſcriptus, repetito, *Caſaubonus* ſaepe loca apud *Athenaeum* commode ſanavit, & *Platonis* inſiguem e Gorgia (T. I. p. 481,) locum Animadv. in *Athen.* IX. cap. XII. p. 680. *Iovis templum*, τὸ τοῦ Διὸς ἱερὸν, hac voce per ellipſin omiſſa, dicitur τὸ τοῦ Διός· *Herodotus* I, c. 182, κοιμᾶται ἐν τῷ τοῦ Διὸς τοῦ Θηβαιέος γυνή. *Templum Cereris*, τὸ τῆς Δήμητρος ab *Heſychio* dicitur in v. Ἀνάκτορον. *Dianae venatricis templum* Athenis, ναὸς Ἀγροτέρας Ἀρτέμιδος a *Pauſania* dictum, ſimpliciter a *Platone* vocatur τὸ τῆς Ἀγραίας, T. III. p. 229. B. requiritur in talibus articulus repetitus: absque articulo tamen etiam dicebant in ſermone familiari ἐν Ἀρτέμιδος· ἐν Διονύσου· ἐς Θεσμοφόρειον (*Ariſtoph.* Thesmoph. v. 89.) εἰς Διδυμέως· ἐν Πυθίου, *Thucyd.* p. 412, 44. ἐν Διονύσου p. 564, 46. *Callim.* Epigr. LXI, Ἰναχίης ἕστηκεν ἐν Ἴσιδος. eadem Romanis placuit ellipſis.

Act. cap. XIV, 26,

Κἀκεῖθεν ἀπέπλευσαν εἰς Ἀντιόχειαν, ὅθεν ἦσαν παραδεδομένοι τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ εἰς τὸ ἔργον ὃ ἐπλήρωσαν.

Inter Varias Lectiones a *Wetſtenio* collectas legitur:

Ἦσαν]

Ἤεσαν] ᾔεσαν *T. Hemſterhuſius:* primae literae ἰῶτα procul dubio ſubſcripſerat, ut ſit ᾔεσαν· *ierant*, vel *venerant:* abſque litera ſubſcripta, recepit hinc forſan *Heſychius:* Ἤεσαν, ἐπορεύοντο, ἤρχοντο. qui ſupra dat: Ἦεν, ᾔειν. & Ἤιεν, (ᾔει) ἐπορεύετο, ἤρχετο. quorum hoc in Lexico ſcribi potuit Tragico: *Sophocles* in *Clementis Alex.* Strom. V. p. 716, 16,

Πρὸς λέκτρον ᾔει καρδίαν ὠδαγμένος.

Euripides in Ione v. 1153,

Πλειὰς μὲν ᾔει μεσοπόρου δι' αἰθέρος. — *a Thoma Mag.* in Ἰὼν p. 428, adnotantur Ἀπῄειν & Διῄειν. *Etymologus M.* in Ἀπῆμεν p. 121, 29, εἶσιν Εἴω — τὸ πορεύομαι. — αὐτοῦ ὁ μέσος παρακείμενος, Εἶα, καὶ — ᾖα· τὸ πληθυντικὸν, ᾔαμεν, καὶ — ᾖμεν. — V. 41, ποιεῖ τὸ ὑπερσυντελικὸν, ᾔειν· — ἀπῄειν, καὶ παρῄειν· καὶ ἐξῄειν, τὸ τρίτον. *plur.* ἀπῄεσαν, καὶ — ἀπῄεσαν. Compoſita frequentius occurrunt quam ſimplex; quod legitur apud *Iſaeum* p. 81, 31, πῶς — ἀποστερούμενοι οὐκ ᾔμεν ἐπ' αὐτά; *cur — non venimus ad iſta vindicanda.* Quid vero ſibi vult in *Harpocrationis* Lex. Ἤειμεν, ἀντὶ τοῦ ᾔδειμεν Ἀντιφῶν; *Blancardus* praepoſtera diligentia, vitiata quoque digerens ad ſeriem literarum, multos in errorem induxit, ipſum etiam *T. H.* in *Ariſtoph.* Plut. v. 696. ſi hanc notam, ut fuerat ante vulgata, reliquiſſet inter Ἠοία & Ἠτημένον; ex vera ſerie patuiſſet, ſcribendum ᾔσμεν· literae ſubſcriptae, vel ad latus poſitae, nulla habetur in talibus Lexicis ratio, quod monſtrat vel in *Harpocr.* & *Suida* Ἠϊὼν, in antiquis Edd. iſtius literae ultima adnotatio. — Sed haec vera quidem, nec multum tamen facere videbuntur ad locum *Lucae*, ſive ad confirmandam *Hemſterhuſii* coniecturam, ᾔεσαν illic legentis, pro ᾖσαν. Verbum tamen Εἶμι ipſi *Ioanni* innotuit: quod enim in Ev. *Ioann.* c. XIII, 33, ὅπου ὑπάγω ἐγὼ, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν, ſupra dixit c. VIII, 34, ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, ὑμεῖς οὐ δύνασθε

ἐλθεῖν. — In hoc ipſo capite Evang. *Ioannis*, paulo poſt iſta, quae leguntur in Edd. & in Codd. vitiata amicus eruditus mihi facile olim perſuaſit leni poſſe correctione perſanari, ſi ſic legerentur:

Ioann. C. VII, 37, 38,

Ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με, καὶ πινέτω, πιστεύων εἰς ἐμέ. [καὶ,] καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος.

Sed id nunc non agimus. — *Lucae* verbis Act. XIV, 26, correctio *Hemſterhuſii* ſuam, ni fallor, indit ſententiam: *Illinc Antiochiam navigarunt*, ὅθεν ἦσαν, παραδεδομένοι τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, εἰς τὸ ἔργον ὃ ἐπλήρωσαν. ut haec verborum ſit ſtructura: ὅθεν, παραδεδομένοι τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, ἦσαν εἰς τὸ ἔργον ὃ ἐπλήρωσαν· *unde*, vel *ex qua urbe*, *gratiae divinae commendati*, *iverant ad opus quod perfecerant*. Haec pendent ab *Act.* c. XIII, 1, 2, 3. Illic Doctores & Prophetae, qui Eccleſiae Antiochenae inſerviebant, divinitus iubentur Paulum & Barnabam mittere ad Evangelium praedicandum: ἀφορίσατε δή μοι *Barn. & Paulum*, εἰς τὸ ἔργον ὃ προσκέκλημαι αὐτούς. obediunt mandato divino; poſtquam ieiunio ſe paraſſent, ſolemnes preces concipiunt; tum manus ipſis imponunt; ſic tandem illos ad opus perficiendum Antiochia dimiſerunt: §. 3, νηστεύσαντες, καὶ προσευξάμενοι, καὶ ἐπιθέντες τὰς χεῖρας αὐτοῖς, ἀπέλυσαν. In inſulam Cyprum, hinc in alias regiones, in hoc cap. & ſeq. memoratas, profecti, Antiochia certe disceſſerunt παραδεδομένοι τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, in ſolemni nempe precatione illic memorata, atque in votis nuncupatis, dum manus illis imponerentur. Paulus & Barnabas Eccleſiis, quas in hoc itinere fundaverunt, πρεσβυτέρους praefecerant; quomodo? *Act.* c. XIV, 23, προσευξάμενοι, inquit *Lucas*, μετὰ νηστειῶν, παρέθεντο αὐτοὺς τῷ Κυρίῳ, εἰς ὃν πεπιστεύκεισαν. votis nuncupatis *tales Deo* vel

vel *Domino commendare* dicitur hic παραθέσθαι τῷ Κυρίῳ. idem eſt, ſi dicantur viri Apoſtolici vel Apoſtoli, quos publica mittunt auctoritate, παραδιδόναι τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ· ut adeo gratiae divinae ſic παραδιδομένοι ſint etiam Κυρίῳ παρατιθεμένοι, *Domini velut fidei commiſſi*, inſtar depoſiti. *Act.* c. XV. 40. Paulus ἐξῆλθε, παραδοθεὶς τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν. ultimum vale dicens Epheſinae Eccleſiae praefectis, quos Miletum ad ſe vocaverat, *Act.* c. XX, 31, παρατίθεμαι inquit, ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, τῷ Θεῷ καὶ τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ. Tandem hoc in loco optime iunguntur ὅθεν ἦσαν, id eſt ὅθεν ἦλθον, *unde venerant*, vel *abierant* ad Evangelium variis in civitatibus praedicandum: ὅθεν ſic a *Luca* adhibetur in Ev. c. XI, 24, ὑποστρέψω εἰς τὸν οἶκόν μου ὅθεν ἐξῆλθον. quae dederat & *Matth.* Ev. c. XII, 14. — *Act.* c. XXVIII, 13, ὅθεν (*Syracuſis*) περιελθόντες κατηντήσαμεν εἰς Ῥήγιον.

Act. c. XVI, 19,

Ἰδόντες δὲ οἱ κύριοι αὐτῆς, ὅτι ἐξῆλθεν ἡ ἐλπὶς τῆς ἐργασίας αὐτῶν.

Tempus finitum ab *Herodoto*, *Platone*, aliisque dicitur ἐξελθεῖν· de ſpe, quae evanuerat, illud non adhibetur; neque etiam adhibuiſſet allbi *Lucas*; ſed, ubi fatidicae mulieris vim divinandi dixerat ad nutum Pauli, domini ſui nomine iubentis, extinctam; nam πνεύματι (Πύθωνος) εἶπεν — ἐξελθεῖν ἀπ' αὐτῆς· καὶ ἐξῆλθεν, inquit Pauli comes, *Lucas*, αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, commode verbum illud repetit de ipſa *ſpe* lucri, vel quaeſtus, *quam in ancilla nullam* amplius *habebant reliquam*, ſed prorſus videbant deſperatam; aliorum hic commentariis antepono haec pauca *Bezae*: „ ſic venuſte loquitur *Lucas*, quaſi una cum illo impuro ſpiritu quaeſtus etiam iſtorum emigraſſet:" Vt hic *Lucas*, *quaeſtum* quocunque *opere acquiſitum* Ἐργασίαν

 in-

interdum vocant Graeci recentiores: Ex *Phylarchi* Hiſtor. L. XXV. hanc etiam, Sybaritis dignam, Legem exhibet *Athen.* X I, p. 521. C εἴ τις τῶν ὀψοποιῶν ἢ μαγείρων ἴδιον εὕροι βρῶμα καὶ περιττὸν [τὴν σκευασίαν, libenter infererem, quam vocem expellere potuit quod ſequitur,] τὴν ἐξουσίαν μὴ εἶναι χρήσασθαι τούτῳ ἕτερον πρὸ ἐνιαυτοῦ, — ὅπως τὸν χρόνον τοῦτον ὁ πρῶτος εὑρὼν καὶ τὴν ἐργασίαν ἔχῃ. vocem ὅπως ſic recte transpoſuit, qui emendat ſeqq. *Caſaubonus*, quae tueri voluit *Abreſchius* Diluc. *Thucyd.* p 83. *ſi quis coquus peculiarem cibum eiusque parandi exquiſitam rationem invenerit, ſic cibum iſtum parare alteri ante annum elapſum fas non ſit; ut primus inventor per iſtud temporis ſpatium illinc etiam quaeſtum faciat:* rationem cibi parandi, τὴν σκευασίαν omnino requiri arbitror:

Τὰς σκευασίας πάντων [τε] καὶ τὰς σκευάσεις,

ſe callere coquus gloriatur *Alexidis* Comici apud eundem III. p. 107. E. Eiusdem *Timoni* in Sillis IV. p. 160. A nihil iſtorum, ſed placebat:

Ἑλλήνων ἡ πᾶσ' ἀπεριοσοτρύφητος ὀϊζύς.

ſic puto ſcribendum, pro πᾶσα περισσοτρύφητος. — *Lucae* ſententiam his verbis expreſſit Interpolator in Cod. Cantabrig. Ὡς δὲ εἶδαν οἱ κύριοι τῆς παιδίσκης, ὅτι ἀπεστερῆσθαι τῆς ἐργασίας αὐτῶν, ἧς εἶχαν δι' αὐτῆς. *Millius*, pro ὅτι ἀπ. ſcribendum illic putabat, ὥστε ἀπεστερῆσθαι. quod prorſus illinc eſt alienum: rectius dixiſſet αὐτοὺς ſcribendum pro αὐτῶν. — ὅτι per pleonasmum ſic infinitivis interdum praefigunt Scriptores etiam optimi, *Plato* de LL. X. p. 892. D. *Xenophon* p. 268, 37. p. 334, 35. *Lucianus* T. III. p. 150. ut mirum non ſit ſic voculam a *Luca* poſitam Act. c. XXVII, 10. de quo uſu iam notarunt *Henr. Stephanus* in Append. Theſ. Gr. L. p. 76. *Raphelius* Annot. II. p. 193. *Duker.* ad *Thucyd.* p. 261. *Weſſeling.* ad *Diodor. Sic.* I. p.

I. p. 272. aliique. — Quales vero formas hic praebet Codex Cantabrig. Alexandrinas, εἶδαν & εἶχαν, tales habet permultas, non in ceteris tantum Evangeliis, ſed & in utroque *Lucae* libello, qualem ego ſaltem a *Luca* nullam arbitror profectam: in *Lucaneis* iſtius Cod. reperiuntur, huius generis, praeter iſta duo, nonnulla ſaepe repetita; εἶπαν· ἔφυγαν· συνέπνιγαν· ἦλθαν· ἐξῆλθαν· ἀπῆλθαν· ἐπῆλθαν· εὗραν· ἔλεγαν· ἐνέπαιξαν· ὑπέστρεψαν· ἔβαλαν· παρεῖχαν· συνέσχαν· ἤθελαν. & paulo diverſa, etiam Alexandrina, ἐθορυβοῦσαν, *Act.* c. XVII, 5. ψηλαφήσαισαν, ibid. §. 27. & εὕροισαν, ibid. §. 27. Haec & horum ſimilia in iſto Cod. reperta mihi quidem perſuadent, interpolatorem iſtum eſſe antiquiſſimum; quod hic commode demonſtrari non poteſt.

Vltima huius cap. XVI, multo paucioribus verbis a *Luca* expreſſa, variis emblematis ſic interpolavit homo certe impudentiſſimus:

Οἱ δὲ ἀκούσαντες, ὅτι Ῥωμαῖοι εἰσὶν, ἐφοβήθησαν, καὶ παραγενόμενοι μετὰ φίλων πολλῶν εἰς τὴν φυλακὴν παρεκάλεσαν αὐτοὺς ἐξελθεῖν, εἰπόντες, ἠγνοήσαμεν τὰ καθ' ὑμᾶς, ὅτι ἐστὲ ἄνδρες δίκαιοι. καὶ ἐξαγαγόντες παρεκάλεσαν αὐτοὺς λέγοντες· ἐκ τῆς πόλεως ταύτης ἐξέλθατε, μήποτε πάλιν συστραφῶσιν ἡμῖν, ἐπικράζοντες καθ' ὑμῶν. Ἐξελθόντες δὲ ἐκ τῆς φυλακῆς ἦλθον πρὸς τὴν Λυδίαν· καὶ, ἰδόντες τοὺς ἀδελφοὺς, διηγήσαντο ὅσα ἐποίησε Κύριος αὐτοῖς, παρεκάλεσάν τε αὐτοὺς καὶ ἐξῆλθαν.

In his unicum tantum eſt rectius vulgato, πρὸς τὴν Λυδίαν· ubi noſtrae nunc dant Editiones, εἰσῆλθον εἰς τὴν Λυδίαν· *J. Piscator*, vir egregius, ſcribendum putabat, εἰς τὴν Λυδίας nempe οἰκίαν· in talibus articulus non adhibetur: εἰς Δαμίππου· εἰς Ἀρχίνου τοῦ ναυκλήρου, ſunt oratoris *Lyſiae* p. 195, & 196. ἐν Φαίακος, *Eubuli* Com. ap. *Athen.* III. p. 106. B. apud quem *in Muſeo Alexandrino* dicitur ἐν Μουσῶν, L. XV. p. 677. F. proverbium dat *Zenobius* Cent. II. 46. Ἀκλητὶ κωμάζουσιν ἐς

 φίλων

φίλων φίλοι. ibid. 42, Ἀεί τις ἐν Κόδρῳ· ἐκ Πατροκλέυς ἔρχομαι, *Ariſtoph.* Pluto v. 84. — Multo plura proferri poſſent praeter ea, quae proſtant, ab aliis collecta, huius, εἰσῆλθον εἰς τὴν Λυδίαν, ſimillima; quia vero nusquam alibi *Lucas* iſta ratione ſcribit, πρὸς in talibus adhibens, hic etiam, quod optimi dant Codices, ſcribendum arbitror:

εἰσῆλθον πρὸς τὴν Λυδίαν.

Act. c. XVII, 2, 3.

—— διελέγετο αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γραφῶν, [3] Διανοίγων καὶ παρατιθέμενος ὅτι τὸν Χριστὸν ἔδει παθεῖν, ——

De Scriptura S. cum aliquo *colloqui* a *Luca* dici non potuit διαλέγεσθαι ἀπὸ τῶν γραφῶν, a quo Διαλέγεσθαι, ut ab aliis, adhibetur, hoc ipſo cap. XVII, 17. c. XVIII, 4, Διελέγετο *ſingulis diebus Sabbati*, ἔπειθέ τε Ἰουδαίους καὶ Ἕλληνας. Epheſi dicitur *Paulus Act.* c. XIX, 8. per tres menſes Iudaeis διαλεγόμενος καὶ πείθων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ. quomodo vero Iudaeis perſuadebat veritatem Chriſtianae religionis? demonſtrans, Ieſum, cuius commendabat doctrinam, eſſe quem exſpectabant Meſſiam. Hanc in rem Iudaeis certe loca Foederis Antiqui Meſſiam ſpectantia proferenda erant, & ad veram normam explananda: atque ita dicitur *Paulus Act.* c. XVIII, 28, ἐπιδεικνὺς διὰ τῶν γραφῶν, εἶναι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν. Romae Iudaeis (*Act.* XXVIII, 23.) ἐξετίθετο διαμαρτυρόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, πείθων τε αὐτοὺς τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, ἀπό τε τοῦ Νόμου Μωσέως καὶ τῶν Προφητῶν. conf. Petri dictum *Act.* c. III, 18. Quum Gentiles haberet auditores *Paulus*, his alio longe modo veritatem perſuadebat. Quid vero illic dicta τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ continuerint, manifeſtum facit vel hic ipſe locus *Act.* cap. XVII, 3,

Ὅτι τὸν Χριστὸν ἔδει παθεῖν, καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν, καὶ ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός, Ἰησοῦς ὃν ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν.

quo-

quorum naturalis ſitus eſt: ὅτι Ἰησοῦς οὗτος, ὃν ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν, ἐστιν ὁ Χριστός. Cum his paulo curatius comparanda ſunt *Lucae* in Evang. fine narrata cap. XXIV, 25, 26, 27, 32, 45. caecis iſta diſcipulis, quem non noverant, e mortuus excitatus Ieſus, οὐχὶ, dicebat, οὐχὶ ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν, καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ; [conf. *Petri* ad Iudaeos dictum *Act* c. II, 36.] §. 27, Καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ Μωσέως καὶ πάντων τῶν Προφητῶν, διηρμήνευεν αὐτοῖς ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς τὰ περὶ αὐτοῦ. — Illud διηρμήνευεν paulo poſt §. 32. dicitur ὡς διήνοιγεν ἡμῖν τὰς γραφάς. In his permutantur phraſes, διερμηνεύειν ἐν ταῖς γραφαῖς τὰ περὶ τοῦ Χριστοῦ & Διανοίγειν τὰς γραφάς· explanatore non indigebant amplius paulo poſt divina quadam luce (maiore die Pentecoſtes illuminandi,) colluſtrati; nam *Lucas*, ibid. §. 45, διήνοιξεν, inquit, αὐτῶν τὸν νοῦν, τοῦ συνιέναι τὰς γραφάς. Nunc demum via plana facta eſt ad illa, quae poſui, intelligenda. — Quia hoc uno in loco *Lucas* verbum adhibuit Παρατίθεσθαι, ſignificandi vim, ab uno ſi diſcedas *Erasmo*, nullus interpretum habuit cognitam; primus indicavit Cl. *Hemſterhuſius* in obſervatis ad *Scholia* in *Ariſtophanis* Plutum p. 244; *verba*, inquit, *& teſtimonia ſcriptorum ad probandum citata qui profert & in medium adducit*, *dicitur illa* Παρατίθεσθαι. Poſitis tum *Lucae* verbis, *vertendum*, ait, *erat: locis ex antiqui Foederis volumine teſtimoniisque prolatis adfirmans*. Laudato *Hemſterhuſio*, *Toupius* Emend. in *Suid.* T. III. p. 300. „ Notandum, inquit, „ verbum παρατίθεσθαι. quod haud protritum eſt. Παρα-„ τίθεσθαι eſt *locis veterum allatis rem explanare & confir-„ mare.*" Quod ſcribit *haud protritum* illud eſſe, hoc nempe ſignificatu, de *Suida* quidem, de aliis Grammaticis dici non debet; neque ſcriptores antiquiſſimi illud in iſtum ſenſum adhibere potuerunt. *Athenaeus* certe frequentiſſime utitur iſta ratione verbo Παρατίθεσθαι.

L. II. p. 60. E. III. p. 127. B. VI. p. 269. E. IX. p. 375. F. X. p. 423. F. XI. p. 467. E. 472. E. 479. E. quorum loca nonnulla iam deſignavit, qui vim verbi notiſſimam habuit *H. Valeſius* in *Harpocrat.* p. 33. quam nusquam miror attigiſſe *Caſaubonum* in Anim. ad *Athen.* ubi plerumque ſemper errat in hoc verbo interpres: parcius illud adhibuit ſuis in *Homerum* comment. *Euſtathius*, his forte duobus tantum in locis, ad Il. Γ. p. 286, 11. ad Od. Φ. p. 768, 10. ter quaterve uno in loco Schol. *Pindari* ad Ol. X, 83. Grammaticus *Ammonius* & alibi ſic adhibuit, &, ubi Θεωρὸς & Θεατὴς diſtinguuntur, *Lyſimachiden* iſta ſcribit accurate diſtinxiſſe, *multis* eam in rem *veterum locis prolatis*, καὶ πολλῶν, inquit, παραθέσεις ποιεῖται. ſua ipſius citat *Longinus* π. Ὕ. S. XXIII, 7. καὶ τὸ Πλατωνικὸν, ὃ καὶ ἐπίρροθι παρατεθείμεθα. S. XXXIII, 5. παρατιθέμενος οὐκ ὀλίγα καὶ αὐτὸς ἁμαρτήματα, καὶ Ὁμήρου καὶ τῶν ἄλλων. — *Dionyſius Halicarn.* T. II. p. 302, 35, ὅταν — μαρτύρια φέρῃ, λέξεις τινὰς παρατιθεὶς τῶν χρησαμένων αὐταῖς ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων. — Digna ſunt quae exigantur *Demetrii*, qui dicitur *Phalereus*, π. Ἑρμ. §. 86; Ἔνιοι καὶ ἀσφαλίζονται τὰς μεταφορὰς ἐπιθέτοις τοῖς ἐπιφερομένοις, — ὡς ὁ Θέογνις παρατίθεται τὸ τόξον (legerim, τὸ τοξεύοντα) φόρμιγγ' ἄχορδον, ἐπὶ τοῦ τῷ τόξῳ βάλλοντος. In exemplum talis metaphorae proferuntur etiam ab *Ariſtotele* Rhetor. III. p. 138, 25. ἡ ἀσπὶς dicta Φιάλη Ἄρεος, καὶ, τόξον, Φόρμιγξ ἄχορδος. Sed quis iſte *Theognis*, qui hoc veteris, nobis ignoti, Poëtae proferebat; Rhetor, an alius? vero *Demetrio Phalereo* datur huius nominis ἐρώμενος a *Caryſtio Pergameno* apud *Athen.* XII. p. 542. F. nam libelli *Demetrii* interpres, qui *Theognin* Poëtam intellexit ſic *arcum* vocantem, nihil habuit, quo illud firmaret. — Ex his liquet verbum iſta vi ſatis eſſe *protritum*, quod negabat *Toupius*, neque ſignificare,

re, quod ille aiebat, *locis veterum allatis rem explanare & confirmare*, ſed ſimpliciter *loca* vel *teſtimonia in medium proferre*: duplex iſta vis, quam uni verbo tribuit, duobus ineſt *Lucaneis* Παρατιθεὶς & Διανοίγων· atque hoc ordine, ſi Codices faverent, libenter legerem verba *Lucae* collocata:

Ἐπὶ τρία σάββατα διελέγετο αὐτοῖς, (3) Ἀπὸ τῶν γραφῶν παρατιθέμενος καὶ διανοίγων, ὅτι τὸν Χριστὸν ἔδει παθεῖν, —

Moyſis & Prophetarum loca quaedam proferebat explicabatque, quibus demonſtrabat Meſſiae evenire debuiſſe quae evenerant in Ieſu; atque iſtum Ieſum, cuius doctrinae eſſet praeco, eſſe τὸν Χριστὸν, quem exſpectabant. Antiqui Foederis loca, qualia περιοχὰς etiam dicebant, τόπους, & χωρία, nonnunquam etiam vocabant γραφάς· ſive iam dicatur τινὰς τῶν γραφῶν παρατιθέμενος, ſeu ἀπὸ τῶν γραφῶν παρατιθέμενος· nihil intereſt. Iam vero ὁ παρατιθέμενος καὶ διανοίγων τὰς γραφὰς idem eſt ac ἐπιδεικνὺς διὰ τῶν γραφῶν. — In ſeq. §. 4, qui vix toleranda confidentia his etiam in libris ſacris graſſatur, *Thom. Mangey* verbo, quod nemini fuit unquam ſuſpectum, προσεκληρώθησαν ſubſtitui poſſe putabat προσεκολλήθησαν· hoc ſibi refutandum ſumſit *Weſſelingius* in Epiſt. ad *Herm. Venemam* p. 12. —— Quanto modeſtior *Jer. Marklandus* in hoc ipſo capite *Act.* XVII, 11, vocem εὐγενέστεροι ſuſpicabatur mutari poſſe in εὐμενέστεροι, in nota ad vitam *Lyſiae* ſcriptam a *Dionyſio Halic.* P. LXXI. ego vero vocem illic aptiſſimam alterâ, his in libris, ut in verſione Alex. prorſus inuſitatâ, omnino non mutarem; ſed, ſi paulo plus poſſet auctoritatis conciliari alteri coniecturae, non illibenter in huius cap. XVII, 14. pro θάλασσαν, legerem Θεσσαλίαν, cum *Marklando* in *Lyſiae* p. 509. lin. penult. ubi tam copioſe & eleganter hanc lectionem commendat, ut ferme vetus & genuina videri poſſit; neminem enim, ha-

rum

rum rerum intelligentem, dubitaturum confido, ineſſe his etiam libris hic illic dudum ante vitiata, quam Codices ſcriberentur, qui quidem ad nos pervenere: ſed haerent iſta vitia in locis quae nihil prorſus faciunt ad religionem Chriſtianam, cuius capita toties leguntur repetita, ut vere dici poſſint ad nos perveniſſe ab omni labe intacta.

— Quas in huius cap. XVII. *Act.* §. 19, 20, proponit *Toupius* Em. in *Suid.* T. III. p. 152, 153, mutationes non facile admiſerim. Formula τί ἂν θέλοι ταῦτα εἶναι· eſt & aliorum, & *Lucanea*, *Act.* A. c. II, 12. atque huic certe loco aptiſſima. Pro δυνάμεθα γνῶναι, inſerta negatione legendum putat *Toupius*, οὐ δυνάμεθα γνῶναι· quia abſque illa *oratio quodammodo* ταυτόλογος videbatur *& minus accurata*; mihi vero Δυνάμεθα γνῶναι, — & Βουλόμεθα γνῶναι poſita videntur in eumdem ſenſum. Primum dixiſſe narrantur accuſatores Attici: Δυνάμεθα γνῶναι τίς ἡ καινὴ αὕτη ἡ ὑπὸ σοῦ λαλουμένη διδαχή. dicti rationem clarius indicant his adiectis: Ξενίζοντα γάρ τινα εἰσφέρεις εἰς τὰς ἀκοὰς ἡμῶν. his per parentheſin interiectis, eamdem rem verbis diverſis proponunt: Βουλόμεθα οὖν γνῶναι, τί ἂν θέλοι ταῦτα εἶναι· *libenter itaque cognoscemus, quid iſta ſibi velint.* Poſt pauca etiam interpoſita, ſic orationem redorditur vocula οὖν. quem uſum attigerunt praeter *Hoogeveenium* Doctr. Part. p. 1010. *Dukerus* ad *Thucyd.* p. 226. *Hemſterhuſius* in *Lucian.* I. p. 323. & *Raphelius* Annot. I. p. 374. — ſive autem dicatur Δυνάμεθα γνῶναι· ſeu Βουλόμεθα γνῶναι· nihil intereſt, quum haec verba nonnunquam inter ſe permutentur: in Ev. *Marci* cap. VI, 5. οὐκ ἐδύνατο ἐκεῖ οὐδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι· ſignificari, *nolebat*, οὐκ ἠθέλετο, vel οὐκ ἤθελε, iam dudum ante alios monuit *Henr. Stephanus* in Append. Theſ. Gr. Ling. p. 50. ubi varios verbi ſignificatus recenſet *Gregorius*

Na-

Nazianz. Or. XXXVI. p. 583. attigit & τὸ ἀβούλητον, ὡς τὸ μὴ δύνασθαι ἐκεῖ σημεῖα ποιῆσαι. Scriptores etiam optimi verbum Δύναμαι ſic adhibent, *Xenophon*, K. Π. III. p. 44, 30, οὐδ' ἂν ἐπίσταιντο ἐργάζεσθαι, οὐδ' ἂν δύναιντο. Symp. p. 516, 8. ἀφικτέον — φιλημάτων — τῷ σωφρονεῖν δυνησομένῳ, ſed hunc uſum Philologi ſatis iam adfirmarunt.

Act. c. XVIII, 9, 10,

Mutata tantum interpunctione haec cenſuit adiuvanda *Lennepius* in *Phalar.* Ep CIX. p. 315. mihi verba videntur ad mentem *Hemſterhuſii* ſic transponenda, ut legamus:

Μὴ φοβοῦ, ἀλλὰ λάλει, καὶ μὴ σιωπήσῃς, διότι λαός ἐστί μοι πολὺς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ· καὶ οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι τοῦ κακῶσαί σε, διότι ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ. ——

Act. c. XX, Comma primum libenter legerem una voce auctius, quam ſexdecim minimum Codices optimi ſubminiſtrant:

Μετὰ δὲ τὸ παύσασθαι τὸν θόρυβον, προσκαλεσάμενος ὁ Παῦλος τοὺς μαθητὰς, καὶ [παρακαλέσας] ἀσπασάμενος ἐξῆλθε πορευθῆναι εἰς τὴν Μακεδονίαν.

Mox de aliis illud auditoribus repetitum, fecit ut priore loco omitteretur. — Mirum eſt ex nullo Cod. quid varietatis enotatum, quod quidem ad rem ſit, in iſtis §. 4, quo Paulum in Aſiam comitati narrantur

Σώπατρος Βεροιαῖος· Θεσσαλονικέων δὲ, Ἀρίσταρχος καὶ Σεκοῦνδος καὶ Γάϊος Δερβαῖος καὶ Τιμόθεος· Ἀσιανοὶ δὲ Τυχικὸς καὶ Τρόφιμος.

Quia neſciebant quo pertineret Δερβαῖος, media ſic ſine interpunctione reliquerunt. *Grotio* τὸ Θεσσαλονικέων *pertinere* videtur *ad quatuor quae ſequuntur nomina:* ſic *Gaïus* diceretur Theſſalonicenſis, & ſimul Derbenſis, vel *Derbaeus; origine Derbaeus*, inquit *Grotius*, *natus*

natus in Macedonia; ſed, ubi prima vice nominatur, cur potius *Macedo* diceretur, quam *Derbaeus Act.* c. XIX, 29. illic diſerte *Lucas* Γάϊον dicit καὶ Ἀρίσταρχον Μακεδόνας, συνεκδήμους τοῦ Παύλου· imo Macedones, ſive Theſſalonicenſes, de his tres fuere:

Ἀρίσταρχος, καὶ Σεκοῦνδος, καὶ Γάϊος·

cuias vero Timotheus fuit; an huius unius patria non fuiſſet memorata? imo vero *Derbaeus* fuit: καὶ in δὲ mutato (& ſolent iſtae voculae ubique in Codd. permutari) feliciter olim emendavit *Adr. Heringa*, Leovardienſis Medicus,

Δερβαῖος δὲ Τιμόθεος·

qua orationis forma ſubiungit *Lucas*:

Ἀσιανοὶ δὲ Τυχικὸς καὶ Τρόφιμος.

Paulo non innotuit ante Timotheus, quam in urbes Lycaoniae Lyſtra & Derben veniſſet: in has urbes cum Barnaba fugit ex vicina Iconio *Act.* c. XIV, 6. haeſit primum Lyſtris; venit Derben, ibid. §. 20. poſt varia itinera cum rediiſſet in haec oppida, *Act.* XVI, 1, Timotheum, fidum comitem futurum, ſibi adſumſit, matre Iudaea natum, patre gentili. —— Non quidem in v. Δέρβη· ſed a *Stephano* tamen *Byz.* in v. Ἄβαι, duplex adnotatur ἐθνικὸν, Δερβήτης καὶ Δερβαῖος. —— Ex reliquis aliquoties a *Paulo* memoratur Τυχικὸς, a quo diverſus fuit *Fortunatus*: Φορτουνάτου fit ſemel mentio 1 Ep. ad *Cor.* c. XVI, 17; adoleſcentis *Eutychi* noſtro cap. *Act.* XX, 9. pro Εὔτυχος rectius illic, iudice *Grotio*, ſcriberetur Εὐτύχης· ſed qui dicitur a Graecis ſemper Αἰσχίνης, *Aeſchinus* eſt in Adelphis *Terentii*, eſtque ſervuli nomen bene ominatum *Eutychus* aliquoties in lapidibus antiquis; quod *Pricaeus* iam monuit. — Paulo poſt occurrit loquendi formula, cuius ſimilem nusquam legi: ἤλθομεν πρὸς αὐτοὺς εἰς τὴν Τρωάδα

ἄχρις

ἄχρις ἡμερῶν πέντε·

optime *Beza: au bout de cinq jours. intra dies quinque:* πλεύσαντες oportet a lectore repetatur ex vicino ἐξεπλεύσαμεν· ut *Grotius* animadvertit: non dubito, quin vulgata hic ſcripſerit *Lucas*, a quo ſcribi potuerat, una voce [ἤλθομεν] — πεμπταῖοι. quod eſt in Cod. Cantabrig. ut certe ſcripſit *Act.* c. XXVIII, 13, δευτεραῖοι ἤλθομεν εἰς Ποτιόλους. de Lazaro ſcriptum τεταρταῖός ἐστι, *Ioann.* Ev. c. XI, 39. de Armenio *Plato* de Rep. X, p. 614. δωδεκαταῖος ἀνεβίω· apud *Athen.* XIII. p. 606. F. mulier in India moriens elephanti commiſit παιδίον αὐτῆς τριακοσταῖον, *triginta dies natum.* — Quod vero ne dignum quidem memoratu indicarunt alii, a ſpectatiſſimis aliquot Codicibus, pro Ἔκρινε, oblatum κεκρίκει a *Luca* ſcriptum arbitror

§. 16. Κεκρίκει γὰρ ὁ Παῦλος παραπλεῦσαι τὴν Ἔφεσον. id ipſum Latinus expreſſit Interpres, *Propoſuerat.* iſtius plusquamperfecti omiſſi ſunt in hoc quoque libello *Lucae* exempla, περιπεπατήκει· πεπιστεύκεισαν, *Act.* c. XIV, 8, 23. plura in Ev. *Marci*, quae *Iungermannus* iam attigit ad *Longi* Paſtor. p. 215. de re tantilla, qui nihil in hoc genere negligendum indicabant, adnotare nonnulla viri dignati ſunt primarii *H. Stephanus* in Append. Theſ. Gr. L. p. 147. *Iſ. Caſaubon.* Anim. in *Athen.* II. c. XV. etiam plura *T. H.* in Miſcell. Obſerv. IV. p. 291. In ſcriptis Atticorum veterum rarius iſta litera negligitur; tempus tamen iſtud verborum frequenter adhibent; quaeque recentiorum Atticorum auribus accidiſſent duriora, reperiuntur in *Thucydideis* iſta: προσβεβοηθήκει· ἐπιβεβλαστήκει (p. 182, 36) νενικήκει· ἐσβεβλήκει· ἐσπεπλεύκει· προκεχωρήκει (325, 57. ut 324, 26;) προτετελέκει· ἀντικεκρούκει· ἐπιπεποιήκει· ὑπερβεβλήκει. In P. 182, 35. ex Codd. recipi debuerat (hoc in *Thucydide* centenis vicibus repeti poterit) ὥστε

ἐπι-

ἐπιβεβλαστήκει. — ſed in his omnibus ſyllaba poſtrema ſcripta fuit ab ipſo *Thucydide* — κει. teſte Grammaticorum doctiſſimo *Heraclide* ap. *Euſtath.* in *Hom.* Od. ψ. p. 813, παραδίδωσι Ἡρακλείδης, ὅτι Ἀττικοὶ τοὺς τοιούτους ὑπερσυντελικοὺς ἐς τῷ η μόνῳ περατοῦσιν, ἤδη λέγοντες, καὶ ἐπεποιήκη, καὶ ἐπεποιήκη· — καὶ Θουκυδίδης δὲ κέχρηται τῷ τοιούτῳ Ἀττικῷ ἔθει. his interiecta forte quis miretur, teſte tamen idoneo, *Panaetio* firmata: καὶ οὕτω φησὶ Παναίτιος ἔχειν τὰς γραφὰς παρὰ Πλάτωνι. conf. *Suidas* in Ἐπεπόνθει καὶ ἑωράκη. indignus erat *Phavorinus*, quem hac in re advocaret *Maittairius* de Dial. p. 64. — Ad *Lucaneum* Κεκρίκει propius accedit *Xenophonti*, pro πέπεικε, reddendum K. A. VI. p. 224, 36, *dicere audebant*, ὡς — βουλόμενος τὸ χωρίον οἰκίσαι, πεπείκει τὸν μάντιν vel ἐπεπείκει· ſed haec ipſa pag. paulo ſuperius, vſ. 28, praebet τετελευτήκει.

Act. Cap. XXI, 6, in his,

Καὶ ἀσπασάμενοι ἀλλήλους ἐπέβημεν εἰς τὸ πλοῖον.

Nihil deſideramus: quod vero in nonnullis eſt Codd. antiquiſſimis, ἀπησπάσμεθα & ἀπησπασάμεθα ἀλλήλους, καὶ ἐπέβημεν·. ſuſpicionem moveat, in antiquioribus lectum:

Καὶ ἀπεσπάσμεθα ἀλλήλων, καὶ ἐπέβημεν· ab amicorum Tyriorum complexu, qui iter Paulo Hieroſolymitanum diſſuaſerant, vix potuerant avelli. — In §. 15. male vulgatas Edd. occupat ἀποσκευασάμενοι· vera Codicum ſcriptura a Criticis probata proſtat:

Ἐπισκευασάμενοι ἀνεβαίνομεν εἰς Ἱεροσόλυμα. — Vbi Codices dant & Edd.

§. 38. Τοὺς τετρακισχιλίους ἄνδρας τῶν σικαρίων·

quos planus quidam Aegyptius tumultu excitatos in deſertum abduxerit; unus Codicum tantum habet

τοὺς τετρακοσίους·

qui numerus (400) forte nonnullis magis placebit, quam de-

decemplicatus; propius accedens ad numerum, cuius meminit *Ioſephus* Ἀρχ. XX c. VIII, ſect 6 *Felix* τετρακοσίους μὲν αὐτῶν ἀνεῖλε, διακοσίους δὲ ζῶντας ἔλαβεν. eorum nempe, quos Hieroſolymis abduxerat τις ἐς Αἰγύπτου, προφήτης εἶναι λέγων.

Act. c. XXIII, 8, 9

In comma huius cap. ſextum υἱὸς Φαρισαίου ex optimis mihi Codd. recipi poſſe videtur, tanquam accommodatius ad movendos iſtius ſectae ſenatores, ſi non patrem tantum, ſed & maiores habuiſſet *Paulus* eidem normae addictos: movendis autem animis aptiſſima *Paulus* adhibuit, hic etiam ſapiens articulorum temporis aeſtimator: de genere, non de inſtituto, hoc tantum accipi poteſt: ad Philipp. ſcribens cap. III, 5, ſum, inquiebat, Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων, κατὰ νόμον Φαρισαῖος. hoc ad Codicum lectionem labefactandam fruſtra fuit a *Io. Iac. Wetſtenio* citatum. — Sed quae cap. noſtri §. leguntur 8, & 9.

Σαδδουκαῖοι — λέγουσι, μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα· Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα.

9. [Qui ab altera parte ſtabant, nihil in Paulo mali invenire ſe dicebant] εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ, ἢ ἄγγελος, μὴ θεομαχῶμεν.

Cum ἄγγελοι & πνεύματα eiusdem eſſent generis, nihil adeo difficultatis erat in voce ἀμφότερα· & commode haec comparat *Lennepius* cum iſtis in *Phalaridis* Epiſt. 1, σὺ ἀμφότερα, καὶ μήτηρ αὐτῷ, καὶ τροφὸς, καὶ πατὴρ ἐγένου. Cui eadem erant ad manum, *Ier. Marklandus*, *Euripidis* Supplicibus Explicationes ſubiecit veterum aliquot auctorum: harum ultima ſpectat hunc locum *Lucae*, a p. 282 — 288; novam dat illic interpretationem certe vocis πνεῦμα. Πνεῦμα hoc in loco ſecundum *Markl.* eſt *ſpiritus malus*; Ἄγγελος, *ſpiritus bonus.*

nus. —— Proxima ſenſit obeſſe vehementer ſuae opinioni, εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ, ἢ ἄγγελος, μὴ θεομαχῶμεν· quomodo enim Deo dici poterat obniti, qui homini repugnaret *agenti per impulſum ſpiritus mali?* De ſua tamen vocis Πνεῦμα interpretatione perſuaſus, ſic iſta cenſet interpungenda *Marklandus:*

> Εἰ δὲ Πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ· —— ἢ ἄγγελος, μὴ θεομαχῶμεν.

figuram ἀποσιωπήσεως, ut vocat, hic ſtatuit, a lectore ſupplendae per ταχέως φανερωθήσεται. vel hoc modo, ἡ βουλὴ καὶ τὸ ἔργον τοῦτο καταλυθήσεται. iſtius figurae primum producit exemplum ex Ev. *Lucae* c. XIII, 9, de ficu dictum: κἂν μὲν ποιήσῃ καρπόν· εἰ δὲ μήγε, εἰς τὸ μέλλον ἐκκόψεις αὐτήν. huius ſimillima dat *Xenophontis* quaedam aliorumque, atque ex optimis Scriptoribus plurima ſibi huius generis ſcribit ad manum eſſe. — hoc equidem non miror, cui talia permulta quoque ſunt in numerato; multo magis miror non vidiſſe *Marklandum*, quantum illa diſtent ab his Lucaneis, quae, ut cum illis comparari quodammodo poſſent, ſcribi ſaltem debuiſſent:

> Εἰ μὲν πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ, —— εἰ δὲ ἄγγελος, μὴ θεομαχῶμεν.

Vbicunque enim illud obtinet ἀνανταπόδοτον, formulae conditionali ſemper adſunt iſta, εἰ μὲν — εἰ δέ· vel ἐὰν μὲν, — ἐὰν δέ. Deinde per ellipſin in priore parte ſemper ſupplendum relinquitur εὖ ἂν ἔχοι, vel καλῶς. *Tryphon* in libello inedito περὶ Τρόπων,* ubi de ellipſi agens attulerat notiſſima *Homeri*, Ἀλλ' εἰ μὲν δώσουσι γέρας· ἐκλείπει, inquit, τὸ καλὸς (imo καλῶς) ἂν ἔχοι· ἀπεκρίματο γὰρ ἡ διάνοια. atque ita plene loqui ſolet *Lucianus*, T. I. p. 708, 709, ἢν μὲν οὖν κατ' ἀξίαν — ὑποκρίνωμαι, εὖ ἂν ἡμῖν ἔχοι· — εἰ δὲ μή, ἀλλὰ σὺ προσθήσεις τὰ ἐνδέοντα. conf. T. II. p. 69. — Iam vero καλῶς vel

εὖ

οὐ ἂν ἔχοι, in talibus ſupplendum, quam parum quadrat *Marklandi* interpretationi! Nullam ego cauſam video, cur aliter illic πνεῦμα acciperetur, quam vulgo ſolet accipi. Moſaïcas Leges ſuo quodam modo obſervantes, Sadducaei animas immortales eſſe negabant; omnem ſuam ſpem habentes in hac vita collocatam, atque in civitate regenda tranquillitati publicae propterea maxime ſtudentes, hinc Hieroſolymis fuerunt acerrimi Apoſtolorum, quos civitatis habebant perturbatores, adverſarii, *Act. A.* c. IV, 2, διαπονούμενοι διὰ τὸ διδάσκειν αὐτοὺς τὸν λαὸν, καὶ καταγγέλλειν ἐν τῷ Ἰησοῦ τὴν ἀνάστασιν τῶν νεκρῶν. cap. V, 17, ἐπλήσθησαν ζήλου· conf. illic §. 28, 33. Senatores Sadducaeos in mitiorem ſententiam flexit, auctoritate potens Phariſaeus, Gamaliel, perſuaſitque collegis, ut miſſos facerent captivos, μήποτε, aiebat, καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε· ſi nempe divinitus iuſſi docerent. — In eamdem mentem noſtro in loco Phariſaei ad Sadducaeos ſynedros, εἰ δὲ, inquiunt, πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ ἢ ἄγγελος, quod Gamalielis more loquendi diceretur, εἰ δὲ ἐκ Θεοῦ ἐστι τὸ ἔργον τοῦτο, ſi vero divinitus iuſſus loquitur Paulus, *Deo repugnare non tentemus*, μὴ θεομαχῶμεν. Animam qui putabant cum corpore perire, eo ipſo negabant πνεύματα dari a corporibus ſeiuncta, aut his renovatis reditura, atque adeo τὴν ἀνάστασιν· de qua, aeque ac Chriſti ſectatores, perſuaſi erant Phariſaei, &, paucis Sadducaeis exceptis, plerique omnes Iudaei. Quod itaque de Sadducaeis hic ſcribit *Lucas*, nihil adeo, quantum video, habet impediti. — πνεῦμα ſimpliciter poſitum de ſpiritu malo eſſe accipiendum, niſi ubi ſermo eſt de *malo genio agitatis*, nemini facile ſua iſta adnotatione perſuadebit Eruditiſſ. *Marklandus*.

Eadem ſi ratione pergerem in Epiſtolis Paulinis ceteris

teriſque tractandis, hic libellus in nimiam certe molem exceſceret: perpauca tantum illinc loca leviter attingam, unum enucleatius tractaturus.

In Ep. *ad Roman.* c. III, 9, verba,

Τί οὖν, προεχόμεθα;

litera ex Alex. Cod. producta, legenda ſunt

Τί οὖν προεχώμεθα;

Quid itaque praetexemus? haec paulo rarior verbi ſignificatio, interpretibus ignota, fecit, ut *Paulina* non intelligerentur. Προέχεσθαι, Attice ſcriptum Προὔχεσθαι, frequentius Προΐσχεσθαι, ſignificat *praetexere*, quod vulgo dicebatur προφασίζεσθαι· ſic in *Sophoclis* Antig. v. 80, Προὔχοιο Grammatici recte interpretantur: a *Thoma Mag.* in Προΐσχω, προέχεσθαι *Thucydidis* munitum fuit auctoritate e L. I. p. 92, 57. cui illud alibi reſtituendum eſt; adhibitum ab *Herodoto* II, c. 105. *Ariſtophane* Nub. v. 1388. aliisque.

Ep. *ad Rom.* cap. XII, 3,

Λέγω — παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν·

ſpecioſa mihi fuit olim viſa coniectura amiciſſimi Theologi, legentis ſyllaba repetita,

τῷ ὄντι τὶ ἐν ὑμῖν·

ſed his in libris, qui ſibi eſſe videntur *aliquid*, dicuntur etiam οἱ ὄντες· quod recte *Lennepius* animadvertit in Epiſt. *Phalar.* p. 241. Sunt autem οἱ ὄντες τὶ qui dicuntur a *Platone* οἱ δοκοῦντες εἶναί τι, T. I. p. 472. A. T. II. p. 122. D. p. 247. B. — In comma praecedens recipienda ſunt ex Codd. συσχηματίζεσθαι, & μεταμορφοῦσθαι· cum verbo Παρακαλῶ connectenda.

1 Epiſt. *ad Corinth.* c. II, 4,

Quamvis in id conſentiant Critici, ut vocem non Graecam

cam πειθοῖς indignam cenſeant *Paulo*, repertus tamen eſt *Wolfius*, qui illam ſuo more ſervandam ſtatueret: inter diverſas coniėcturas verae lectionis magnam habet ſpeciem, quam propoſuit in Addendis ad notata in Gloſſ. Gr. in Libros N. F. *Io.* Noſter *Alberti:*

Οὐκ ἐν πειθοῖ [καὶ] ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις. — Cum vero hic a ſpectatiſſimis Codd. abſit vox ἀνθρωπίνης, ex commate 13 repetita, mihi videtur *Pauli* manum conſervaſſe *Io. Chryſoſtomus* in Orat. IV. de Laud. Pauli, T. II. p. 495. c. hanc nempe:

Οὐκ ἐν πιθανοῖς σοφίας λόγοις.

diverſa tantum eſt pronunciatio, quod illic legitur, πειθανοῖς· non aliter legit *Anianus*. qualis deſignaretur σοφία in iſto dicto, Corinthiis non magis erat obſcurum quam cap. I, 17, οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου. & ſunt πιθανοὶ σοφίας λόγοι idem ac πιθανολογία in Epiſt. ad Coloſſ. c. II, 4.

1 *Cor.* cap. XII, 2.

Οἴδατε ὅτι ἔθνη ἦτε, πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα, ὡς ἂν ἤγεσθε, ἀπαγόμενοι.

Pro ὅτι duas voculas praebent ſcripti Codd. optimi, ὅτι ὅτε· utramque omnino recipiendam arbitror, ita tamen, ut verbum etiam ἦτε bis a *Paulo* ſcriptum putem, atque ita hunc locum inſtaurandum: Οἴδατε ὅτι, ὅτε ἔθνη ἦτε, ἦτε πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα, ὡς ἂν ἤγεσθε, ἀπαγόμενοι. quae commode converti poterunt: *Noſtis, cum gentiles eratis, ad idola vos muta caeco fuiſſe impetu abreptos:* ὡς ἂν ἤγεσθε· *ut* ante a Sacerdotibus veſtris tanquam bruta pecora *ducebamini:* illud cur non *caeco impetu* redderemus?

— In Capitis ſequentis XIII. comm. 12, pro βλέπομεν ex uno ſaltem Cod. enotatum, βλέπωμεν in duo diſtra-

ctum dat huic loco congruum: Βλέπω μὲν γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου· ſequitur enim, ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους.

1 ad *Cor*. c. XV, 6,

Ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ.

Bezae coniectura legentis πεντήκοντα omnem hic difficultatem tollit; eſtque unius literae differentia: pro πεντήκοντα ſcribebant ν', pro 5000, φ'. Fac hic υ' fuiſſe ſcriptum, indicem *quadringentorum*: haec litera in φ' facile potuit transmutari. In ſequenti commate,

Ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ. εἶτα τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν·

ſuſpicabatur Clariſſ. Theologus, vocem ultimam πᾶσιν in τέλει eſſe convertendam: quae mihi quidem egregia ſemper viſa fuit huius loci emendatio. — In comm. 9 duo ſaltem Codd. articulum non agnoscunt, atque ita ſcripſiſſe *Paulus* videtur: ὡσπερεὶ ἐκτρώματι ὤφθη κἀμοί. non diſpliceret, quod aliis venit in mentem ὥσπερ τῷ ἐκτρώματι· ſi Atticum illud τῳ, τῳ. pro τινὸς, τινὶ, his in libris reperiretur: τῳ πράγματι, 1*Theſſ*. c. IV, 6, ſcribendum putabat *Conr. Rittershuſius*. —— Quod vero paulo ante dicebam, de numeralibus una litera deſignatis, dubium nullum eſt, quin in Codicibus horum etiam librorum numeri ſic fuerint ſcripti; quem morem ſeculo iam II. & III. obtinuiſſe docuit *Io. Iac. Wetſtenius* in Prolegom. ad N. T. c. I. §. 8. — In *Act. A*. c. XIII, 20, Codices dant antiquiſſimi ἔτεσιν υ' καὶ ν'. id eſt τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα. *Act*. c. VII, 23, pro τεσσαρακονταετὴς in Cantabrig. Cod. ſcriptum μ' ἐτής· vid. *R. Bentleii* Epiſt. ad *Mill*. p. 63. ſ. *Io. Millius* & *Wetſtenius* ad Ev. *Marci* c. XV, 15. Ev. *Ioann*. c. XIX, 14. Ex hoc more ſcribendi multa ſunt adhuc in libris Graecis vitiata.

In reliquas etiam Epiſtolas, iſtorum ſimilia multa

ſunt

ſunt ad manum, in Epiſtolam praeſertim *ad Hebraeos:* ſed hinc unicum nunc locum ſatis erit attigiſſe:

Epiſt. *ad Hebr.* c. IX, 19,

> Λαβὼν τὸ αἷμα, —— αὐτό τε τὸ βιβλίον καὶ πάντα τὸν λαὸν ἐῤῥάντισε.

Hic mirum eſt ne unum quidem Codicem memorari, in quo καὶ ſit omiſſum; quod omnino delendum cenſeo; pertinent enim iſta, αὐτό τε τὸ βιβλίον, ad λαβὼν, non utique ad ἐῤῥάντισε· quod de populo tantum dici debuit, non de libro Legis: *Moyſis* Exodus c. XXIX, 6, 7, 8, & rei ipſius natura poſtulant, ut ſic iſta legamus.

1 Epiſt. *Petri* cap. I, 13,

> Διὸ ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας ὑμῶν, νήφοντες, τελείως ἐλπίσατε ——

lumbos mentis, τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας qui dixerit, niſi his *Petrinis* ſic ſcriptis uſus, nemo facile reperietur: multum hinc diſtat, *iuſtitia*, tanquam cingulo, δικαιοσύνῃ ἐζωσμένος τὴν ὀσφῦν αὐτοῦ, *Ieſaiae* cap. XI, 5. — Quantillum differunt τῆς διανοίας & τῇ διανοίᾳ· hoc reſtituamus *Petro*; & aliorum more ſcripſiſſe videbitur:

> Διὸ, ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας, τῇ διανοίᾳ ὑμῶν νήφοντες, τελείως ἐλπίσατε ——

Hoc uſu figurato Νήφειν, ab *Epicharmo Siculo* iam uſurpatum, aliquoties adhibuerunt *Plato*, *M. Antoninus*, aliique: διάνοιαν νήφουσαν dixit *Ioannes Chryſoſtomus* T. III. p. 153. B. E. τοῦ λογιστικοῦ νήφοντος, *Euſtathius* in *Hom.* Il B. p. 129, 30, conf. *Gataker* in *M. Antonin.* p. 25. B.

Huic ſpecimini finem imponam, poſtquam unicum adhuc locum ex ſecunda Epiſt. *Petrina*, a Philologis neglectum, pertractavero: cum alia dixiſſet de falſis

doctoribus, qui in Chriſtianorum coetus irrrepebant, de quibus *Iudas* ſimilia tradit in Epiſt. §. 4, haec leguntur:

II Ep. *Petr.* c. II, 3,

Καὶ ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται.

Multa veterum, recentiorum quoque loca ſunt ad manum, verbum ἐμπορεύεσθαι adhibentium; ſed diligenti perveſtigatione nihil inveni, quod ad hanc ſtructuram reſponderet: & dudum mihi perſuaſi, ab ultima ſyllaba vocis λόγοις praepoſitionem εἰς eliſam: hac reſtituta, ſi legamus,

ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις εἰς ὑμᾶς ἐμπορεύσονται — ſenſus enaſcetur egregius, qui interpretes certe latuit: *ſordidi quaeſtus gratia ſermonibus adulterinis fraudulentam inter vos exercebunt mercaturam*; aut, ſi quis ita malit: *venient ad vos iſtius turpis quaeſtus faciendi cauſa*. Hoc autem quam confirmetur, ſcrupulus eximendus eſt, quem *ἐμπορεύεσθαι* hic adhibitus facile alicui iniiceret: attulit ſcilicet ad haec illuſtranda *Raphelius* Annotat. T II. p. 767, *Polybii* locum, in quo πολλὰ — ἐμπορευόμενος, ab illo repertum, redditur, *multâ proprii lucri cauſſa iactans*: minus auſpicato: locus ille nihil huc faceret, ſi verbum eſſet Graecum, quod ego quidem negare non dubito. Eſt illud in excerptis ex ultima legatione p. 1357, de Critolao Achaeorum duce: πολλὰ δή τινα πρὸς ταύτην τὴν ὑπόθεσιν ἐμπορευόμενος καὶ μεθοδευόμενος ἐτόλμα καὶ παροξύνει τοὺς ὄχλους voci non Graecae ἐμπορευόμενος legitimam ſubſtituo corrigens ῥητορευόμενος, *multa in iſtam ſententiam verba profundens*: eadem ſtructura *Heliodorus* Aeth. VIII. p. 370, πρὸς ταῦτα ῥητόρευε, καὶ δίκαια καὶ πρέποντα καὶ συμφέροντα μάτην ἐξεζήτουν conf. *Lucianus* T. II. p. 66. *Plutarch.* T. I. p. 467. D *Io. Chryſoſt.* T. III. p. 307. C & D'*Orvillius* Anim. in *Chariton.* p. 503. — Noſtro loco εἰς ὑμᾶς,

μᾶς, more Graecienſium poſitum, accipi commode poteſt pro ἐν ὑμῖν vel phraſin reddit praegnantem, atque ita reddi poterit, ut paulo ante dicebam. Quem *vendiderunt in Aegyptum abducendum*, Ioſephum ἀπέδοντο εἰς Αἴγυπτον, *Act A.* c. VII, 9. quomodo πραθῆναι εἰς Λιβύην dixit *Herodot* II. c 54. & c. 56. Quinimo noſtrum verbum, ſed proprio ſenſu, Iudaeus ſic adhibuit interpres *Hoſeae* c. XII, 1, ἔλαιον εἰς Αἴγυπτον ἐνεπορεύετο· quod legitur *Ezech.* c XXVII, 13, ἐνεπορεύοντό σοι ἐν ψυχαῖς ἀνθρώπων peperit nobis additamentum in duobus Codd. repertum *Apocal* c. XVIII, in fine comma is 14, ὅτι ψυχὰς ἀνθρώπων τ̃ λοιπῦ ἐμπορεύσῃ. ubi mox, § 15, memorantur οἱ ἔμποροι — οἱ πλουτήσαντες ἀπ' αὐτῆς. — Sed vera vis verbi Ἐμπορεύεσθαι in loco *Petrino* aliunde eſt adfirmanda, & paulo plenius declaranda: *Athenaeus* L XIII. p. 569. F. Ἀσπασία, inquit, ἡ Σωκρατικὴ ἐνεπορεύετο πλῆθη καλῶν γυναικῶν· optime *Caſaubonus* interpretatur: *Aſpaſia — multas habuit forma praeſtantes foeminas, ex quibus quaeſtum faciebat.* Non origine tantum, ſed & in uſu quotidiano diſtabant Ἔμποροι *vagi mercatores*; & Κάπηλοι, *inſtitores puſilli*; qui merces, quas emunt a mercatoribus magnariis ſtatim vendendas, ut maiorem quaeſtum faciant, ſolent adulterare: quia vero ſaepius ne cocionum quidem fraudibus abſtinent mercatores, evenit, ut adpellationes iſtae ſaepe fuerint in idem hominum genus translatae: ſalſus ille ſuae aetatis ſophiſtarum (*ſic adpellantur, qui oſtentationis aut quaeſtus cauſa philoſophantur*, inquit *Cicero* Acad II c. 23,) irriſor, *Plato* in Protag. T. I. p. 313. C. ὁ σοφιστὴς, ait, τυγχάνει ὢν ἔμπορός τις ἢ κάπηλος τ̃ ἀγωγίμων, ἀφ' ὧν ψυχὴ τρέφεται conf. L. VII. de Rep. T. II. p. 525. C. Quando non de mercatoribus aut cocionibus uſurpantur, proprie ſic dictis, ſed figurate de ſapientiae, vel

iuris, vel cuiuscunque rei honeſtae turpi nundinatione, perparum uſu diſtant Καπηλεύειν & Ἐμπορεύεσθαι. Hoc non animadverſum effecit, ut nemo interpretum, quos quidem ego noverim, locum quemdam *Pauli* aptiſſimum cum *Petrino*, comparaverit; niſi quod *Erasmus* in transcurſu, dum *Paulina* tractabat, *Petri* meminit. Καπηλεύειν, cum adhibetur figurate, ſemper ponitur in vitio: teſte Etymologo p. 490, 11, ipſe iam *Aeſchylus* τὰ δόλια πάντα καλεῖ Κάπηλα· — κάπηλα προσφέρων τεχνήματα. ſic iſta dedit e perdito dramate petita *Stanleius*; ſcribi rectius potuerat pars ſenarii:

— κάπηλα προσφέρων τεχνήματα.

ubi eadem dat *Suidas* in v. Κάπηλος legitur & προσφέρων. rariori hoc uſu, quem illinc didicerat, vocem adhibuit *Aelianus* apud *Suidam* in v. Κορινθος· — μετ' ἄλλων τῶν αἰσχρῶν καὶ κιβδήλων τε καὶ καπήλων καὶ ἥκιστα ἐλευθέρων ἁλισκόμενοι· quae prorſus ſophiſtam ſapiunt, & illius eſſe monuit *Toupius* Em. in *Suid.* II. p. 107. — Sed Ἐμπορεύεσθαι, etiam ubi ponitur figurate, honeſtae negotiationis admittit ſignificatum; ubicunque vero de ſophiſtis adhibetur, de iudicibus, ſimilibusque, ſemper ſignificat *ſordide rem quaerere*, ſive *inhoneſtum quaeſtum facere*, *mercibus* frequenter *adulteratis*: De Pythagora *Lyſis* in Epiſt. ad Hipparchum: οὐ κιβδήλως ἐνεπορεύετο λόγως, οὐδὲ μὰν πάγας, ταῖς τοὶ πολλοὶ τῶν σοφιστᾶν τὼς νέως ἐμπλέκοντι· *non adulterinos* ille *ſermones venditando turpem faciebat mercaturam*, *neque ſane laqueos* ponebat, *quibus iuvenes irretire ſolet ſophiſtarum vulgus.* ſic iſta legenda ſunt, ubi κιβδήλοις λόγοις *Arcerius*, vel forte *Petrejus Tiara*, ſcribi malebat: utrumque dicebatur, λόγως ἐμπορεύεσθαι, & ἐμπορεύεσθαι λόγοις, ſive ἐμπορίαν λόγων ἐμπορεύεσθαι· vid. *Platonis* Epiſt. II. T III. p. 313. E. *Platonis* diſcipulus Hermodorus, qui praeceptoris commentarios in Siciliam deportare

ſue-

ſueverat, atque illinc turpem inter Sicilienſes quaeſtum facere, hoc fuit verſu notatus, cuius initium eſt in *Ciceronis* ad Att. XIII. Epiſt. 21,

Λόγοισιν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται.

verſus is, quia vim habuit proverbii, ſervatus, ſic legitur apud *Suid.* & in *Append. Vatic.* Cent. II. Prov. 63. *Zenobius* dat Λόγους Ἑρμ. Cent. V. Prov. 6. (ubi λόγους κομίζων ſcribendum pro λογισμοὺς) unde *Eraſmus* & *Scaliger* fecerunt, Λόγους γὰρ — *Caſaubonus*, Λόγους μὲν Ἑρμ. ſed melior illic eſt altera ſcriptura, quam firmat etiam *Cicero*. quamvis ſaepius quartus caſus adiungatur etiam in iſtiusmodi locutionibus, velut a *Philone Iudaeo* (Vet. Ed.) p. 863. D. p. 903. B. ubi Therapeutae dicuntur τὴν συνήθη φιλοσοφίαν ἐμπορευσάμενοι· p. 984. ἐνεπορεύετο τὴν λήθην τῶν δικαστῶν· *ex oblivione iudicum turpem faciebat quaeſtum:* accedit ἐκαπήλευε τὰς δίκας *Philoſtrati* p. 221. quamque vocat *Cicero nundinationem iuris* Or. de Lege Agr. c. III. qui dixit in eiusdem Or. c. XXV, *emendi & vendendi quaeſtuoſiſſimam ac turpiſſimam mercaturam.* Suſpicor illum ſcripſiſſe II. in Verrem c. 48, *ecqua res — expetitur, — quin eam tu ad tuum quaeſtum nundinationemque* honorum *traduxeris*; ubi *hominum* vulgatur. — egregie *Io. Chryſoſt.* T. III. p. 82. A. nihil ait turpius, ἢ ὅταν τις τὴν πενίαν τοῦ πλησίον ἐμπορεύηται, nimium foenoris exigens pecuniae commodatae: p. 221. E. γυναῖκας ἐμπορευομένας τὰς ἀλλοτρίας συμφοράς. — Qui dicuntur a *Petro* ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ἐμπορευόμενοι, bis in Epiſtolis interpolatis *Ignatii* vocantur Χριστέμποροι. Epiſt. ad Magnes. §. IX, Χριστέμποροι, τὸν λόγον καπηλεύοντες, καὶ τὸν Ἰησοῦν πωλοῦντες. Epiſt. ad Trall. §. VI, eosdem illos ſemi-Iudaeos, ore tenus Chriſti nomen profeſſos, graviter inſectatur, εἰσὶ γάρ τινες, ait, ματαιολόγοι καὶ φρεναπάται,

πάται, οὐ Χριστιανοὶ, ἀλλὰ Χριστέμποροι, ἀπάτῃ περιφέροντες τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, καὶ καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ εὐαγγελίου. nonnulla notavit *Cotelerius* p. 57. Suo etiam ſeculo tales novit *Gregorius Nazianzen.* cuius vid. T. I. p. 392. C. p. 623. C. & p. 643. D. ubi iunguntur Χριστοκάπηλοι καὶ Χριστέμποροι. T. II. p. 28. A.

Τὸν συρφετὸν δὲ τῶν πολλῶν Χριστεμπόρων.

Ex dictis manifeſtum eſt, *Pauli* locum ex II Epiſt. ad Corinth. c. II, 17, cum *Petrino* componi debuiſſe diligentius: *Petrini* πλαστοῖς λόγοις ἐμπορευόμενοι, *Ignatii* Χριστέμποροι, dubium nullum eſt quin a *Paulo* dicantur καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. οὐ γάρ ἐσμεν, inquit *Paulus*, ὡς οἱ λοιποὶ, καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. quod illic octodecim minimum optimi Codd. praebent, λοιποὶ pro πολλοὶ, recipiendum arbitror: ad καπηλεύειν, praeter ceteros, apta dedit *L. Bos* in Exercit. S. p. 154. 155. — In hac quidem adnotatione modum me fateor exceſſiſſe.

I N-

INDEX LOCORUM

e Libris Sacris N. F.

quae

in hoc Specimine illuſtrantur.

---

ex *Matth.* Ev.

XXVIII, 17. p. 350.

Marci Ev.

I, 1-4. p. 358.
-- 16. p. 358.
III, 21. p. 351 & ſeqq.
VII, 2. p. 357.
VIII, 24. p. 348.
IX, 23. p. 358.
XI, 32. p. 349.
XV, 3. p. 342.

Lucae Ev.

I, 47. p. 359.
-- 73. p. 335.
II, 2. p. 359.
-- 11. p. 336.
-- 15. p. 336 & ſeqq.
-- 38. p. 360.
III, 22. p. 360.
IV, 8. p. 360.
V, 7. p. 345.
VI, 9. p. 346.
X, 11. p. 361.
XI, 29. p. 361.
XII, 7. p. 362.
--- 11. p. 363.
XV, 14. p. 383.
XVIII, 7. p. 363 & ſeqq.
XIX, 38. p. 365.
XXI, 1. 2. p. 367.
XXII, 16. p. 367 & ſeq.
----- 31. p. 368 & ſeq.

Joann. Ev.

VII, 37, 38. p. 388.

Lucae Act. A.

I, 4. p. 369.
-- 25. p. 370.
II, 9. p. 371.
V, 15. p. 373.
VI, 7. p. 375.
-- 9. p. 376.
VII, 26. p. 376.
---- 57. p. 378.
---- 58. p. 379.
---- 59. p. 380.
VIII, 37. p. 380.
IX, 5. 6. p. 381.
X, 6. p. 382.
--- 17. p. 382.
XIII, 6. p. 384.
---- 8. p. 384.
---- 23. p. 385.
XIV, 13. p. 386.
---- 26. p. 386.
XVI, 19. p. 389.
XVII, 2. 3. p. 392 & ſeqq.
---- 4. p. 395.
---- 14. p. 395.
---- 19, 20. p. 396.
XVIII, 9. 10. p. 397.
XX, 1. p. 397.
---- 4. p. 397.
---- 16. p. 399.
XXI, 6. p. 400.
---- 38. p. 400.
XXIII, 8. 9. p. 401.

Ep.

Ep. *ad Roman.*
III, 9. p. 404.
XII, 3. p. 404.
I Ep. *ad Corinth.*
II, 4. p. 405.
IX, 10. p. 332.
XII, 2. p. 405.
XIII, 12. p. 406.
XV, 6. p. 406.
— 9. p. 406.
— 29. p. 332.
II Ep. *ad Corinth.*
I, 4. p. 333.
II, 17. p. 412.
I Ep. *ad Theſſ.*
III, 3. p. 339 & ſeqq.
Ep. *ad Hebr.*
VIII, 10. p. 324.
IX, 1. p. 328 & ſeqq.
— 19. p. 407.
X, 11. p. 325.
— 34. p. 325.
XI, 34. p. 325 & ſeqq.
Ep. *Jacobi.*
IV, 2. p. 345.
I Ep. *Petri.*
I, 8. p. 343.
— 13. p. 407.
II Ep. *Petri.*
II, 3. p. 408.
Apocal.
VII, 10. p. 334.
IX, 19. p. 335.
XVI, 5. p. 334.
— 16. p. 334.

VA1
1512815